NOVA
ACTA
ERUDITORUM,
ANNO
MDCCLX
publicata.

Cum Regis Pol. atque Electoris Saxoniae Privilegio.

LIPSIAE

Proſtant apud IO. FRID. GLEDITSCHII & LANCKISII heredes.

Venduntur etiam Romæ apud PAGLIARINOS: Venetiis apud IO. BAPT. ALBRIZZIUM: Bononiæ apud LAELIUM della VOLPE: Pariſiis apud BRIASSONUM: Ultraiecti apud IO. BROEDELETUM: Lugduni Batavorum apud SAM. & IOH. LUCHTMANSIOS: & Amſtelodami in SCHREUDERI & MORTIERII iunior. officina.

MDCCLX.

AEQUO LECTORI

S.

Iterum exacto anni spatio, siquidem et huic Actorum Volumini, consuetudini obtemperaturis, praefandum aliquid est, defungemur hoc munere nunc quidem paucis: nam neque nunc demum reddi rationes instituti nostri necesse est; et de Tua in nos, Lector, voluntate, dubitandi nullam causam habemus. Etiamsi enim fuerunt anno proxime praeterito, qui iniquitatis nos, ut relatum aecepimus, immo rusticitatis accusarent, propterea quod scapham scapham dixcramus: tamen istorum hominum maledicentiam nos ita ridemus atque contemnimus, ut ultro etiam profiteri non dubitemus. Dabimus autem operam omni reliquo tempore, ut melior Lectorum pars intelligat, nihil aut gratiae nos, aut odio, sed suum cuique tribuere. Qui omnia laudat, assentatorem ineptum, qui nihil, invidum esse, hoc nemo unus umquam negare ausus est. Ut nihil horum in nos cadat, diligenter omni tempore cavebimus, quemadmodum cavimus adhuc. Quid autem iis respondebimus, qui, quidquid Librorum praestantissimorum Angli, Galli, Itali, Batavi, Sueci,

Dani,

Dani, in lucem proferunt, id fere omne aut ignorari a nobis putant, aut in his Actis nostris turpiter negligi queruntur? Primum temporum nostrorum calamitatem isti reputent, quae, quominus e dissitis regionibus Libri ad nos veniant, maximo, tristissimoque nobis impedimento est. Deinde etiam hoc scire eos oportet, qui ante nos fuerunt, Actorum Collectores, facilioribus et ipsis librorum Auctoribus, et Bibliopolis exterarum regionum usos fuisse, ita ut paene nullus esset terrarum angulus, e quo non venirent ad eos librorum optimorum exempla, quibus diligenter recensendis, retulerunt illi gratiam mittentibus. Nobis, nescimus quo fato, ultra sexennium, et quod excurrit, magno nostro dolore, luctandum fuit, et est adhuc, cum duritie illorum omnium, qui ante ea libenter atque ultro diligentiam nostram, libris ad nos mittendis, acuerant. Igitur nunc pauca admodum exterorum in his Actis sunt, neque nisi ea, quae vel magno aere ipsi redemimus, vel Bibliopolarum beneficio, tardius nonnumquam, commodata accepimus. Merebuntur igitur de nobis, deque nostro bene de bonis litteris merendi studio, praeclare, Viri docti, si, ut olim, ita et imposterum, quae ediderint, Actorum Eruditorum Collectoribus inscripta, dare ad nos dignentur. Quod ut faciant, etiam atque etiam rogatos cupimus. Tu, Lector, et haec, et pacis quoque commoda, nobis precare, et Vale.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiae

Calendis Ianuarii Anno MDCCLX.

Olof Dalins Geschichte des Reichs Schweden 2c.

i. e.

HISTORIA REGNI SVECIAE, ORDINE Annalium scripta, ab OLOF DALINO: e Suecico idiomate in Germanicum vertit IO. CAR. DAEHNERT, Prof. in Academ. Gryphisw. TOM. II.

Gryphisvaldiae, apud Hieron. Io. Struck, 1757. Alph. 4. plag. 2. in 4.

Quam, *Ioanne Benzelstierna,* socio laboris primum adsumto, inchoaverat, nunc solus pertexit Cl. *Daehnertus* Germanicam versionem historiae Sueciae, ab Ill. *Dalino* multo ingenio, studio, et diligentia compositae. In priori Volumine ingenium Auctoris plurimas tenebras disiecit dissipavitque, quibus historia Sueciae, nondum Christiana doctrina imbutae, involuta et obscurata antea fuit: in hoc altero, ab A. MLX. usque ad A. MDXXI. perducto, medii aevi historiam ingredimur, subobscuram illam quidem, sed ob varietatem et magnitudinem rerum valde memorabilem. Atque his quidem temporibus, cum foedissima superstitione animos omnium occoecante, tum immensa cupiditate summum imperium adipiscendi, qua Pontifices Romani flagrabant, accidit, ut ipsa in sua viscera regna saevirent, neque civibus princeps, neque civis civi parceret, atrocissima facinora fierent, omnia sanguine

 et

et caede innocuorum hominum plena essent, et salus reipublicae saepe in ultimum discrimen adduceretur. Quibus in turbis et calamitatibus describendis candide, ingenue, et libere Ill. *Dalinus* versatur: cuius operam eo maioris aestimandam esse iure Cl. *Daehnertus* censet, quo pauciores historiam medii aevi bene exposuissent. quod vel nimia modestia accidisse arbitratur, quam historici se ecclesiastico imperio debere putarent, vel inopia bonorum subsidiorum, sive non concessorum petentibus, sive variis fraudibus deletorum et extinctorum atque, si nulli Richelii essent, plures Thuanos fore, vere iudicat. Nobis quidem, si quis fraudes, crudelitatem, avaritiam, et ambitionem sacerdotum Romanorum cognoscere et intelligere cupiat, quam misera sit illius regni conditio, quod horum libidini indulgeat, satis ei haec Ill. *Dalini* historia satisfactura esse videtur; in qua cum saepius, tum in Cap. IX. praesertim, ingenium eorum callidum et vindictae cupidissimum, vivis coloribus eleganter expressum est. Nunc singulorum capitum argumenta breviter indicabimus.

In. *Cap. I.* exponitur de regibus Sueciae quatuor: *Stenkil, Haekan Roede, Inge Stenkilson, Blot-Sven.* Sub *Stenkili* imperio Christiana religio magna quidem incrementa ceperat, sed eodem tempore fraudibus monachorum et variis superstitionis commentis commaculata fuit. Etsi vero rex multo studio illam propagavit, atque etiam templa MC in Suecia aedificari iussit: minis tamen et omni vi abstinendum esse ratus, et placido mitique animo in hac re versatus est. Quare cum *Adalward* Upsaliense templum, idolis dicatum, igne et ferro devastare vellet, non solum hoc prohibuit, sed etiam ipse episcopos constituit, illisque baculum et annulum aureum tradidit. Magis indulsit furori sacerdotum *Inge-Stenkilson*, cuius iussu sacrificia profana abolita, et Upsaliense templum dirutum fuit. Quae res animos Suecorum adeo exacerbavit, ut rex ipse fugam capesseret, et se ad *Haekanum* conferret. Idem tamen in patriam reversus, Christianam doctrinam omnes per pro-

vincias

vincias universali quadam lege instituit, atque etiam annum ex Romana ratione a Calend. Ianuar. inchoari voluit. Antea enim initium anni longissima nox erat. Intexuit Auctor huic capiti vitam *Haraldi Haerdraedis*, principis Norvegiae, viri bellicosi et gloriae cupidi, qui, ut mos fuit Suecorum inde usque a Constantini temporibus, Constantinopolim adiit, et sub Imperatore *Michaele Calophate* stipendia meritus, contra Saracenos, Palaestinam pervagantes, et Chasaros, feliciter pugnavit. Haraldum hunc tantis in deliciis habuisse dicitur uxor Imperatoris, *Zoe*, ut, cum in patriam remeare vellet, illum ne demitteret, sed carcere inclusum retinere cuperet, e quo aufugit. Ipse in carminibus aliquot res a se gestas memoriae prodidit. *Cap. II.* complectitur historiam regum *Inge Stenkilson, Halstan*, *Philippi*, *Inge Halstanson*, *Ragwald Knap-Hoefding*, *Kol*, *Sverker*, *Kolson*. Anno MLXXX. magna turba *Helsingelaendorum*, duce *Ibioerno*, mari Daniam petiit, partem Seelandiae occupavit, et prope Oresundum domicilia posuit. Magis consuetudini aut caritati annonae haec migratio tribuenda est, quam imperio, cui *Inge* summa diligentia praefuit. Hic *Inge* episcopis certas regiones tribuit, in quibus res ecclesiasticas curarent; illiusque tempore Lundinensis Episcopus titulum *Primatis Sueciae* sibi imposuit. Quamvis etiam disciplina ecclesiastica variis legibus emendata fuerit, accidit tamen avaritia sacerdotum, ut superstitio valde augeretur. Hi frusto panis vel casei crucem insculpsere, atque illud comedentem, si reus sit, eo suffocari putaverunt: hi sibi medendi artem et scientiam arrogaverunt, terram e coemeteriis sublatam, et vinum in eucharistia sacratum, tanquam validissima medicamina in morbis curandis adhibuerunt, aliaque fecerunt complura ridicula. Erat enim ea tempestate miserabilis reipublicae et religionis facies. Qui Christianam doctrinam amplexi, omnibus se legibus solutos, omniaque sibi licere putaverunt: sacerdotes illos satis suae professioni facere docuerunt, qui baptizati, Romano imperio subiecti, et bene

erga ſe animati liberalesque eſſent: de pietate, probitate, humanitate, aliisque virtutibus altum fuit ſilentium: nullum erat ſcelus tam atrox, cuius venia numis impetrari non potuiſſet; nullum facinus tam horrendum, quod, ſi religionis et eccleſiae ſpecies praetenderetur, non laude dignum cenſeretur. Quid igitur mirum, maximam omnium rerum perturbationem et confuſionem ortam eſſe? Suecia duos reges, *Inge* et *Ragwald*, a ſuis civibus occidi vidit: in Norvegia *Magnus Sigurdſon* regni quidem participem fecit *Haraldum Gille*, ſed eundem deinde regno eiecit: hic, poſteaquam *Sigurdſonem* proelio vicit, oculos illi effodit, pedem abſcidit, et monaſterio incluſit; paulo poſt epiſcopum *Stavangerenſem*, potius mori, quam opes ſuas recludere cupientem, ſuſpendio enecavit; mortuus tamen idem in numerum Sanctorum relatus eſt. Eodem tempore opulentiſſima urbs *Kongahella* a principe Pomerano *Ratiboro*, ſola praedandi cupiditate adducto, miſere everſa atque deleta eſt. In Dania dux *Knut* et rex *Nils* occiduntur; *Erik Emund* fratri in imperio ſuccedit, cui *Bioern Jernſida*, filius *Haraldi Keſiae*, fratris maioris natu, ſupplex fit una cum fratre: neque tamen precibus eorum locum dedit, ſed illos aqua ſuffocari, patremque eorum, fratrem ſuum, capite plecti iuſſit: tandem ipſe *Erik Emund* a ſubdito ſibi quodam nobili interficitur. Haec fuit Chriſtianae religionis, haec Chriſtianorum principum non ſolum in ſeptentrionalibus provinciis, ſed tota etiam in Europa, eo tempore facies. *Cap. III.* proponit regem *Sverker Kolſon*, cuius in tempora origo perſonalis, ut aiunt, nobilitatis incidit. Ab antiquisſimis enim usque temporibus Sueci cum ad iudicia, tum ad alios conventus, armati acceſſere: omnes, praeter ſervos, gladio cincti fuerunt: verum ſacerdotum, quibus hic mos periculoſus viſus, opera accidit, ut nemini, niſi aulico et ſatelliti regio, (*Hirdlid, Fylgdermaen,*) arma geſtare liceret. Hi igitur *Waepnare*, armigeri appellati, et nobilitate perſonali totam per vitam gaviſi ſunt. Sequentibus temporibus hoc iis etiam con-

concessum, qui, licet nunquam in aula versati, virtute bellica atque fide inclaruissent. Tandem migrationes Palaestinae, atque aliorum equitum exemplum, nomen equitis atque effigiem scuti et insigne generis produxit, quae antea non multum curabantur. Alias rex *Sverker* eruditioni atque litteris deditus fuit, aluitque in aula Scaldum quendam, *Einar Skulason*, qui primus poesin Suecicam rythmis donavit. In *Cap. IV.* agitur de rege *Erik Jedvarson.* Omnis his temporibus virtus in liberalitate erga sacerdotes, maximo Romani pontificis cultu, summaque adversus dissentientes duritie, collocabatur, huiusque regis sub imperio sacerdotibus multa in legibus ecclesiasticis atque hereditatibus capessendis licentia concedebatur. Cuivis etiam tum licuit, quantum liberet ecclesiis atque monasteriis legare, quod nondum antea factum fuit. Hic *Erik,* tanta qui apud Suecos sanctitatis fama floruit, ut etiam per nomen illius iurarent, rex fuit iustissimus, a mollitie et voluptatibus alienissimus, liberalis, civiumque amantissimus: reditus e regno valde mediocres cepit, et plura offerentibus respondit: Satis equidem opum habeo, retinete vestra, ego illa non cupio, liberi vestri his egebunt. *Cap. V.* continet tempora *Caroli Sverkerson* et *Knut Erikson.* Fuit *Carolus* propagandae religioni admodum intentus, illiusque superstitione *Alexander III.* pontif. Rom. facile abuti potuit: quare clericos necessitate, coram iudicibus secularibus apparendi, exemit, suoque iudicio subiecit. *Knuth,* in religionis studio longius progressus, Cisterciensium monachorum ordini nomen dedit, titulumque tutoris et fundatoris monasterii sibi imposuit. *Cap. VI.* exponit Auctor de *Sverker Carlsono, Erik Knutsono,* et *Ioanne Sverkersono.* Primus horum, qui propter amicitiam favoremque monachorum omnia sibi licere, et atrocissima facinora munere quodam ecclesiae oblato, (quae tum communis fuit omnium opinio,) deleri et oblitterari posse putavit, saevissime contra liberos *Knuthi* egit. *Erik* rex fuit clemens, sapiens, ut tum erant tempora doctus, maximamque

mamque in deligendis viris optimis, qui muneribus praeessent, ostendit prudentiam. *Iohannes* clericis immunitatem a vectigalibus omnique alio tributo concessit, potestatemque pontificis altissimas radices agere passus est. Hanc aetatem illustravit ingenium *Snorre Sturleson*, cuius diligentiae, quaecunque de antiquis Sueciae temporibus novimus, in acceptis ferenda sunt. Adsperfa sunt in hoc capite quaedam de *Margareta*, vidua regis *Suerris*, et de Norvegici imperii forma. *Cap. VII.* complectitur *Erik Erikfonum*, *Knut Johanfonum*, et *Waldemarum*. Summum prope fastigium hoc tempore Romanus pontifex nactus fuit, cuius insigne documentum dedit mandato, ne quis clericorum uxorem duceret, omnesque, anni unius spatio interiecto, uxores dimitterent. Episcoporum et sacerdotum electio seculari magistratui erepta; episcopi vero non regi, sed pontifici iuramentum fidei praestiterunt. Incidit deinde in hanc aetatem prima origo urbis Stockholmi. Multa quoque hoc loco afferuntur de viro sapienti, *Birger Jarl*, patre *Waldemari*, filii et patriae praesidii, re, non nomine, regis. Prudentia, fortitudine, et virtute bellica sibi Sueciaeque securitatem peperit: litterarum et scientiarum progressum omnibus modis adiuvit: magna apud ipsos quoque sacerdotes floruit auctoritate. Hanc gloriam obscuravit pluribus vitiis, ambitione, regnandi cupiditate, perfidia, et crudelitate. In *Cap. VIII.* continuatur historia *Waldemari*, additurque vita regis *Magni Ladulaei*. Extincto patre, *Waldemari* quoque felicitas exstinguitur: accipit ab illo honores et potestatem amplissimam, sapientiam vero illius et virtutem non accipit: neque par in hoc est providentia in sacerdotum favore acquirendo, eorundemque licentia reprimenda, neque fratrum virtutes, omnium oculis expositas, adaequat. Primus quoque hic omnium regum Sueciae, ex iussu pontificis, Romam et Palaestinam ea de causa adiit, ut peccatum, adulterio cum *Jutha* facto, affinitate secum coniuncta, commissum expiaret. Gessit hic *Waldemar* cum *Magno*, fratre, de imperio

perio

perio bellum, cui mulieres *Werendenses* finem impofuerunt. Viri cum *Magno* plurimi *Werenda* excefferunt, mulieres folae relictae, militumque furori expofitae fuerunt: verum hae Gothicarum fe Amazonum filias effe meminerunt, et quibuslibet a tempore et furore miniftratis armis arreptis, paucorum dierum fpatio plurimos vel interfecerunt, vel abegerunt. *Magnus* fummam operam dedit, ut mores civium poliret, Sueciaeque, quantum poffet, florem promoveret. Quare ex exteris regionibus complures bonis conditionibus accerfivit, atque laudabili hoc ftudio non exiguam fibi fuorum invidiam peperit. *Cap. IX.* fiftit nobis regem *Birger*, cuius adhuc iuvenis nomine *Torkel Knutfon* imperio praefuit. Hic contra Romanum pontificem regiam maieftatem bene tuetur, atque in libertatibus, facerdotibus concesfis, hanc femper conditionem addit: urgente necesfitate, aliisque caufis permoventibus, illas mutari et tolli poffe. Quanquam etiam eodem tempore *Bonifacius VIII.* gravisfimas iis poenas minatur, qui facerdotibus vel vectigalia, vel ex fecularibus legibus poenas imponant: hic tamen immunitatem facerdotum valde attenuat, certam pecuniam ad bellum cum Rusfis gerendum ab iis exigit, eorumque licentiam fortisfimo animo coercet. Quantas turbas *Torkel* hac fua virtute excitaverit, et quantum fibi odium conflaverit, facile intelligi poteft. Atque inveniunt tandem facerdotes occafionem, diu anxie quaefitam, vindictae explendae. *Torkel* carceri includitur, forti animo et intrepidó tum calamitatem hanc perfert, tum iudicum fententiam audit: paullo poft canum caput viri optimi a carnifice abfcinditur, eodemque loco cadaver non fine diris facerdotum fepelitur. Hic fuit finis viri prudentisfimi, patriae faluti unice intenti, et de ea optime meriti, cuius amabilem effigiem Auctor in hoc capite expresfit, quam quicunque fine partium ftudio legerit, non poteft non animo commoveri, et memoriam *Torkelii* facram et immortalitate dignisfimam exiftimare. In *Cap. X.* pertexitur hiftoria *Birgeri*, cui duces Suecici magnas turbas

bas

bas attulerunt, cuiusque ſub imperio ſeditiones, licentia pontificis, peſtis, fames, et inteſtina mala Sueciam valde dilacerarunt. Fuit *Birgerus*, qui praeter emendationem legis Upſalienſis, cuius tamen auctor *Torkelius* fuit, nihil laudabile fecit, omnibus adverſae fortunae caſibus agitatus. *Cap. XI.* proponit *Magnum Erikſonum*, cuius tempore Norvegia cum Suecia coniungitur, poteſtas vero Sueciae et opulentia, tam quod ad magnitudinem imperii, quam ad opportunitatem mercaturae attinet, vicinas regiones longe ſuperat. In *Cap. XII.* continuatur hiſtoria *Magni*, et additur electio regis *Erik Magnusſon:* amborum fata in *Cap. XIII.* quod nobis etiam regem *Haekan* ſiſtit, uberius enarrantur. Operae pretium erit hic repetere, quae Auctor de *Lapponia* memoriae prodidit. Erant vero hi *Lappones*, qui ſe ſua lingua *Sabma* appellant, iidem cum *Finnis*, iisque, quoad ſermonem et mores, ſimillimi. Sunt eorum tria genera; alii montani, alii ſylveſtres, alii piſcatores nominantur. Illi montani, non aliter quam olim Scythae, non diu uno in loco conſident, ſed ſingulis menſibus nova domicilia quaerunt: ineunte vere in Norvegiam transmigrant, et autumni tempore redeunt: nullas habent opes, nullas divitias, praeter machelides Lapponicas, mediocrium greges ad CC, et divitum ad M et CCC excreſcunt. Haec animalia dominis parum moleſta ſunt, ſed ipſa ſibi alimenta, frondes aeſtate, hyeme muſcum quaerunt. Pane *Lappones* raro veſcuntur: machelides, piſces, lac, aliaeque ferae, quas ligneo arcu defigunt, illis ſola ſunt alimenta: domos habent nullas, ſed in tabernaculis panno obductis, aut ligneis caſis, nudi, nulla utriusque generis ratione habita, vitam agunt. Natura proclives ſunt ad libidinem, infoecundi, laboribus ſuſtinendis parum apti, frigoris, inediae, et nuditatis patientiſſimi, et velocisſimi curſu: ſumma celeritate calceis ligneis per nivem curſitant: parvis naviculis rapidisſima flumina transiiciunt. Sunt praeterea timidi, pigri, et maiorum ſuperſtitioni maxime dediti: adamant artem magicam, et tympanis

nis quibusdam adhibitis, multa ridicula faciunt: quoad religionis doctrinam proxime ad antiquissimos Sueciae incolas accedunt. Deum *Iubmel* credunt auctorem boni, omniumque bonorum spirituum, *Perkel* vero auctorem mali esse: hos olim atrociter invicem pugnasse, altissimisque montibus alterum alterum subruisse: *Thor*, sive *Thier-mes*, medium quendam esse deum, bonum una et malum, hunc spectra et larvas interficere, et Iride pro arcu uti: *Iubmel* olim terram tantopere concussisse, ut omnia undis submergerentur, omnesque perirent, praeter puellam et puerum: hos duo, a deo in altum montem sublatos, ibi tutos et salvos remansisse: ex his liberos procreatos, humanumque genus renovatum esse. Idola vel ex radicibus arborum conficiunt, vel per altos lapides repraesentant: haec sanguine oblinunt, his cornua et ossa animalium sacrificant, atque etiam, si votum solvendum, felem, gallum, caprum, agnum: sacra magna religione faciunt: idolo vix conspecto caput denudant, corpus incurvant, et nullo sono edito abrepunt. Observavit Auctor, eos ipsos, quorum ditioni *Lappones* subiecti, prohibuisse, quo minus superstitionis tenebrae dispellerentur: vidisse enim principes, non tam placide Christianos iugum toleraturos esse, quam gentiles, et libertatem suam, et officia erga magistratum ignorantes: neque huic iniquitati Evangelica tempora statim finem imposuisse. *Cap. XIV.* exponitur historia regis *Albrechti*. Maiori hic ante dignitatem regiam acceptam amore civium, fama, et auctoritate floruit, quam illa ornatus, ingeniumque eius non ad imperandum, sed ad parendum aptum fuit: Sacerdotum et pontificis favorem omni modo aucupatus est, civibus magnam pecuniae vim extorsit, nimiisque sumtibus profusis valde se invisum suis reddidit. Prohibuit tum Upsalense Concilium, gravissimis minis additis, ne quis laicus, vel palam, vel privatim, de rebus fidei iudicaret. Invitavit etiam rex multos e Germania, magnisque eos honoribus cumulavit, qui Sueciae, posteris temporibus, et honori, et utilitati fuerunt maximae. Pontifex Romanus *Gre-*

gorius IX. intolerabilem in epiſtolis licentiam oſtendit, omnia pro imperio dixit, et immenſam argenti copiam ex Suecia collegit. *Cap. XV.* commemorantur res geſtae *Margaretae* et *Erici Pomerani.* *Margareta* nihil muliebre habuit praeter corpus, vereque pater dixiſſe videtur, erraſſe naturam, et pro foemina virum effinxiſſe: callida eadem fuit, miti vultu, tum amori, tum ambitioni dedita: auctoritatem nobilium attenuare maximopere ſtuduit, liberalitate ſacerdotum gratiam captavit, et ſemper magis Daniae quam Sueciae favit et ſtuduit. Accidit eo tempore cruenta immanitas, a Germanis Stockholmi erga Suecos exhibita, quae eo dementiae proceſſit, ut CC. Sueci, aedibus incluſi, vivi comburerentur. *Margaretae* huius auctoritate A. MCCCXCVII. *Calmarica* unio trium regnorum, Sueciae, Daniae, et Norvegiae perfecta fuit, e qua Suecia poſtea multum detrimenti cepit, et quae multarum inimicitiarum, crudelitatum, plurimorumque pactorum, nunquam ratorum, cauſa et origo fuit. Eſt denique hoc Seculum XIII. ea de cauſa memorabile, quoniam eo primae actiones contra ſagas inſtitutae ſunt. Concilium quidem, A. MCCCCXII. *Arbogae* habitum, multa ſuperſtitione ſomniorum interpretationes, magicas morborum curationes, et vaticinia, ſibi diſquirenda propoſuit. In *Cap. XVI.* pergit Auctor in enarranda hiſtoria *Erici Pomerani.* Impetravit hic a pontifice *Martino V.* A. MCCCCXVIII. Academiae inſtituendae, Doctorum et Magiſtrorum creandorum, omniumque ſcientiarum, praeter Theologiam, magiſtrorum convocandorum facultatem. Verum hoc conſilium demum A. MCCCCXXXVIII. perfectum fuit. Anno MCCCCXXXVI. miſere necatus eſt *Engelbrecht* ille, quem maximum libertatis defenſorem ſe habuiſſe Suecia gloriatur. Inſtituta quoque fuit a pontifice in Suecia inquiſitio haereticae pravitatis. Proponit Auctor fata adverſa huius regis tanquam exemplum regis potentiſſimi quidem, ſed omnibus viribus ad onus imperii ſuſtinendum deſtituti. Accepit *Ericus* imperium, quod totius orbis oculos admiratio-

rationemque in se convertit; idem tanto in contemtu obiit, ut a tenuissimae conditionis homine nihili aestimaretur. Sceptrum, sive taedio, sive otii amore, deposuit, et deinde praedonem maritimum egit: aequitatis et iustitiae interdum studiosus fuit, sed ingenii viribus ad bona consilia perficienda caruit: maximo omnia impetu egit, et subita ira excanduit, nemo tamen illum timuit: in bello infans, atque imperii sustinendi imperitus fuit. Quo accidit, ut neque amaretur, neque timeretur a civibus, qui tamen saepius longius abrepti sunt ira et odio, quam par erat. Nam illi tribuerunt ea, quae nullus mortalium praestare possit, annonae caritatem, inundationes, et alia. Mari semper iniquo Marte pugnavit: nam res maritima, quae inde ab ultimis temporibus Succiae praesidium et ornamentum fuerat, hoc rege plane fuit neglecta. In matrimonio habuit *Philippam*, foeminam magni animi: haec miseris certissimum fuit perfugium, haec urbes munivit, haec omni ratione mariti famae consuluit: haec cum hostibus fortissimo animo manum conseruit. Verum malam gratiam *Ericus* meritis *Philippae* retulit. In *Cap. XVII.* transit Auctor ad tempora *Christofferi*, et *Caroli Knutsoni*. Ille voluptatibus et libidinibus valde fuit deditus, alacris tamen, commodus, et in seriis maximique momenti rebus iocorum amantissimus. Hic ingentem sibi invidiam odiumque sacerdotum conflavit. Nam certorum hominum accuratae inquisitioni villas et opes eorum subiecit, eo consilio, ut, quae a stupidis hominibus, contra leges Suecicas, vel testamentis, vel aliis modis sibi acquisivissent, recuperaret. *Cap. XVIII.* exhibet nobis turbas in Suecia contra *Carolum Knutsonum* exortas, novique regis *Christiani I.* electionem. Teterrimam hic adspicimus imaginem Archiepiscopi Upsalensis, *Ioens Bengtson*, qui regi bellum indixit, eundem regno expulit, tristissima patriae vulnera inflixit, multoque sanguine civium animum, honoris et vindictae cupidissimum, explevit. *Caroli* vitam, Auctor, illustre exemplum perpetui certaminis livoris et virtutis, atque intolerandae licentiae

ſacerdotum eorum temporum arbitratur. *Cap. XIX.* exponitur hiſtoria *Ioannis II.* magnis adverſae fortunae caſibus exagitati. Effloruerunt tum primum liberales artes in Suecia, comoediae actae ſunt, ſed non parum barbariei remanſit. En vobis egregium exemplum! In comoedia, quae Chriſtum cruci affixum ſpectatoribus oſtendit, ille, qui Longini partes agit, Chriſtique latus haſta transfodere debet, tam ſerio rem ſuam exſequitur, ut perſonatus Chriſtus exanimis cruce decidat, et infra ſtantem Mariam lapſu graviori enecet: Iohannes tantopere hoc caſu exardeſcit, ut nulla mora interiecta Longinum perimat: neque tamen impune hoc fecit, ſed arreptus capite poenas dedit. *Cap. XX.* exponuntur atrociſſimi tumultus, quibus tum Suecia concuſſa, ſaeviſſimumque *Chriſtierni*, tyranni cognomine, imperium. Optat Auctor, ut tam foedam imaginem lectorum oculis eripere poſſit; ſed ſanguinem, quo illa picta, minime poſſe exſtingui et deleri. Nemo erit, haec vivis coloribus expreſſa legens, qui non miſerorum triſtiſſimam ſortem doleat, immanem vero huius Neronis, inquinati civium cruore, nullumque iucundius ſpectaculum quam caedem ſuorum habentis, immanitatem deteſtetur.

NOVI COMMENTARII ACADEMIAE SCIENTIArum Imperialis Petropolitanae. TOMUS IV. ad Annum MDCCLII. et MDCCLIII.

Petropoli, Typis Academiae Scientiarum. 1758.
Alph. 3. plag. 1. cum fig. aen. 14. in 4.

Illuſtris Academia, dum hoc Novorum Commentariorum volumen aliquanto tardius in vulgus edit, operis tarditatem excuſat tum ob libros, qui lingua vernacula neceſſario edendi eſſent, tum ob operarum et prelorum numerum illuc usque nimis exiguum, neque omnibus, quae imprimenda fuiſſent, ſufficientem; eo autem nunc aucto, editionem reliquorum maiori alacritate ſe curaturam

ram liberaliter promittit. Continet autem hic Tomus quartus *Mathematica, Physico-Mathematica, Physica, et Astronomica.* In classe Mathematicorum LEONHARDUS EULERUS, Vir Celeberrimus, neque umquam sine maxima laude commemorandus, utramque paginam facit, et Tomum hunc dissertationibus quinque ornat. In priori exponitur de *numeris, qui sunt aggregata duorum quadratorum.* Notum est, multas esse numerorum proprietates, quarum veritatem huc usque sine demonstratione admittere cogimur, auctoritate FERMATII potissimum permoti, qui eas a se demonstratas esse palam est professus. Ad quod genus cum pertineant permultae eaedemque insignes proprietates numerorum, qui sunt aggregata duorum quadratorum, Cel. EULERUS earum demonstrationes more suo, h. e. eleganter non minus quam accurate, tradit. Quos quidem numeros, si bina quadrata eos componentia fuerint inter se prima, hoc singulare habere Cel. Auctor docet, quod alios non admittant divisores, nisi qui ipsi eiusdem sint naturae, h. e. binorum quadratorum summae. Et quoniam omnes istiusmodi numeri, si fuerint primi, unitate minuti, per quaternarium sint divisibiles, seu in hac formula $4n+1$ contineantur, memorabile est, vicissim omnes numeros huius formulae $4n+1$ simul esse duorum quadratorum summas; cuius demonstrationis autem se nondum compotem esse factum vir acutissimus ingenue profitetur, etiamsi veritatem eius extra dubitationem ostenderit; promittit tamen plenam eiusdem demonstrationem, sequenti Commentariorum volumini inserendam. Hic loci ex ista proprietate egregiam satisque facilem deduxit methodum explorandi, utrum numerus huius formulae $4n+1$, quantumvis magnus, primus sit nec ne? Res omnis eo redit, ut videamus, utrum numerus propositus in duo quadrata resolvi possit, an vero minus? ubi tres modi locum habent. Primo si numerus ille plane non in duo quadrata resolvi possit, eum non esse primum patet, sed duos saltem habere factores formulae $4m-1$;

 sin

ſin unico modo in duo quadrata reſolvi queat, ſintque haec prima inter ſe, numerum propoſitum eſſe primum intelligimus; tertio demum, ſi propoſitus numerus pluribus uno modis in duo quadrata reſolubilis ſit, compoſitus utique eſt, eiusque diviſores inde aſſignari poſſunt. Hactenus non ſine multo labore reperire licuit, utrum numerus, qui centena millia ſuperat, primus ſit nec ne? Nam tabulae numerorum primorum paſſim exſtantes eum tantum terminum attingunt; hinc ſi maiorum numerorum examen inſtituendum erat, diviſio facienda fuit per omnes numeros usque ad radicem quadratam numeri propoſiti. Iam vero cum numerus in formula $4n+1$ contineatur, res longe facilius conficitur: cuius quidem intelligentia ut lectori facilior eſſet, verſus finem diſſertationis Cel. Auctor propoſuit exempla et ſpecimina non pauca. Qua in re illud notari meretur, quod operatio nulla per diviſores fiat.

In ſecunda diſſertatione de *aptiſſima molarum alatarum conſtructione* diſſeritur. Scilicet Geometrae hactenus pro certo habuerunt, ad alas molarum circumagendas vento vim maximam eſſe, ſi alarum ſuperficies ad directionem venti ſub angulo $54° 45'$ fuerit inclinata. Cui quoniam uſus refragari videtur, quippe quo docemur, multo maiorem angulum feliciori ſucceſſu adhiberi, non pauci inde anſam ſumſerunt theoriam arguendi, quod praxi ſaepius adverſetur. Sed Cel. Auctor docet, angulum iſtum utique vim maximam praeſtare, quoad machina in quiete ſit; ſimulac vero ea motu iam iam impulſa ſit, angulo illi nullam praerogativam eſſe, ſed maiorem angulum ſtatui oportere, ut a vento maxima vis excipiatur, atque adeo pro quovis celeritatis gradu circa extremitates alarum inclinationem magis ad angulum rectum accedere debere, quam circa axem. Sed ne hac quidem correctione adhibita, theoria prorſus praxi congruit. Nam ſi maximus effectus intenditur, non id deſideratur, ut potentia alas circumagendi omni momento maxima ſit: verum ſimul celeritas, qua vis agit, conſiderari debet, cum minor vis, ſi celerius agit,

maiora

maiora effecta dare posſit, quam vis maior tardius agens. Itaque Cl. Auctor ante omnia quaeſtionem ad effectus quantitatem revocat, huiusque menſuram determinare ſatagit. Conſiderat autem, uti alias fieri ſolet, machinae effectum tanquam ponderis cuiusdam elevationem, et, quoniam effectus eo maior aeſtimatur, quo celerius idem pondus, vel quo maius pondus celeritate eadem in altum tollitur, productum ex pondere in celeritatem, qua attollitur, pro iuſta menſura effectus machinae habet. At idem productum aequatur producto ex vi impellente in celeritatem, qua agitur. Ergo et hoc productum eſt vera quantitas effectus a machina praeſtandi. Unde etiam ſcimus, vim parvulam, ſat velociter agentem, effectum quamlibet magnum dare poſſe. Quare Cl. Auctor, ut molae alatae effectum a priori determinet, ſingula alarum elementa conſiderat, docetque, vim venti alas impellentem, in celeritatem cuiusque elementi ducendam eſſe, eoque facto ſummam omnium illorum productorum elementarium daturam eſſe totum machinae effectum. Atque ex hoc principio generatim definitur molarum alatarum effectus, quaecunque ſit earum figura ac diſpoſitio, et quaecunque celeritas motus gyratorii, et deinde methodo maximorum et minimorum inquiritur, et in alarum formam, et in celeritatem motus gyratorii, quo maximus effectus obtineatur. Poſt haec monet Cl. Auctor, in theoria admitti quaedam, quae praxis non admittat. Quo pertinet neglectus frictionis alarumque craſſitiei; item quod ponitur, machinae motum ſtatim ab initio ad uniformitatem ita componi, ut vis impellens cum onere ſuperando in aequilibrio conſtituatur, quod vero in praxi eo evenit tardius, quo maiori opus fuerit celeritate, quae igitur ſi infinita ſit, machina ad hunc ſtatum, quo maximus prodeat effectus, nunquam perveniet. His itaque praemiſſis, planum facere geſtit Vir eruditiſſimus, theoriam nihil abſurdi habituram eſſe. Sed iſta omnia accuratius et plenius ab Auctore expoſita, nos in hac noſtra brevitate proſequi non poſſumus.

Dis-

Diſſertatio III. et IV. eiusdem ſunt argumenti. Prior nova *Elementa doctrinae ſolidorum* continet; poſterior *demonſtrationem nonnullarum inſignium proprietatum, quibus ſolida hedris planis incluſa ſunt praedita*, exhibet. Utraque Summum EULERUM Auctorem agnoſcit. Negari non poteſt, doctrinam Stereometriae hactenus eo ordine eaque elegantia non expoſitam eſſe, ut in ſyſtema certum quoddam redacta cenſeri poſſit. Nihil enim in Stereometricis de ſolidorum partitione in certa genera ſecundum numerum hedrarum traditur, verum tantummodo ſpecies eorum quaedam, ut ſunt priſmata, pyramides, et corpora regularia, caeteris omiſſis, absque mutuo nexu et reſpectu proponuntur. Cuius rei cauſſa in ipſa difficultate quaerenda videtur. Non enim ſolum angulorum laterumque numerus, uti in geometria plana, in cenſum venit, ſed praeter hedras ſolidosque angulos, binarum quoque hedrarum concurſus, quos Cl. AUCTOR *acies* nominat, conſiderandi ſunt. Ut igitur ſolida in certas quasdam claſſes digereret, ad has notas tres reſpexit, ſcilicet ad numerum hedrarum, ad numerum acierum, ad numerum angulorum ſolidorum. Characteres hi certa quadam lege inter ſe connexi ſunt, ita ut in quovis ſolido hedris planis comprehenſo, aggregatum ex numero hedrarum et numero angulorum ſolidorum exiſtens, numerum acierum ubique excedat binario. Quemadmodum autem in Geometria plana numerus angulorum aequatur numero laterum, indeque fundamentum figuras cognoſcendi repetitur; ita et illa lex in Stereometria iisdem commodis inſervit. Patet enim, datis binis characteribus tertium in poteſtate eſſe. V. c. ſit angulorum ſolidorum numerus $= S$, acierum numerus $= A$, hedrarum vero numerus $= H$ ubique erit $S + H = A + 2$ ergo aut $H = A + 2 - S$, aut $A = S + H - 2$ aut $S = A + 2 - H$. Porro uti in Geometria plana omnes anguli figurae ſimul ſumti aequantur bis tot rectis, quot ſunt anguli, ſubductis quatuor, ita in Stereometricis ſumma angulorum ſingularum hedrarum aequalis eſt quater tot angulis rectis, quot ſolido

ſolido ſunt anguli ſolidi, demtis octo; et quae ſunt plura huiusmodi.

In Diſſertatione Vta de *motu corporum coeleſtium a viribus quibuscunque perturbato*, agit EULERUS Vir Clar. Aſtronomiae ex eo tempore, ex quo KEPLERUS orbitas ellipticas excogitavit, Newtonus vero eas validiſſimis principiis mechanicis aſſeruit, magnam perfectionem acceſſiſſe, pauciores que irregularitates circa motum ſiderum Geometris moleſtas eſſe, norunt omnes. Ii nimirum motus coeleſtes putantur regulares, qui in ſectionibus conicis ita fiunt, ut areae circa focorum alterutrum deſcriptae temporibus proportionales ſint; ſin ſecus fiunt, irregulares cenſentur. Ad legem illam veluti ad amuſſim moveri videntur planetae principales, unde et in Tabulis Carolinis Aphelia eorum immota ſumuntur, neque iam alia in motibus eorum irregularitas admittitur, niſi quatenus a KEPLERI regulis aberrant. At in luna animadverſa eſt talis aberratio admodum magna, eiusque motus iudicantur maxime irregulares. Neque irregularitates circa motum Saturni ignotae ſunt. Quin nullius ſideris motus regulis KEPLERI prorſus congruit, uti vel ex motu Apheliorum et nodorum, quae in Tabulis Aſtronomicis mobilia ponuntur, cum ex mente KEPLERI quieſcere deberent, ſatis patet. Talis vero irregularitas, ſi per motum lineae abſidum repraeſentari poteſt, vix ſentitur, dum tabulae a regulis illis non videntur diſcedere; ſin et excentricitas variabilis ſumitur, et aequatio alias correctiones poſtulat, irregularitas magis ſentitur. Irregularitates autem non admodum magnae ita ſatis commode definiuntur, ut motus regularis quidam a vero minime recedens pro fundamento ponatur, aberrationesque ad continuam tum lineae abſidum, tum excentricitatis ipſiusque orbitae mutationem revocentur. Atque huic ſumtioni, ad calculum Aſtronomicum maxime accommodatae, potiſſimum inhaeret Auctor noſter, ac ſimul ex mechanicis repetit, motui accidere irregularitates, ſtatim atque directio virium ſollicitantium non ad fixum punctum fiat, neque hae quadratis diſtantia-

rum ab eo proportionales ſint, ſumitque, planetam, praeter vim quadrato diſtantiae reciproce proportionalem, ab aliis etiam viribus quibuscunque ſollicitari. Quibus ita utitur, ut planetae motum ad orbitam variabilem revocet ſic, ut et ſitus lineae abſidum, et excentricitas, et latus rectum, fiant quantitates variabiles, ex datis viribus perturbantibus ab Auctore determinatas. Unde anomalia vera iſti variabilitati conſentanea ad quodvis tempus deducitur, motusque planetae prorſus cognoſcitur. Omnes has magni EULERI diſſertationes ſumma cum animi voluptate perlegimus.

Claſſis Phyſico Mathematica continet 1) GEORGII WOLFGANGI KRAFTII *Reſolutiones Problematum ad Architecturam civilem ſpectantium.* In hac diſſertatione Celeberrimus, dum viveret, AUCTOR, matheſin ſublimiorem ad Architecturam civilem applicat, atque eius ope varia problemata de fornicum tectorumque rectilineorum conſtructione ſolvit. Poſt varia autem, quibus aliorum, veluti SERLII, DURERI, HARTMANNI, GREGORII, COUPLETI, POSTHEMII, errores corrigeret, in medium prolata, putat, ſecundum quamlibet curvam conſtruere fornicem firmum licere, hinc Architecto liberum eſſe, eligere illam, quae ipſi ob alias rationes placeat. In primis venuſtatis ratio haberi ſolet, cuius fundamentum duplex eſt. Invenuſtus ſcilicet eſt fornix, ſive partes aut inter ſeſe, aut cum fulcris, quibus innititur, poplitem ſenſibilem efficiant, ſive partes ſubito multumque immutent curvaturam. Curva igitur, quam fornicibus accommodatam putare ſolent Architecti, quamque Auctor parabolam eſſe poſt LA HIRIUM oſtendit, reiecta, arcus ſemicirculares, aut ſemiellipticos, fornicibus gratiam venuſtatemque maximam conciliare docet. De tectis rectilineis AUCTOR oſtendit, tectorum cantheria ab impoſitis tegulis aequaliter premi, ſive depreſſius, ſive altius tectum ſit; attamen in altioribus metum fracturae maiorem eſſe ideo, quod propter vectim longiorem maiori momento in iis, quam in depreſſioribus, agat preſſio iſta. Poſtea COUPLETUM, qui minorem tectis altioribus

tioribus impulsum assignavit, taxat, tectumque altius maiori, quam depressius, vi extrorsum premere evincit. Dissertationem claudit solutio quaestionis de tectis *Mansardicis*, ita construendis, ut, quoad fieri possit, illa ipsa se teneant in aequilibrio, neque usquam absque necessitate praegravent. Cuius solutionem iam dedit COUPLETUS in *Mem. de l'Academie des Sciences de Paris*, 1731. Lectoribus igitur harum rerum intelligentibus iudicium liberum relinquit Auctor noster, utram alteri praeferre velint.

Ceterae dissertationes, ad hanc classem pertinentes, a G. W. RICHMANNO conscriptae sunt. Qui in IIda *de virtute magnetica absque magnete communicata, experimenta* a se capta descripsit. Quae quanquam paulo serius, et postquam ea res ab aliis doctis viris multum exculta est, lucem adspiciunt, non propterea tamen inutilia sunt censenda. Experimentum primum docet, lamellam ex chalybe molli, politam, ope veru in linea magnetica meridiana suspensam tritu fieri magneticam, et duplo quidem maiori gradu, quam in MICHELII experimentis. Experimento secundo usus est, ut inveniret caussas, vim magneticam talis laminae debilitantes, quae sunt: vehemens saepiusque repetita proiectio in pavimentum, inflexiones in multis locis factae, candefactio, malleatio, contrarii ductus situ lamellae inverso per veru facti. Totam tamen vim vehementi lapsu aut inflexione debilitatam, tritu restitui discimus ex tertio experimento. Lamellae candefactae virtutem magneticam difficilius receperunt, quam politae non candefactae, uti docet experimentum quartum. Praeterea monstrat viam ac rationem, antea, quod sciamus, non animadversam, qua vis magnetica valde augeri possit, dum fulcra ferrea adhibentur, quibus lamina, quam magneticam reddere volumus, imponenda est. Quod MICHELIUS, quoniam non commemoravit, ignorasse videtur. In dissertatione tertia RICHMANNUS inquisivit *in legem decrementi et incrementi caloris solidorum in aëre*, ita quidem, ut experimentis, magna solertia institutis, evinceret, neque a densitate, neque a

cohaerentia abſoluta, neque a duritie corporum proficiſci proprietatem ipſorum, qua calorem maiori minorive pertinacia retineant, aut avidius ſegniusve aſſumant, legemque quam haec in re ſequatur natura, etiam nunc ignorari penitus. Ipſa experimenta recenſere vetat ſpatii anguſtia. Praeter experimenta, ad ſcopum Auctoris facientia, inveniuntur alia quaedam, ad quae capienda invitavit obſervatio illa ſatis cognita, aquam in phiala contentam, ebullienti aquae immerſam, vehementius quidem incaleſcere, at nunquam usque eo ut ipſa ebulliat. Inde ſumſit anſam curatius rem eam rimandi, reperitque, vix unquam ultra 205° aſcendere thermometrum Fahrenheitianum, ſi immergatur aquae contentae vaſe metallico, quod maiori ebullientis aquae copia undique cinctum eſt, quod tamen thermometron ebullienti aquae immediate immerſum ſemper ad **212°** aſcendit. Idem AUCTOR in diſſertatione quarta deſcripſit *tentamen, ſolutionem in diverſa temperie ad menſuram reducendi.* Salia ab aqua ocyus ſeriusve ſolvi, prout magis minusve ferveat aqua, nemo neſcit. An vero conſtanti ac perpetua lege velocitates ſolutionum in ipſa caloris ratione ſint, ignoratur. Auctoris experimenta docent, eſſe ſolutionum celeritates, ſub temperiebus 42° et 84°, quam proxime uti 1. ad 2, adeoque, pro hoc caſu, ſolutionum celeritates fere eſſe in ratione graduum thermometri Fahrenheitiani, qui temperiebus fluidi ſolventis reſpondent. An lex haec etiam in ceteris obtineat, non liquet. In diſſertatione quinta RICHMANNUS propoſuit *tentamen, rationem caloris reſpectivam lentibus et thermometris definiendi.* An thermometris ipſa caloris incrementa menſurari queant, peritiores iure dubitarunt. Thermometron enim nil niſi voluminis Mercurii, thermometro contenti, augmenta exhibet, quae ut caloris incrementis exacte reſpondeant neceſſe non eſt. Auctor igitur conatus eſt tum definire, an vere augmenta dilatationis in maiori ratione creſcant, quam caloris incrementa; tum legem ipſam detegere, ad quam ex dilatationis augmento

augmen-

augmentum caloris, et vicisſim, reperiri posſit. Ad hunc ſcopum uſus eſt lentibus convexis, quae radiorum ſolarium cylindros in conum cogunt colliguntque ſic, ut in diverſis poſt eas diſtantiis inverſam quadratorum diſtantiarum a foco rationem ſervent calores. Conis illis radioſis thermometra prorſus concordantia et aeque mobilia, quantaque iisdem temporibus in utroque fuerint Mercurii dilatationis incrementa, ſedulo obſervavit. Inde quidem reperit, theoriae non penitus adverſari experientiam, quod ſcilicet dilatationis incrementa in maiori ratione creſcant, quam caloris incrementa; legem vero ipſam detegere non potuit. Tandem diſſertatione ſexta de *Indice electricitatis, et eius uſu in definiendis artificialis et naturalis electricitatis phaenomenis*, tractavit RICHMANNUS, ſuisque laboribus finem impoſuit, paulo quippe poſt elaborationem diſſertationis, ſingulari ſibi pauloque duriori fato rebus humanis ereptus, verusque martyr factus. De conſtruendo indice electrico iam ante multos annos cogitaverat, ipſamque rem non infeliciter exſecutus erat, uti Commentariorum Petropolitanorum Tomus XIVtus docet. Inventum ibi expoſitum in hac diſſertatione paucis repetit, quaeque in inſtrumento tunc deſcripto deſiderentur, ipſe indicat. Cum autem, quomodo vitiis inſtrumenti mederetur, quaereret; nova indicis talis conſtructio animo ſe obtulit. Hunc delineavit, ſatisque ample deſcripſit, experimenta vero ope eius capere non potuit, morte praeventus. At neque indicis deſcriptio a nobis expectabitur; neque ipſa experimenta, ope prioris indicis inſtituta, egregia ſane, compendium admittunt. *Claſſis Phyſica* continet variorum Auctorum lucubrationes. Primum locum tenet ABRAHAMI KAU BOERHAVII *diſſertatio de cohaeſione ſolidorum in corpore animali.* Quae profecto diſſertatio caeteris eximiis ſcriptis eruditisſimi Auctoris prorſus ſimilis, atque tum rerum ubertate, tum ſermonis elegantia, admodum commendabilis, lectuque iucunda eſt. Obſervationes paucas inde delibare brevitas noſtra permittit. Bis diſſecuit Auctor Petropoli

Elephantem, partesque diverſimode praeparatae ſervantur eo iucundiores aſpectu, quo ſunt magnitudine notabiliores, tanquam in quibus nudo oculo apparent, quae in minoribus animalibus non niſi per microſcopia diſtinguuntur, tam ad reptatum ultimorum vaſculorum, quae per coloratam materiem iniectam rigeſcunt, quam ad fabricam telae celluloſae ſubtilisſime ſolutam, ſed in primis ad fibrarum muſcularium decurſum, quas arte ſua ultimas diſſolubiles, nec crasſiores, nec magis opacas, comperit, quam, quae in hominibus et diverſae magnitudinis animalibus inter ſe ſunt ſimillimae. Unde didicit, muſculorum robur non a crasſitie ſingularum fibrarum, ſed ab earum multitudine proficiſci, dum plures ſimul iunctae ex faſciculis adunatis crasſioribus, muſculos toroſiores efficiunt, in actione ſynchronae, adiuvante forſan longitudine in directione partis movendae, ex pluribus elementis conflata. Sed et in hoc animali lamella tenuiſſima de oſſe demta, et microſcopio examinata, fibras viſu ultimas diſtinguendas exhibuit, quam in alio animali haud craſſiores, ſic ut hic rurſus copia robur efficiat. Quae in muſculis et oſſibus, eadem in membranis cernuntur, dummodo ab omni alieno liberentur. Peritonaeum in elephante tenue eſt, ut in homine. A me aſſervati, ait Auctor, ex eodem animali portionem omenti in liquore ſpirituoſo ſuſpenſam, amoeniſſima ſubtilitate pellucidam, aliamque exſiccatam, quae ex tenuiſſimo quaſi ſerico eleganter contexta apparet. De nervis eadem notanda ſunt. Quae et noviſſima diſſectio teſtudinis maritimae confirmavit. Reliquas obſervationes anatomicas et chymicas lectorum noſtrorum diligentiae commendamus. Diſſertationem hanc excipiunt deſcriptiones quorundam animalium a Cel. IOH. GEORG. GMELINO factae, dum per vaſtiſſimum Sibiriae regnum iter faceret. Animalia illa ſunt: 1) *Mus aquaticus exoticus,* CLUS. *Auctar.* RAII Syn. Quadrup. pag. 217. RAII mus exoticus, et loco natali, et deſcriptione reſpondet muri huic. Tantum proportio pedum longe alia in deſcriptione

ptione RAII explicatur, quam GMELINUS deprehendit; fortaſſe quia RAII deſcriptio ex pelle facta, vel ex CLUSIO deſumta fuit, de cuius deſcriptione RAIUS eandem ſuſpicionem movet; in *Comment. Ac. Sc. Paris.* 1725. SARRAZINUS murem, Moſchum redolentem, Americae incolam, deſcribit, a quo differt, quem GMELIN deſcripſit. Ipſas differentias lector ipſe videbit, nec non illa, quae ILLUSTRIS ACADEMIA, qua ſolet ſolertia, in parte Commentariorum hiſtorica addidit ſupplementa. 2) *Deſcriptio Rupicaprae cornubus arietinis*, cuius nullum adhuc in auctoribus hiſtoriam naturalem illuſtrantibus veſtigium exſtat. Viva deſcribitur, diſſectio anatomica enarratur, ac delineatio adiecta cernitur. Et circa hoc animal ILLUSTRIS ACADEMIA ſuum orbi litterato inſerviendi ſtudium abunde comprobat. 3) *Deſcriptio animalis Moſchiferi*, KOBARGA dicti, cuius delineatio data non eſt, quoniam ea, quam ISBRAND IDES dedit, meliorem ab exemplis mortuis deſumi poſſe deſperavit GMELINUS. At eo diligentius facta eſt deſcriptio animalis, eiusque diſſectio. Caro huius animalis incolis in eſcam cedit. Maſculi caro levem odorem moſchi ſpirat, foeminae vero omnis odoris expers eſt. Affirmat Cel. GMELINUS, ea, quae in MARTINII Atlante Sinico de Moſchi ex carne huius animalis praeparatione exſtant, tam vana commenta eſſe, ut de iis ſilere ſatius ſit. Diligentiſſime deſcribitur folliculus, qui Moſchum continet. Non vidit GMELINUS glandulas illas, quas LUCAS SCHROEKIUS ad meatus moſchiferi orificium a ſe obſervatas eſſe ſcribit. Bona microſcopia adhibuit GMELINUS, ut glandulas diſcerneret, cum probabile ſit ipſas adeſſe; ſed viſum eius fugerunt. Vaſa ſanguifera ſe vidiſſe credit, nec tamen diſtincte, multo minus igitur, ubi origines moſchi ſint, percepit. Neque in huius animalis hiſtoria amplificanda deſiderari diligentiam ſuam, vix ſatis laudandam, ſinit ILLUSTRIS ACADEMIA. Has deſcriptiones ſequuntur GEORG. WILH. STELLERI Obſervationes quaedam, nidos et ova avium concernentes. Quas dum colligeret,

IOSEPHI

IOSEPHI PROSPERIS ZINNANI, Comitis, de ovis et nidis avium commentationem, Venetiis 1737. editam, videre non potuit. Pergratum igitur erit harum rerum curiofis, utriusque Auctoris fcripta inter fefe conferre, atque animadvertere, in quo fecum confentiant, aut a fe difcrepent obfervationes, in duobus mundi angulis adeo diffitis factae. STELLERUS quidem multus in eo eft, ut refellat fententiam eorum, qui ex nidis et ovis avium confici methodum ornithologicam poffe crediderunt. Deinceps generales animadverfiones de diverfitate ovorum et nidorum proponit. Tandem fingula ova diverfarum avium a fe vifa, qua magnitudinem, colores, et maculas ipfis inhaerentes, defcribit, et viginti novem ova in quatuor tabulis delineata curiofo lectoris oculo fubiicit. Ultima fcriptio huius claffis Auctorem habet IOSEPHUM ADAMUM BRAUNIUM, qui *obfervationes meteorologicas annorum* MDCCXLIV-MDCCXLVI. *cum animadverfionibus et confectariis* memoriae prodidit, quas compendium non admittere nemo non videt.

Tandem Claffis Aftronomicae fcripta haec funt: 1) *Methodus inveftigandi Parallaxin lunae et planetarum, ecclipfibus ftellarum fixarum a luna et planetis innixa,* Auctore A. N. GRISCHOW. Cum nemo fit, qui nefciat, quanti interfit fcientiae geographicae, et rei nauticae, theoriam lunae magis magisque perfici; non opus habemus, laudabiles celeberrimi GRISCHOVII conatus pluribus commendare. Pofteaquam vir laudatiffimus tum de ampliffimo parallaxeos lunae ufu, ad accuratius condendas tabulas lunares, tum vero etiam de maximis difficultatibus negotium iftud prementibus, nec non de fummo ftudio, quod celeberrimi Aftronomi, cum veteres, tum recentiores, HIPPARCHUS, ARISTARCHUS SAMIUS, PTOLOMAEUS, TYCHO BRAHE, HALLEY, et alii, in id impenderunt, perdocte differuit, atque in primis itineris, quod Cl. ABBAS DE LA CAILLE, Aftronomus Gallus, in Promontorium bonae fpei fufcepit, mentionem fecit; recte iudicat, ne hoc quidem inftituto fuperatum iri difficultates omnes, neque dubium effe, quin

quin parallaxeos lunae quantitas, aeque ac planetarum, methodis diverſis, iisdemque tutiſſimis, magis atque magis definienda ſit. Ex hoc genere eſſe methodum, innixam obſervatis eclipſibus fixarum a luna, quam adhuc, non ſatis bene, neglexerint Aſtronomi. Cum enim iſtiusmodi eclipſes ſatis frequentes ſimulque momentaneae, ac propterea a quibusdam ad longitudines terreſtres accuratius definiendas ſatis feliciter adhibitae ſint; nihil prohibere, quo minus parallaxeos lunaris quantitati frequentius et in diverſis lunaris orbitae punctis inveſtigandae inſervire queant, ſi locorum quidem data fuerit differentia meridianorum. Negandum quidem non eſſe, ad id neceſſarias eſſe obſervationes in locis terreſtribus longiſſime disſitis. Sed hanc difficultatem noſtra aetate non eſſe inſuperabilem, cum vel in ſolo vaſtisſimo imperio Rusſico conſtituti duo obſervatores correſpondentes, viam ſibi ad parallaxin lunae hac methodo determinandam patefacere queant. Quodſi enim obſervatorum alter in ſpecula Aſtronomica Petropolitana, alter in extrema ora peninſulae Kamtſchatkae, ponatur, meridianorum differentiam gradibus 125. maiorem fore. Atque tantummodo neceſſe eſſe, ut obſervator horologio oſcillatorio Aſtronomico, tubo et quadrante munitus, in terra Kamtſchatka obſervandis eclipſibus invigilet. Noſtram autem methodum admittere duos diverſos proceſſus, quorum alter ſoli obſervato momento vel emerſionis, vel immerſionis, ſtellae cuiusdam fixae innitatur, alter vero magis intricatus, et momenta tum immerſionis, tum emerſionis poſtulet. Hoc altero difficiliori in aliud tempus opportunum dilato, priorem hac diſſertatione perſequitur, atque data ad problema hoc ſolvendum neceſſaria, poſtea ipſam ſolutionem duorum problematum, rem cauſamque continentium, proponit, quae fere haec ſunt: Dato momento immerſionis ſtellae fixae, cuius locus apparens, ad diem eclipſeos reductus, accuratisſime datur, datisque ad idem momentum differentia altitudinum ſtellae et centri lunae, diametro lunae apparenti, nonageſimo

mo eclipticae gradu eiusdemque altitudine, invenire differentiam latitudinum ſtellae et centri lunae, nec non diſtantiam lunae in ecliptica a coniunctione viſa. Alterum problema ſic habet: Datis immerſionis ſtellae poſt lunam e binis locis tereſtribus longe diſſitis, poſitione datis, obſervatae momentis, nonageſimo gradu eclipticae, eiusque altitudine, una cum loco lunae viſo reſpectu ſtellae occultatae, ex obſervationibus ad praedicta momenta deducto, et motu lunae vero horario in longitudinem determinare eius parallaxin horizontalem. Optat Illuſtris Academia, ut obſervator idoneus et indefeſſus inveniatur, qui in tantum, quantum ad obſervationes illas neceſſarium ſit, tempus, ſedem in Kamtſchatka figere non detrectet. Qui niſi inveniatur, obſervationes tamen ex altera parte Londini, aut in ſpecula Aſtronomica Grenvicenſi, ex altera in oppido Nertſchinsk, cuius ager agricultura et re pecuaria ſatis colitur, inſtitui poſſe, cum duo illa loca pariter ſub eodem fere parallelo ſita ſint, neque multo minori intervallo, quam Kamtſchatka a Petropoli, diſtent. Quin Aſtronomos Pekinenſes ex Ieſuitarum familia, ſub eodem fere meridiano cum oppido Nertſchinsk habitantes, operam ſuam huic negotio, ſi rogati fuerint, daturos eſſe ſperat. In ſecunda ſcriptione idem Cl. GRISCHOVIUS accurate deſcripſit *inſolitum lumen auſtrale,* Petropoli d. 6. Nov. ſt. v. 1751. circa h. 9. p. m. viſum. Rutilans fuit, duosque circiter gradus longum, in ipſo horizonte auſtrali extenſum, in ſeram usque noctem in eodem loco, nulla obſervata figurae variatione, ſubſiſtens. Suſpicabatur Vir Cl. ſplendorem illum a ſtella primae magnitudinis Fomahant, horizonti Petropolitano proxima, venire, ſed veſperi ſtellam illam a loco luminis iſtius ſat longe abeſſe obſervavit. D. 7. Nov. cum crepuſculo, ſtellis primae et ſecundae magnitudinis iam conſpicuis, coeloque undique pulcre ſereno lumen id rurſus eadem figura ſe praebuit conſpiciendum, 10. circiter gradibus a priſtino loco, in ipſo vero horizonte orientem verſus diſtans, eodem loco permanens

ad

ad h. 9. p. m. usque, quo nempe tempore maſſa rutilans ſpatio horae octantis nubecula turbida cingi, ſubitoque radiationes fulgurationum non diſſimiles, ex ipſa maſſa rutilante ſurgentes, ſeſe undantes, per totum coelum diffundere viſi ſunt. Nullum per hoſce dies aurorae borealis veſtigium fuit. Cl. GRISCHOW putat, lumen hoc, non inepte, probandis mutationibus tempeſtatum, lumen boreale ſubſequentibus, inſervire videri, cum ventus biduo continenti ex NNW. ſpirans, ipſo, quo lumen auſtrale reſolutum radios emiſerit, momento, ex eadem plaga auſtrali flare coepit, tempeſtatisque mutatio ſatis notabilis, nivisque ſolutio fuerit inſecuta. Totum tandem volumen claudunt labores Aſtronomici GODOFREDI HEINSII Collegae noſtri, et apud nos Mathematum Profeſſoris dexterrimi. Quae cum obſervationes ſint Lipſiae habitae, paucis tantummodo verbis a nobis indicari poſſunt. Prima eſt obſervatio eclipſis primi ac ſecundi ſatellitis Iovis, Lipſiae habita anno 1749. ſt. n. die 16. Septembr. quo Iupiter oppoſitionem cum Sole paulo poſt meridiem celebravit. Quae quidem obſervationes, etiamſi non Geographiae ſummo rigore, theoriae tamen Satellitum inſervire poſſunt, cum loca iſtorum et geocentrica et heliocentrica ſimul reſpiciant. Scilicet tempore oppoſitionis Solis et Iovis, ob umbram Iovis ab eius diſco tectam, obſervatio immerſionis emerſionisve immediata fieri nequit, ſed nonniſi obſervatio appulſuum diſculi Satellitis ad Iovis marginem, ad quos bene diſcernendos Tubum Gregorianum ſic compoſuit, ut obiecta ſecundum diametrum 97. vicibus amplificarentur. Atque ſic, coelo ſimul optime favente, nitide conſpici potuerunt et Satellites et faſciae Iovis. Praeter faſcias, quae verſus borealem et meridionalem Iovis marginem conſpicuae eſſe ſolent, duae maiores, ad ſenſum inter ſeſe parallelae, diſcum Iovis traiecerunt, ita ut extremitas tum borealis, tum auſtralis, a centro diſci abeſſet $\frac{1}{8}$ diametri Iovis, et unaquaeque dimidio huius intervalli centrum verſus lata eſſet. Poſt haec accurata deſcriptio ipſarum ob-

ſervationum die 16. Septembr. die 10. Novembr. die 24. Decembr. habitarum legitur, ad quam lectorem ablegare cogimur. Has obſervationes ſequitur obſervatio eclipſis lunae partialis die 13. Decembr. 1749. Quam excipiunt obſervationes meteorologicae: porro obſervatio eclipſis Solis anno 1750. die 8. Ian. ſt. n. temp. civil. horis antemeridianis Lipſiae habita, una cum reſiduo obſervationum Lipſiae anno 1750. ſt. n. habitarum, quo potiſſimum obſervationes eclipſis lunae totalis die 19. Iunii 1750. Veronae, Caſſellis, Berolini, Goettingae, habitae recenſentur, indeque locorum eorum meridiani a Lipſienſi diſtantia eruitur; deſcribitur porro occultatio θ Serpentarii a luna die 12. Auguſt. 1750. His iunguntur rurſus obſervationes variae meteorologicae. In parte huius Voluminis hiſtorica recolitur memoria duorum virorum longiori vita digniſſimorum, RICHMANNI nimirum, et ABRAHAMI KAAU BOERHAVII. In huius Biographia dicitur, periiſſe ultimum Boerhaviani nominis heredem, nulla, cum coelibem vitam vixerit, poſteritate relicta; ſupereſſe autem fratris natu maioris, HERMANNI, filiam, coniugem CAROLI FRIDERICI KRUSE, Medicinae Doctoris, et Legionum Praetorianorum Medici, et Academiae Socii, qui etiam *Scripta Boerhaviana poſthuma*, quorum editionem in diſſertatione hoc volumine contenta ABRAHAM KAAU promiſerat, poſt huius obitum in vulgus editurum ſe eſſe, ſpem nobis gratam facit.

TEMPE, ANECDOTA SACRA VARIA VIRORUM quondam doctiſſimorum Opuſcula inedita, ad Antiquitates Eccleſiaſticas, et Theologiam Exegeticam Patriſticamque ſpectantia, complexa. Publici iuris fecit et praefatus eſt IOH. DIETERICUS WINCKLERUS, S. Theol. Doctor, et Eccleſiarum Hildeſienſium Superintendens.

Halae

Halae Magdeburgicae, typis et impensis Ioh. Iac. Curtii, 1758. 1. Alph. 14. plag. octonis.

Qui in edendis aliorum opusculis interitum metuentibus versantur, iis hanc primam legem scriptam esse cupimus, ut ea duntaxat in hominum doctorum conspectum producant, quae perire nefas fuerit, neque eripiant blattis cibum, melioribus convivis indignum; alteram, ut fide summa reddant luci publicae huius generis scripta, si vel sint in iis, quae ipsi non probent. Horum utrumque *Wincklerus*, Vir S. R. recte observavit in expromenda sylloge, cuius indicem adscripsimus. Nam licet singulis, quae illa complectitur, libellis, non eadem laus debeatur; sunt tamen in unoquoque, maiora hinc, illine minora, quae gratum nobis esse iubeant munus, protrahendis his anecdotis in Theologos collatum.

Primo loco, et merito suo, posita eminent ***Ioh. Andreae Schmidii,*** S. Theol. quondam Doctoris, eiusdemque et Antiquit. S. Prof. Publ. Ord. in Acad. Iulia, Abbatisque Mariaevallensis, ***Fragmenta Lexici Ecclesiastici maioris.*** Historiae quidem et antiquitatis Christianae peritia paucissimi hoc Seculo Schmidium vel aequarunt, vel vicerunt. Inprimis ritus Christianorum antiquos, vocesque his designandis usurpatas, penitius sibi perspectas fuisse, cum Dissertationibus plurimis, tum publicato A. 1712. *Lexico ecclesiastico minore*, docuit. Sed parabat ille iam tum eiusdem argumenti *Lexicon maius*, in quo ipsa auctorum loca excerpturus erat, et potiores scriptores, qui de quavis materia data opera commentati sint, indicaturus. Huius autem consilii fructum cum obitus Viri Doct. interciperet, initia solum operis, ad vocem *Baptismus* perducti, in scriniis eius inventa sunt, quae postea in bibliothecam Christ. Mündenii, sacrorum nuper in Francofurtana ad Moenum urbe praesulis, pervenerunt; cuius denique post fata *Wincklero* nostro, aere redemta, possidenda cesserunt, Pag. 1-228.

 qui

qui quidem publicam potius rem fragmentum hoc esse voluit, quam privatum supellectilis suae ornamentum.

Istius ergo telae vix coeptae pulchritudinem inspicientes, non possumus quin abruptam fuisse vehementer doleamus. Nam pro insigni, qua pollebat, lectionis copia, multa hic *Schmidius* sagaciter eruta collegit, composuit apte, et clariora illustrando fecit, quae vel minus recte tradita essent ab aliis, vel manca apud eos hiarent, vel certe dispersa in libris plurimis laterent. Voces autem ecclesiasticae, ad Alphabeti ordinem explicatae ab Auctore, quales sint, quam variae, quam late per veteris mediique aevi Secula patentes, imo nostrae etiam aetati lucem praebentes, adpositis plerisque earum docebimus.

A et Ω. Adiicitur sigli huius Apocalyptici diversa Patrum interpretatio, eiusdem in monogrammate Christiano, et in haeresi Marci, usus; tandem ostenditur, τὸ A musicam quoque notam esse. *Abascantus,* seu ἀβάσκαντος, qui tutus est ab invidia, apud Tertullianum. *Abba,* vel *Abbas:* ubi de vocis primaeva significatione, tum de abbatum, qui monachis praeficerentur, origine, electione, publicatione, confirmatione, benedictione, depositione, sepultura, rebus aliis ad eos pertinentibus, pag. 8—28. disputatur. *Abbas Abbatum,* qui titulus Cassinensi Abbati, omnium Occidentis Abbatum quasi Patri, debetur. *Abbas Canonicus* et *Canonicorum,* qui Monachorum Abbati opponitur. *Abbas Capellae Palatinae,* qui Palatinis Oratoriis et sacellis praefectus erat. *Abbas Cardinalis,* cui privilegium et nomen Cardinalis concessa sunt. *Abbas Commendatarius, Abbas Episcopus, Abbas Exemtus* et *non Exemtus, Abbas Laicus,* (ad quam vocem plura ex mediae aetatis moribus adferuntur non vulgaria,) *Abbas Miles, Mitratus,* rel. *Abbatia, Abbatissa,* de cuius electione, benedictione, officiis, cet. multa traduntur. *Abbreviatores,* Brevium Pontificiorum scriptores. *Abecedarium,* s. *Abecenarium,* s. *Abcturium,* cet. *Abecedarius Psalmus.* *Abelitae,* s. *Abeliani,* secta hominum, matrimonii veram legem corrumpentium, de

de qua locus Augustini, et Auctoris Praedestinati, coniecturae item eruditorum, nominis notationem scrutantes, hic leguntur. *Abiuratio*, eiuratio terrae et provinciae. *Ablutio*, partim manuum Sacerdotis in Missa, partim pueri post baptismum. *Abraxas*, s. *Abrasax*, *Abrenunciare Diabolo pompae et cultui eius*, (quae formula ex Patribus diligenter illustratur,) *Absida*, s. *Apsida*, fornix, arcus, *Absolutio*, *Absolutionis dies*, feria V. ante Pascha, qua poenitentes absolvi solebant, cet. *Abstentus*, vox Cypriano familiaris, pro excommunicato. *Abstinentia*, pro exclusione a communione, apud Fulbertum Carnotensem. *Acacia*, graec. *ἀκακία*, *innocentia*, apud Tertullianum. *Acathistus*, graec. *ἀκάθιστος*, sessione carens, epitheton Virg. Mariae. *Accensor*, *Acceptorium*, in S. Bonifacii epistolis; nisi tamen illic, quod nobis quoque cum Fraxineto s. Cangio placet, legas *Excerptorium*; *Accubita*, vel *Accubitus*, *Acephali*, Eutychianorum factio, *Acephali*, clerici apud Isidorum, *Acephala* regio, quae nulli episcopo subiecta est. *Acheropoeta*, graec. *ἀχειροποίητα*, h. e. non manufacta, vox designans imagines Christi et Deiparae, quae traduntur divinitus, vel arte angelica, non humana, pictae, qualium hic census instituitur. *Achresti*, *ἄχρηστοι*, ethnicorum in Christianos convicium apud Tertullianum, cuius locus in eam rem integer adscribitur; *Acoemeti*, graec. *ἀκοίμητοι*, *insomnes*, nomen Monachorum Byzantinorum, quod in eorum monasteriis noctu diuque sacra peragerentur; cuius moris alia quoque excitantur exempla; *Acoemetae*, *ἀκοιμήται*, lucernae in Ecclesia perpetuo ardentes; *Acoluthia*, *ἀκολουθία*, preces et officia ecclesiastica. In hac autem iam voce littera A desinit: unde facile intelligitur, hanc ipsam litteram inchoatam potius a Schmidio, quam absolutam quoad omnes voces fuisse.

Venimus ad litteram B, (pag. 113.) de qua idem dixerimus. B nota musica est apud Notkerum, quae pro V etiam crebro occurrit. *Bacalaria*, praedii rustici species, *Baccalarii*, s. *Baccalaurei*, *Bachellarii*, cet. *Bacile*, vas aquarium,

rium, *Bacterius*, *Βακτηρία*, baculus, *Bactroperatae*, philosophorum nomen, quod baculum et peram deferrent. *Baculus pastoralis*. Huius materiam, formam, (utriusque iterum mysticas rationes,) clericos, quibus competierit olim, hodieque competat, originem et usum, accurate Auctor persequitur. *Baculi auditorum*, in templis olim, quum stantes orarent et auscultarent fideles, adhibiti. *Baculi cantorum*, *monachorum poenitentium*, *ad processiones*, cet. *Baion*, graec. Βαΐς, palma, s. ramus palmae, unde *Βαϊοφόρος*, dies palmarum. *Baiulus*, *Βαίελος*, paedagogus. *Baiuli Abbatum*, eorum officiales domestici. *Baiuli Ecclesiae*, ministri Ecclesiae, in processionibus publicis cruces et candelabra portantes. *Baiuli horarum Ecclesiae*, et *Obituum novorum*. *Baiulivi* vel *Baillivi*, praesides, s. magistratus. *Balandrana*, pallii species. *Balare*, s. *Ballare*, saltare, choreas ducere, a graec. *βαλλίζειν*. *Ballatio*, *Ballimathia*, saltatio. *Baldakinus*, s. *Baldechinus*, pannus omnium ditissimus, Baldacco, s. Babylone in Perside delatus. *Balma*, lapis sepulchralis. *Balnea* in monasteriis. *Baltheus* clericorum, et mundialis, s. secularis. *Bannum* et *Bannus*, *Bannum mittere* et *ponere*, *Bannum Pacis*, *Bannus Episcopi*, *Bannire*, *Bannum Christianitatis*, *Bannum Regale*, *Synodale*, *Scabinatus*, alia his adfinia, pro varia vocis potestate.

Postrema Schmidianam diligentiam occupavit *Baptismi* vox, a pag. 116—228. pertractata. Nomina baptismi apud veteres Christianos, v. c. *Φωτισμὸς*, alia, omissa hic sunt, suis fortasse quodque sub litteris reponendum. Ritus autem baptismales omnes curatius hoc loco explicantur. Proponuntur primum octo baptismatum genera; posthaec de caussa efficiente baptismi, de laicorum, mulierum, puerorum, ac infidelium iure baptizandi, de materia baptismi, de baptismo per arenam, de immersione, emersione, et aspersione, de formula baptizandi, de obiecto baptismi, de eiusdem fine et effectibus, loco denique, tempore, et ceremoniis administrati in Ecclesia baptismi, ita quaeritur, ut loca scriptorum Ecclesiasticorum, et exempla ab iis prodita,

dita, largiter effundantur. Tribuit etiam Auctor hic locum *Baptiſmo ſuper mortuis*, 1 Cor. XV, 29. pag. 219. ſed nihil egit aliud, quam ut duodecim diverſas interpretantium hanc phraſin ſententias proferret, nullamque ex iis recipiendam eſſe oſtenderet. Ipſe rem in medio reliquit. Nos primam ſententiam, quae nimirum baptiſmum ad ſepulchra Chriſtianorum hic ſpectat, non male exornari poſſe credimus.

Succedit *Godofr. Chriſt. Boſii*, Theol. quondam D. Pag. 229—
et ad d. Thomae Archidiaconi Lipſienſis, *de Anathemate* 262.
Commentatio Philologica. Eam Ven. Wincklero conceſſit Celeb. Academiae Iuliae Theologus, I. B. Carpzovius. Eſt autem ſumma praelectionum, a b. Auctore Lipſiae anno 1663. habitarum, ut Licentiam ſummos in Theologia honores capeſſendi impetraret. Evolvit primum vocis, anathema, etymologiam, homonymiam, ſynonyma et cognata; dein cauſſam efficientem, obiectum, formam, finem, et effectus illius ſcrutatur, non levi uſus Scriptorum adparatu. De nonnullis diſtinctius dicendum erat, v. c. de Iohanne Antiocheno pag. 253. de Origene poſt fata anathemate percuſſo pag. 257. cet. de aliis etiam plenius et rectius. In univerſum tamen laudanda Auctoris opera.

Hanc excipit *Petri Zornii*, in Gymnaſio primum Se- Pag. 263—
dinenſi, deinde Thorunienſi Profeſſoris, huiusque Recto- 408.
ris et Bibliothecarii, *Delineatio Theologiae Patriſticae, ſecundum ordinem locorum theologicorum adornata.* Ediderat iam Gieſſae anno 1709. Auctor Vindicias S. S. P. P. per omnes fidei articulos, Iohannis Dallaei libris de uſu et abuſu Patrum oppoſitas, ficto quidem Pezronii nomine: ſed cum in eo libello, quem poſtea in Opuſculis ſuis ſacris recudi fecit, defenſorem Patrum egerit, in hac *Delineatione* hiſtoricam magis de theologia eorum narrationem contexuit. Atque utinam Zornius, doctiſſimus cum paucis Vir, qui anno 1746. vivere deſiit, σκιαγραφίαν hanc amplificandam declarandamque ſibi uberius ſumſiſſet. Haberemus ſane, qua adhuc aegre caremus, ambitus univerſae Theolo-

giae Patristicae connexam et continuam descriptionem. Prolegomena partim de Scriptoribus in genere, qui ad lectionem Patrum ducunt, partim de regulis generalibus in lectione Patrum observandis, partim de Theologicis Patrum Systematibus, praecipiunt. Regulae, quas diximus, probae sunt, nec lippis et tonsoribus notae. Distinguenda v. c. monet Z. Patrum scripta apologetica et dogmatica, quod in utrisque singularis dicendi ratio observetur; ex fragmentis Scriptorum Patristicorum de eorum doctrina iudicandum non esse, neque adeo ex Catenis Patrum; attendendum semper, quo modo unus Pater alterum aemuletur; de dogmatibus fidei ex scriptis polemicis P. P. rectius, quam ex homiliis, sententiam ducendam esse. Ad Systemata autem P. P. Theologica libros referre nobis videtur multos Zornius, eo nomine indignos, ut Clementis Alex. Hypotheses, Origenis libros περὶ ἀρχῶν, Cyrilli Catecheses, alios.

Sed omnis haec Delineatio tribus Partibus constat. Prima de Theologia Patrum Dogmatica tradit. Locos Theologicos ponit XIX. Auctor, de Script. S. de Deo, de Creatione, cet. His vero subiungit Patrum de illis decreta, opiniones item singulares, scripta eorum ad Locum quemque pertinentia, dogmatum historiam per Secula priora, et cum his coniuncta. Ita ad locum primum de Script. S. commemorat Patres eos, qui divinitatem Script. S. demonstrarunt, vel regulas ad eam legendam suppeditarunt; dein sententiam P. P. de Script. S. criteriis externis et internis, pag. 276—285. exhibet; de origine et progressu traditionum in primaeva Ecclesia tradit; iudicium P. P. circa Chronologiam Cod. S. eiusque puritatem adfert; de veterum Christianorum cultu vero et superstitioso erga S. Cod. disputat, de studio item P. P. in conciliandis Script. S. locis, ac denique Miscellanea quaedam subnectit. Ad Locum II. qui est de Deo, iudicium Ecclesiae antiquae de Theologia naturali, tum Historia mysterii Trinitatis per omnia Secula, et Historia Vocis ὁμοούσιος, exponitur;

ponitur; adduntur duriores P. P. de divinitate Christi locutiones, cum epicrisi historica; eorundem de Spiritus S. divinitate loca obscuriora, ab Auctore vindicata, cet. Ad Articulum III. de Creatione et Providentia, enarrantur P.P. qui utrumque dogma scriptis illustrarunt. In his tamen omissus est elegans Lactantii, de Opificio Dei, liber. Ad Locum VI. de Incarnatione filii Dei, rursus singulares P.P. de ea opiniones, eorumque scripta de hoc mysterio recenset, haereticorum de eodem systema producit, adiungitque historiam fidei antiquae, de descensu Christi ad inferos.

Parte II. quae de Patrum Oratoria Sacra, sive arte homiletica inscribitur, (pag. 398.) nonnulla observantur de prudentia veteris Ecclesiae in concionibus spectata; de earundem abusu, ritibus, cet. Sed nec aetates Ecclesiae satis discernuntur, et sicca atque exsangui brevitate traduntur singula. Idem valet de Parte III. quae cum Theologiam Patrum Moralem adgrediatur (pag. 405.), nonnisi tribus paginis continetur. Nihil hic praeter primas lineas, et eas ipsas rudiores, deprehendas. Scripta etiam haec Pars est longe ante Barbeyracianam, de morali Patrum doctrina, controversiam; ac omnis Delineatio ex ingenio Auctoris adolescentuli, in Kiloniensi adhuc Academia docentis, profecta videtur. Quare repetitis votis optamus, ut surgant alii e coetu nostro viri, qui Theologiae Patristicae Corpus eodem ingenio, accuratione et felicitate maiore, exstruendum suscipiant.

Zorniano lateri haeret dissimili Vir in P. P. animo, *Ioh. Iustus Losius*, Philos. quondam Doctor, et Bibliothecae Wrisbergianae in praedio Wrisbergholtensi prope Hildesiam praefectus, cuius hic editur *de defectu iudicii logici in Scriptoribus Ecclesiasticis, et haereticis veteris Ecclesiae, Exercitatio.* Pag. 409—442.
Non exprobramus illi hanc in antiquos doctores mentem; agnoscimus potius, liberiorem illorum reprehensionem, quam Losius instituit, non esse in legendis illis penitus negligendam. Docet autem inprimis, Patres in disputatio-

nibus ſuis adverſus Haereticos et Iudaeos iudicio logico deſtitutos ſe oſtendiſſe; cuius rei exempla in Hieronymi, Epiphanii, et Tertulliani ſcriptis demonſtrat. Eandem Philoſophiae ignorantiam haereticorum plurimis cauſſam errorum fuiſſe, a pag. 433. probat, e tertii, quarti, et quinti Seculi haereſium hiſtoria. Ubi quidem hariolatur nonnumquam potius, quam ut certa tradat, uti cum ait, Neſtorium ita collegiſſe: ſi duae ſunt naturae, duae quoque perſonae, cet. Sed qui legatur tamen, indignus non eſt.

Pag. 443—553. Extrema huius Sylloges explet *Hermanni von der Hardt*, Lingu. Orient. olim in Acad. Iulia Prof. Publ. Ord. et Praepoſiti Mariaemontani, *Exegeſis Locorum difficiliorum Quatuor Evangeliſtarum.* Qui ſi parem doctrinae ſummae iudicandi facultatem habuiſſet, et ingenium valde luxurians cohibuiſſet fortius, non commiſſurus erat, ut ſcripta ſua hinc bonis et veris quibusdam, illinc longe plurimis incertis, ludicris, ſomnia denique redolentibus, conglutinaret. Sed faciunt illa priora, ut nec taedium ex poſteriori ſententiarum genere capiendum quandoque refugias, ad libros Hardtianos delatus. In hac v. c. Exegeſi IV. Evangeliſtarum rideas neceſſe eſt, cum Vir optimus Phariſaeorum nomen *ἀπὸ τῆς παῤῥησίας* derivat, pag. 465: cum Ioſephum, Servatoris O. M. patrem, Iuriſconſultum fuiſſe, pag. 493. ut doceat, annititur, cet. Idem tamen ad loca nonnulla ita diſputat, ut, niſi adſenſum ei praebeas, diligentiorem certe contextus ſacri inſpectionem ab eo tibi commendari cernas. Nam quod putat, pag. 474. ſq. vocem *πνεύματι* Matth. V, 3. non ad *πτώχοι*, ſed ad *μακάριοι* referendam, id eviciſſe illum non credimus. Sed Lectoribus ipſis examinandi locum relinquamus.

Ceterum Wincklerum noſtrum, cui ſingula haec bellaria debemus, doctrinae et muneris egregie apud Hildeſienſes geſti laudes, ad ſtationem in Eccleſia Hamburgenſi eximiam, eamque paternis iam meritis illuſtrem, nuper evexerunt. Longueruanorum vero anecdotorum plenam collectionem cum nondum ei fortuna annuerit, quamvis per-

pertinaciter investiganti, nobis alterutrum horum placet: aut edi per opportunitatem a Viro S. V. quae iam ex illis tenet: aut ut Longueruaeum valere cum Gallis suis iubeat.

DE RATIONE AUDIENDI PER DENTES.

Auctore IO. HENRICO WINKLERO, Physices Prof. Lipsiensi.

Usu compertum est, per dentes percipi posse sonum, aurium meatibus obstructis. Iter illud, quod omnino impeditum esse videtur, explicatum ibo partim ex hoc, quod tentamina docuerunt; partim ex eo ipso, quo apta sint corpora ad sonum provehendum.

Quae ego ipse didici experientia, cognoverunt mecum auditores, quibus trado Historiam Naturalem Animalium. Collocavimus horologium viatorium in baculo tiliacio quadrangulo, quinque lineas lato, et septem pedes Parisinos longo. Prope alterum extremum baculi, auribus apertis, ab eoque seiunctis, nihil accepimus ex crepitante tinnitu horologii. Obturavimus aures, et baculi extremum apprehendimus nudis dentibus; clare percepimus horologii tinnitum ita validum, ut in ipso baculi extremo inter dentes videretur cieri. Extremo baculi aures apertas admovimus; itidem tinnitum sensimus oriundum quasi in ipsis auribus, non excitatum eminus. Anteriorum dentium modo superiores, modo inferiores, appressimus baculo, pariter tinnitum sensimus. Dentibus aeque clare percipitur tinnitus ac auribus admotis baculi extremo, imo validior esse videtur tinnitus qui cum dentibus communicatur, quam qui ex baculo in aurem externam migrat. Auribus pariter ac dentibus accipitur sonus ex baculo, sive hic impositus sit mensae, sive fulcro innixus, sive filis suspensus. Propagatur sonus ex baculo in alios, tum in directum dispositos, tum sub angulis iunctos et brachiatos. Divisum hoc modo et multiplicatum sonum una percipiunt plures, qui dentes applicant brachiorum istorum extremitatibus. In orbe

ligneo poſiti horologii tinnitus ſecundum omnes lineas diffunditur, ita ut per infixos orbi baculos, tum ligneos, tum metallicos, afficiat una dentes facientium periculum in baculorum extremis.

Ad percipiendas etiam voces humanas, et ſermones, et collocutiones, idonei ſunt dentes. Ad commode vero inſtituendum colloquium opus eſt baculo immobili; cuius extrema ita aptata ſint, ut applicata dentibus anticis ſuperioribus, nihil impediant vocum formationem. Verba igitur loquentis in uno baculi extremo dentibus ſuperioribus adiuncto, alter intelligit in altero extremo, cui dentes ſuperiores apprimit, ſi vel aures occluſas habeat immiſſis digitis, vel per baculi longitudinem tantum diſtet a loquente, ut voces eius ad aures non pertineant. Viciſſim, ſi hic reſpondeat in hoc ſtatu, in quo dentes amborum applicati manent baculi extremis, alter, qui loquelam ſiſtit, ſuis dentibus audit reſponſionem.

Paſſim leguntur exempla ſurdorum, qui dentium opera uſi ſint ad audiendum. In praelectionibus in ſuas Inſtitutiones Rei Medicae, BOERHAVIUS (*), mentionem facit muſici ex morbo facti ſurdaſtri, qui ex arte chelyn pulſaverit, mordicus prehenſis inſtrumenti vertibulis. ATHANASIUS KIRCHERUS (**), cum ipſe vidiſſet hominem, qui hoc modo audiret tonos fidium, fatetur, ſibi hoc adeo mirabile videri, ut, niſi vidiſſet, narranti vix fidem haberet.

Inprimis memorabile exemplum expoſuit Medicinae Doctor, IO. IORISSEN, Veſalia Cliveníis, in Diſſertatione medica inaugurali, defenſa Halae 1757, qua explicatum ivit rationes phyſicas et médicas Novae Methodi, ſurdos reddendi audientes. Accidit, ut IORISSENI parens anno aetatis ſuae viceſimo audiendi difficultatem ſentiret. Adhibuit remedia, quae autem nihil profuerunt. Crevit potius gravitas auditus in dies ita, ut voces adſtantium non-per-

(*) Volum. IV. de Auditu pag. 414.

(**) in Muſurgia Lib. I. Sect. 7. Exp. 7.

perciperet ſurdaſter, niſi clamore ferirentur aures. De hoc malo depellendo conſuluit Medicos Germanos et Batavos; qui vero neque opem tulerunt, neque ſpem curationis dederunt. Adhibuit tubos acuſticos, quibus iuvaret auditum. Eorum tamen applicatio parum valuit ad diſtinguenda verba colloquentium. Poſthaec a muſico, cuius inſtitutione exerceri curabat filium IOANNEM, et filiam, in arte pulſandi pinnas tactiles polychordi, edoctus eſt viam, per dentes percipiendi fidium concentum, cuius audiendi deſiderium ſignificaſſet. Methodus fuit haec. Intentis fidibus ſuppoſitae trabeculae IORISSENIUS pater impoſuit digitis comprehenſum tubum argillaceum, ad ſugendum fumum Nicotianae aptatum, eiusque alteri extremo adiunxit dentes ſuperiores. Impelluntur pinnae tactiles polychordi, fides reddunt ſonos temperatos, dentes praeſtant auris externae operam vicariam, laetusque audit ſurdaſter chordarum tonos harmonicos. Aſt ignorat modum per dentes accipiendi ſonos verborum, eaque ratione intelligendi ſermones colloquentium. Cum amicis igitur, cognatis et liberis, animum verſavit in diverſa, in quibus locum nacta eſt tuba ſtentorea, cuius uſu tandem anno 1749. methodus deſiderata innotuit ſeptuagenario IORISSENIO. Is enim primo tubae orificium anguſtius admovit ſuperioribus ſuis dentibus, iuſſitque loqui fratrem in orificium alterum amplius. Sed nihil percepit ex fratris ſermone. Tum petiit, ut, ampliore iſto orificio dentibus ſuis appoſito, frater loqueretur. Facta adiunctione loquitur hic, ille ſentit et intelligit quaevis verba. Ut facilior et expeditior eſſet loquendi ratio, tuba ſtentorea cum tubo fumifero commutata eſt, qualem ante adhibuerat IORISSENIUS ad percipiendam harmoniam fidium. Sciendi cupidus ſurdaſter cum amicis et cognatis ſuis, ex quanto intervallo loquentium verba hoc modo perciperet, expertus eſt baculis ligneis longis ſex pedes, latis pollicem, craſſisque dorſum cultri. In horum uno extremo plane cognovit, quae loquens in altero dixiſſet. Periculum fecit aliquot eiusmodi

baculis

baculis connexis inter se, et dispositis in longam seriem, cuius extremitates tantum inter se distarent, ut exiliter loquentem in una, alter in altera, auribus integris et semotis vix sentiret. Sed surdaster IORISSENIUS, appressis dentibus clare audivit, quae in altera extremitate, adiuncta dentibus, loquentis lingua protulisset.

Memoratu digna observata sunt postea experimentis, captis de consilio IORISSENI filii, quo haberet, quibus illustraretur historia novae methodi audiendi. In os surdastri verba facta sunt admodum clara voce, modo per infundibulum laminis ferreis constructum, modo sine infundibulo. Ast nihil percepit surdaster. Idem, modo labiis, modo manu, arcte circumplexus baculum, verba loquentis minus explanate audivit, quam aut labiis diductis, aut remota manu, baculo innixo corporis duri superficiei acuminatae. Similiter debilitatam vocem sensit per baculum, si eius extremitatem comprehensam dentibus haberet. Haec ipsa vero extremitas, admota dentibus maxillae inferioris, nullum communicavit sermonem cum interno organo auditus. Surdaster usu baculi sensit eandem sermonis vim, sive adiungeret linguam palato aut dentibus, sive retraheret. Neque auditum per dentes obtundi animadvertit, ore repleto aqua. Superioribus dentibus apposuit basin vasis vitrei, ex quo cerevisia bibitur, et verba fieri iussit leni tenuique voce, in apertum orificium vasis, sine contactu dentium et labiorum loquentis. Facta hoc modo verba clare distincteque audivit. Basin vasis illius valide appressit labiis orique occlusis, et loquens margini vasis admovit dentes suos. Huius verba bene percepit surdaster. Vasa vitrea vinaria adhibuit, coni figuram habentia, cum annexis pedibus eiusdem figurae. Sed haec minus idonea deprehendit. Dentes vero, quibus loquentes apprimerent instrumenta haec, debuerunt esse stabiles et firmi. Per infirmos et mobiles propagata in baculos verba loquentis, minus clare percepit auditurus.

Quaera-

Quaeramus nunc de via, quae sono detur per dentes in aurem internam. Indagationem multum iuvabit contemplatio viae, qua per aerem provectus sonus, percussa tympani membrana, ad nervum acusticum feratur. Sonum effici constat motibus tremulis, quibus partes corporis sonantis disiungantur, rursusque coeant, eaque ratione ultro citroque agitatae inter se collidantur. Quod ex filis pendentes globuli metallici oraeque campanae contigui significant, utpote qui omnes prosiliunt una eo ipso momento, quo campana pulsatur. Idem confirmant per superficiem aquae stagnantis percurrentes salientium partium aquae motus in vase vitreo ampliori sonante ex ductu frictuque manus applicatae vasis superficiei externae superiori. Cum in eiusmodi collisu et concussu partium soni natura posita sit, facile intelligimus, a corpore sonante aeri contiguo, qui sonum accipiat et provehat, similes motus inferri, quibus partes aeriae huc illuc agitatae comprimantur et dilatentur. Quam sententiam illustrat existens sonitus, cum aer flagello caeditur. Huius enim vibratu et inflexu correpta aeris portio in spatium angustius cogitur. Ex hoc igitur coarctatae partes aeriae, propter auctam elasticitatem, moliuntur explicationem in spatium amplius, quae continuo sequitur absolutum tortuosum motum flagelli. Eaedem vero partes, quae mutua contentione se ipsae repellunt, repelluntur undique a vicinis, quarum elasticitatem simili compressione intendunt. Quo repulsu eas inter se collidi necesse est. Hi collisus et tremores, cum in meatu auditorio tympani membranam afficiunt, similes concussus generant tum in aere, qui auris internae cavernas explet, tum in ossiculis et instrumentis, quibus tympani et labyrinthi structura continetur. Nempe, tremoribus aeris in meatu auditorio concutitur membrana tympani, quae concussus acceptos cum malleo communicat. Malleo incus, incude stapeda, stapeda membrana fenestrae ovalis concutitur. Huius concussus migrat in ner-

F vum

vum acusticum, cuius pars mollis dictae membranae subiecta, in tria fila dispergitur, quae tres canales semicirculares in labyrintho subeunt. Huc igitur feruntur tremores, qui a corpore sonante per aera propagati membranam tympani concutiunt.

Itaque disquirendum est, an eaedem illae partes nervi acustici contremiscant, si dentibus anterioribus adiunctum elasticum corpus sonum recipiat? Disposita ossa inter dentes et ossa temporum, in quibus canales semicirculares labyrinthum efficiunt, ita inter se cohaerent, ut unum quasi existat os. Per hanc viam osseam igitur in labyrinthum migrant tremores, a corpore sonante cum dentibus communicati.

Sed quaeres de ratione, qua hoc fiat? Firmitas et duritia materiae osseae impedire videtur migrationem illorum tremorum. Per aera eos facile proficisci posse putamus, quod is sit fluidus, et contextus eiusmodi partibus, quae condensentur pressu, et vi certa insita se rursus dilatent omnes regiones versus. At vero corpora firma, ut ossa, metalla, et ligna, duritie sua non adeo reluctantur, ut non possint comprimi. Ex ebore tornata sphaera, ex alto delapsa in tabulam marmoream, in ipso contactu complanatur, protinusque resiliens rotunditatem resumit. Quod innotuit ex circulo, quem formatum viderunt tentatores in sphaeris demissis in eiusmodi tabulam atra mollique cera subtiliter illitam. Oriundus enim ex huius cerae contactu circulus multo latius patet, quam si sphaera tabulam istam attigerit sine facto lapsu et illisu. Ista vero complanatione fit, ut sphaerae partes compressae vicinas sibi partes e locis suis expellant, et hae porro sibi contiguas dimoveant. Quae mutatio locorum ex eo praesertim apparet, quod supra commemoratum est de subsilientibus globulis, qui ex filis pendentes oram campanae attingunt. Stylo enim imposita campana ita stabilita est, ut malle-

mallei pulſu non moveatur e loco. Non tantum ſuperficies externa duri atque elaſtici corporis frictu pulſuque concutitur, ſed inteſtinae ipſius particulae multifariam inter ſe commoventur. Quod clare indicant tremuli partium curſus, quos in aquae ſtagnantis ſuperficie naſci ſupra dictum eſt ex fricatione vaſis vitrei. Partes, quibus corpora dura et elaſtica conſtant, intervallis certis diſtinctae ſunt et ita contextae, ut flecti queant, flexaeque intervalla iſta occupent, et ſitum ſibi adiunctarum partium immutent. In his igitur corporibus nullus eſt locus, in quo excitati concuſſus non evagentur omnes regiones verſus. Itaque per ipſam ſtructuram partium, quibus elaſticorum ſubſtantia continetur, fieri neceſſe eſt, ut excitati in baculo elaſtico tremores in contiguos dentes tranſeant, et ex his in contigua oſſa, et per haec in nervulos, qui canales ſemicirculares labyrinthi circumeunt.

DES THUCYDIDES ACHT BUCHER DER Geſchichte, etc.

id eſt:

THUCYDIDIS DE BELLO PELOPONNESIACO Libri octo, ex Graeco in Germanicum ſermonem translati, multisque animadverſionibus criticis illuſtrati, a D. IO. DAV. HEILMANNO, Prof. ordin. Theolog. in Academ. Götting.

Lemgoviae, ex officina Meyeria, 1759. Alph. 3. plag. 9. in 8.

Si unquam viri docti, ad pulcherrimum et graviſſimum Thucydidis opus explicandum illuſtrandumque, ingenium atque ſtudium ſuum contulerunt, noſtro profecto illud ſeculo factum eſſe intelligimus. Quis enim ignorat

praeſtantiſſimam huius ſcriptoris editionem a Duckero curatam, quae non magis magnum Thucydidis ornamentum, quam optimum edendorum auctorum exemplum haberi debet. Multum deinde Abreſchii, Reiskii, Baueri induſtriam, in eodem negotio deſudaſſe nemo ignorat. Quibus, de Thucydide bene meritis, optimo iure accenſendus Cel. Heilmannus, qui quam periculoſae plenum opus aleae ſuſceperit hoc Auctore vertendo facile intelliget, qui illius indolem genusque ſcribendi perſpexerit, ſententiis magis, ut ille ait, quam verbis abundans, compreſſione rerum breve, et ob eam ipſam cauſam ſubobſcurum. Notum eſt, quid idem Cicero in Bruto de hoc ſcriptore iudicet: *Ipſae illae Thucydidis conciones ita multas habent obſcuras abditasque Sententias, vix ut intelligantur.* Sed vicit ingenium et induſtria Heilmanni plurimas difficultates huic negotio oppoſitas, atque eiusmodi nobis tradidit verſionem, quae quam proxime ad auctorem accedit, nullique ſecunda cenſenda eſt. Neque enim ſolum illud operam dedit Auctor, ut verba Thucydidis recte interpretaretur; ſed genium quoque, indolem, et elegantiam Germanici ſermonis prae oculis habuit, atque ut granditatem verborum Graecorum in verſione aſſequeretur ſummopere ſtuduit. Placuerunt vero inprimis nobis animadverſiones, verbis Thucydidis ſubiectae, in quibus illum lectoribus ſuis Graecae linguae intelligentiam ſatis eſſe probaturum ſperamus. Erunt illae luculenta teſtimonia, Auctorem non, ut mos eſt vulgo interpretum, ex verſione verſionem ediſiſſe, ſed Graecum exemplum ſecutum eſſe. Aliae harum animadverſionum antiquitatis et hiſtoriae eas partes breviter et docte explicant, quae lectorem remorari poſſint, ut L. I. c. 25. de κατάρχαῖς ſive ἀπαρχαῖς: c. 57. de δημιουργοῖς: c. 131. de ναοῖς et ἱεροῖς: L. II. c. 29. de προξένοις, et pluribus aliis. Plurimae vero ad rem Criticam ſpectant, aliorum errores refutant, et Auctoris interpretationem

tionem defendunt. Sunt vero profecto in his non pauca loca egregie exposita et illustrata, quorum sensum omnes priores interpretes ignoraverunt. Erit operae pretium delibare quaedam ex his animadversionibus, et cum lectoribus nostris communicare.

In L. I. c. 11. locum, neque a Stephano intellectum, neque ab aliis interpretibus explicatum, levi mutatione bene ita restituit: *ἐπειδὴ δὲ ἀφικόμενοι μάχῃ ἐκράτησαν· (δῆλον δε· τὸ γὰρ ἔρυμα τῷ στρατοπέδῳ οὐκ ἂν ἐτειχίσαντο) φαίνονται δ' οὐδ' ἐνταῦθα πάσῃ τῇ δυνάμει χρησάμενοι κ. τ. λ.* Hoc *δὲ* post *φαίνονται* abundare quidem videtur, sed non raro eiusmodi exempla apud Thucydidem occurrunt, ut L. I. c. 6. *ἐν τοῖς πρῶτοι δὲ Ἀθηναῖοι τὸν σίδηρον κατέθεντο.* Dici quoque possit, hoc loco particulam *δὲ* aliquo modo vim oppositionis tueri posse. In c. 20. Auctor haec *χαλεπὰ ὄντα παντὶ ἑξῆς τεκμηρίῳ πιστεῦσαι*, ita explicat, tanquam Thucydides verbo *πιστεῦσαι* pro *πιστῶσαι* utatur, i. e. confirmare, adseverare. In c. 19. *λογογράφους* reddit per fabularum Romanensium Scriptores. Id quod confirmari putat cum hoc Thomae Magistri: *λογογράφος — — οἱονεὶ ψευδογράφος*; tum Latinorum Logi, verbo ex Graecia accersito. Intelligunt enim Graeci per *λόγους* narrationes illas, quae ad delectandos lectores, et ad imitationem poetarum, sine metro scriptae sunt. Inde Photius, Cod. 199. Sotionis *περὶ ποταμῶν καὶ κρηνῶν καὶ λιμνῶν παραδοξολογούμενα*, alio nomine *λόγους* appellat. In c. 28. *δίκας ἤθελον δοῦναι παρὰ πόλεσιν, αἷς ξυμβῶσι*, per Ellipsin non raro obviam, *παρ' αἷς ξυμβῶσι δοῦναι αὐτάς*, ita explicat: rem discernendam iis permittere urbibus, quae ab utraque parte electae essent. Inde non opus est coniectura Abreschii. In c. 31. *ὀργῇ φέροντες τὸν πρὸς Κερκυραίους πόλεμον*, illud *ὀργῇ* per impetum sive ardorem interpretatur, quae significatio occurrit etiam L. II. c. 11.

 et

et L. V. c. 80. τὸ φέρειν τὸν πόλεμον vero per gerere bellum. Quare et versionem Porti, graviter ferentes bellum contra Corc. susceptum, et expositionem Scholiastae: ὀργιζόμενοι διὰ τὸν πόλεμον τῶν Κερκ. falsam esse arbitratur. In c. 39. subobscura haec: ἐγκλημάτων δὲ μόνων ἀμετόχους, οὕτω τῶν μετὰ τὰς πράξεις τούτων μὴ κοινωνεῖν, ita explicat: οὐδὲ, ἐγκλημάτων μόνων μετόχους, οὕτω κοινωνεῖν τούτων τῶν μετὰ τὰς πράξεις, tanquam τὰ μετὰ τὰς πράξεις, idem sit quod τὰ ἀποβαίνοντα τῶν πράξεων, ἀμετόχους vero in οὐ μετ. resolvatur. Lubenter Auctor τούτων ad Corcyraeos se referre velle ait, ita ut pro τούτοις positum sit; sed sibi non occurrere loca fatetur, in quibus κοινωνεῖν genitivum personae, ut dicunt Grammatici, regat. Non ineptum tamen effici sensum, si cum τῶν μ. τ. πρ. coniungatur. In c. 72. locum obscurum: τῶν δὲ Ἀθηναίων, ἔτυχε γὰρ πρεσβεία πρότερον ἐν τῇ Λακεδ. περὶ ἄλλων παροῦσα, καὶ ὡς ᾔσθοντο τῶν λόγων, ἔδοξεν αὐτοῖς παριτητέα εἰς τοὺς Λακεδαιμονίους, ut interruptam neque absolutam orationem, ita interpretatur, ut παροῦσα Parenthesin claudere, et deinde per Analepsin pergendum esse τῶν γ' οὖν Ἀθηναίων οἱ πρ. arbitretur; nisi quis malit Parenthesin usque ad προσελθόντες οὖν τοῖς Λακ. extendere. Exempla sunt obvia. Laudat Auctor Cicer. Tusc. Quaest. L. II. c. 1. In c. 75. καὶ γνώμης ξυνέσεως, ex Scholiis in textum translatum esse coniicit: nam ad verba Scholiastae, καὶ γνώμης ξυνέσεως ἤγουν προαιρέσεων, Glossati signum positum esse post ξυνέσεως, quod tamen erat ponendum post γνώμης: neque etiam Scholiasten γνώμης ξυνεσ. per προαιρέσεως explicare potuisse, quanquam γνώμης per συνέσεως sive προαιρέσεως explicare potuerit. In L. II. c. 19. legit Auctor χωρίον μέγιστον τῆς Ἀττικῆς τῶν δήμων καλουμένων, et omisso commate, post Ἀττικῆς hoc verbum cum δήμων coniungit, ita ut τῆς

τῆς Ἀτ. non a χωρ. ſed a δήμ. regatur. Eſt enim haec verborum conſtructio non inuſitata Thucydidi, ut eod. libr. c. 18. τῆς Ἀττικῆς ἐς Οἰνόην: c. 21. τῆς Ἀττικῆς ἐς Ἐλευσῖναν: c. 25. τῆς Ἠλείας ἐς Φειάν. In c. 29. levi transpoſitione facta mavult Auctor legere pro βουλόμενοι σφίσι τὰ ἐπὶ Θρᾴκης χωρία καὶ Περδίκκαν ξυνελεῖν αὐτόν, βουλόμ. σφίσι τὰ ἐ. Θ. χ. ξυνελεῖν αὐτὸν καὶ Περδίκκαν. In c. 36. ἐν τῇ καθεστηκυίᾳ ἡλικίᾳ, reddit per praeſenti aetate: eſſe enim καθεστηκὸς aliud nihil quam παρὸν, τὸ ὑπάρχον. Sic Thucydidem ipſum dicere in L. I. c. 130. et c. 132. In c. 42. locum a pluribus tentatum ita reſtituit, ut in ἢ τῷ ἐνδόντες σώζεσθαι, abiiciat τὸ (῀) a τῳ, et deinde ordinem verborum hunc faciat: ἡγησάμενοι ἐν αὐτῷ τῷ ἀμύνασθαι παθεῖν μᾶλλον, ἢ ἐνδόντες τῳ (τινὶ) σώζεσθαι. In c. 44. pro ἀσφαλείᾳ ξυνοίσειν, legit ξυνοικεῖν: primum enim Thucydidem ἀσφαλείᾳ ſine articulo adverbialiter pro ἀσφαλῶς poſuiſſe; deinde, ſi vel adeſſet articulus, συνοίσειν non locum habere poſſe, quoniam in exprimenda re cum πρὸς et accuſativo conſtruendum eſſet; eſſe denique tali modo aequalitatem temporum ἐρημοῦσθαι ξυνοικεῖν: Thucydidem vero per ἀσφαλείᾳ ξυνοικεῖν idem dicere de pluribus, quod de uno in L. I. c. 17. dicat: δι' ἀσφαλείας τὰς πόλεις ᾤκουν. In L. III. c. 11. coniicit Auctor, niſi omnes codices conſentirent, legendum eſſe: ὁ παραβαίνειν τι βουλόμενος τοῦ μὴ προέχων ἂν ἐπελθεῖν ἀποτρέπεται, pro τὸ μὴ ἀποτ. ſic ut Thucydides L. I. c. 76. dicit, τοῦ μὴ πλέον ἔχειν ἀπετράπετο. Etſi enim ἀποτρέπεσθαι cum accuſativo non inuſitatum eſt, ſignificatio tamen deteſtandi, qua tunc gaudet, h. l. vix convenit. In c. 17. locus eſt difficilis: καὶ κατὰ τὸν χρόνον τοῦτον, ὃν αἱ νῆες ἔπλεον, ἐν τοῖς πλεῖσται δὴ νῆες ἅμ' αὐτοῖς ἐνεργοὶ κάλλει ἐγένοντο, παραπλήσιαι δὲ καὶ ἔτι πλείους ἀρχομένου τοῦ πολέμου, de quo elegans eſt Auctoris diſputatiuncula. Primum non veriſimile illi videtur, Thucydidem,

dem, qui antea tam accurate rem definiverit (κατὰ τὸν χρόν. — ἔπλεον) per ἐν τοῖς illud dicere voluisse, quod Portus dixit: in his rebus, quas tum gerebant: malle se lectionem codicum ἀυτοῖς eligere, et cum priori immediate coniungere, ἐν ᾧ ἀι νῆες ἔπλεον ἀυτοῖς: hoc enim ex more Thucydidis idem esse ac ἐν ᾧ ἔπλ. ἀι νῆες ἀυτῶν, i. e. ἐν ᾧ ἀπέστελλον τὰς νῆας, sicut L. II. c. 101. ἡ στρατιὰ σῖτον ἐκ εἶχεν ἀυτῷ: deinde κάλλει additum ἐνεργοὶ esse adverbiale adiunctum; sic etiam Herodotum aliquo loco μεγάθει uti: referendum etiam esse hoc non tam ad totius classis speciem, quod Thucydides per τὸ ναυτικὸν expressisset, sed ad singularum navium aedificationem et exornationem: porro ἀρχομένε τε πολέμε positum esse pro ἢ ἀρχ. τε πολ. sive πλεῖςς τῶν ἀρχ. τ. πολ. nempe ὑπαρχόντων; neque rem maritimam Atheniensium initio belli indicare, sed praesentem cum priori comparare: denique παραπλησία hoc loco non similitudinem, sed paritatem numeri indicare, ut c. 19. L. VII. παραπλήσιαν δὲ καὶ — ἐπὶ τῆς Βοιωτίας ἀπέχει, ad paritatem distantiae refertur. Verum haec sufficiant, ad eruditionem Auctoris, et praestantiam huius versionis demonstrandam, quam praeterea Auctor, brevibus argumentis et indice copioso addito, utilem summopere et commodam reddidit.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiae

Calendis Februarii Anno MDCCLX.

BIBLIA HEBRAICA CUM NOTIS CRITICIS ET Verſione Latina ad notas criticas facta. Accedunt libri Graeci, qui Deutero-Canonici vocantur, in tres claſſes diſtributi. Auctore CAROLO FRANCISCO HOUBIGANT, Oratorii Ieſu Sacerdote.

Lutetiae Pariſiorum, via Iacobaea, apud Antonium Claudium Briaſſon, ſub ſigno Scientiae: et Laurentium Durand, ſub ſigno Gryphi, 1753. fol. cum approbatione et privilegio Regis.

TOM. I, Pentateuchum complectens una cum Prolegomenis: 10. Alphab. 4. plag.

TOM. II, complectens Prophetas priores h. e. hiſtoricos libros, Ioſuae, Iudices, libros Samuel, et libros Regum, una cum claſſe Hiſtorica librorum, qui Deutero-Canonici vocantur, h. e. libris Tobiae, Iudith, et Macchabaeorum: 9. Alph. 12. plag.

Perverſitas ingenii humani ut ex multis aliis rebus elucet, ita maxime ex eo poteſt cognoſci, quod homines in rebus iis, quae plurimum utilitatis afferre poſſint omnibus, parum ſtudii ponunt, ſed in iis, quae parum, vel tamen non tantum proſint multis, plurimum. Neminem fugit, quanto ſtudio ſemper docti homines fontes ſapientiae humanae aperuerint, hoc eſt, quanta diligentia

gentia libros Romanorum et Graecorum veterum non modo enarraverint et interpretati ſint, verum etiam vel Codicum manu ſcriptorum ope, vel ingenii auxilio, emendarint atque correxerint. Fontes autem ſapientiae divinae et ſalutis hominum, hoc eſt, libri divini utriusque Foederis, num eandem diligentiam doctorum Virorum, idem ſtudium, experti ſunt? Non opinor. Novi quidem Teſtamenti librorum Corpus, poſt inſignes illas, Millii, Bengelii, Vetſtenii curas, ſatis pulcrum perfectumque videtur; ſed libri veteris Teſtamenti habent, credo, abunde, quod accuſent negligentiam Chriſtianorum hoc in genere et incuriam graviter. Etenim, poſtquam *Iacobus Ben Chaim*, Iudaeus, Hebraicos libros Venetiis, ſaeculo ſexto decimo, e Codicibus non optimis, quod indiciis conſtat non paucis, ediderat: hoc eius exemplum ſequentes Editores omnes ita ſequuti ſunt, ut opera eorum tantum in eo verſata reperiatur, ut menda librariorum vel tollerent, vel aliis etiam, uti fit, cumularent. Nam etſi *Felix Pratenſis*, qui poſt Iacobum illum Ben Chaim libros Vet. Teſt. emiſit, aliis uſus eſt Codicibus: tamen Editio eius a prima Veneta non magis differt, quam *Buxtorfiana* et *Athiana*, quam *Leusdenus* primo, deinde *Hoghtius*, *Opitius*, aliique repetiere. Neque vero Valtonus in Polyglottis ſatis diligenter excerpſit lectiones Codicum Hebraeo Samaritanorum. Sed quemadmodum negligentiae huius et incuriae unica cauſſa videtur fuiſſe ineptum quoddam ſanctitatis ſtudium, ne, ſi lectiones Codicum variae colligerentur, ſi iudicium de iis ferretur in utramque partem, ſi coniecturae in medio ponerentur, libri divini corrupti neque integri putarentur: ita non laudari ſatis poſſe arbitramur operam, quam *Hubigantus*, Vir doctiſſimus, neglectis contemtisque iſtis ineptiis, et repudiata miſera ſuperſtitione, poſuit in libris Hebraicis ita edendis, ut et varietatem lectionis colligeret, et coniecturas de locis obſcuris depravatisque proferret varias.

Ut

Ut tamen lectores nostri de toto hocce Opere, formulis elegantissimis, et in chartis perquam candidis descripto, quid existimandum sit intelligant: narrabimus primo breviter, praeeuntibus Prolegomenis, quid sequutus sit in eo *Hubigantus:* deinde ostendemus exemplis variis, quid laudandum nobis videatur, quid reprehendendum, cum in Versione Latina, tum in notis Criticis.

Prolegomena, Parti Operis primae praefixa, descripta sunt in quinque Capita. Ac *primo* quidem *Capite* docetur, Codices Hebraeos, qui restant hodie, non esse eiusmodi, ut auctoritatem eorum atque fidem diligens librorum Vet. Test. editor, temere, nulloque adhibito iudicio, sequi possit. Id quod tribus maxime rationibus confirmatur. *Primo* enim Codices Hebraei nostri non satis vetusti sunt, quippe quum fere nullus habeat plus annos sexcentos, plurimi etiam pauciores. omnes enim descripti sunt inventis iam et receptis in libros Punctis vocalibus, quod ex eo intelligitur, quia nullus Codex nunc extat, in quo non saepissime desiderentur litterae אהוי: cuius rei auctores fuisse ipsos Iudaeos Masoretas non ante saeculum a nato Christo nonum, Morinus vicit in Exercitationibus Biblicis. *Deinde* sunt iidem Codices inter se vehementer dissimiles, non modo quod ad Puncta vocalia attinet, verum etiam qua litteras, et consonantes, et vocales אהוי; quod maxime apparere ait *Hubigantus* e Codice quodam Collegii sui, saeculo XII. scripto, in quo permulta vocabula legantur plenius, non extritis illis litteris vocalibus. *Denique* Codices qui supersunt Hebraicos non accurate et diligenter, immo admodum mendose descriptos esse, ipsa eorum docet inspectio. Neque enim Masora potuit eos a vitiis et erroribus librariorum liberos praestare: non antiqua, quae multa praeterit, multa affert aperte falsa; non nova, cuius primo exemplarium mira fuit paucitas, ut credi nullo modo possit, omnes illa librarios usos esse; deinde ipsa est male descripta misereque turbata, nec absoluta, et a paucis librariis tota illata in Codices. Dicitur a Iudaeis

סייג לתורה haud dubie propterea, quia in Capite et ad calcem Codicum et in marginibus fuit collocata. *Secundo* Prolegomenorum *Capite* disputat Auctor, et vincere studet, omnes Hebraicorum librorum Editiones nostras esse mendosas, et inquinatas vitiis permultis. Nam primo Codices scripti sunt ab Iudaeis, hominibus imperitis et rudibus: deinde facilius et prius peccari potuit in describendis verbis Hebraicis, quam Latinis et Graecis, cum ob magnam litterarum similitudinem, tum quia pleraque vocabula paucissimis constant litteris. Afferuntur autem ab *Hubiganto* peccata duplicis generis, et quidem e solo Pentateucho. Alia sunt eiusmodi, ut alius plane sensus locorum existat, verbis, verborumve litteris singulis, vel mutatis, vel omissis, vel additis, vel traiectis denique: alia, sensu verborum salvo, gignunt soloecismos, barbarismos, et scribendi formas falsas. Exempla cuiusque generis quaedam paullo inferius proferentur.

Iam, quae *tertio Capite* contineantur, videbimus. Est autem illud, nostro quidem iudicio, ut copiosissimum, ita etiam utilissimum. Demonstrantur enim in eo adiumenta, quibus instructus esse debeat is, qui velit adornare editionem librorum Hebraicorum bonam, atque utilem studiosis. Primum adiumentum est Codex Hebraeo Samaritanus Pentateuchi; quem primo docet *Hubigantus* non sequutos esse interpretes Alexandrinos: quod concedendum hactenus arbitramur, ut ex uno tamen fonte manasse existimetur et Samaritanus, et Hebraeus Alexandrinorum Codex. Tanta certe est utriusque similitudo ubique! Deinde, quales ex eodem Codice Samaritano peti promique emendationes possint, pluribus docetur. Denique exponitur de ipsis Codicibus Samaritanis Pentateuchi, qui restant hodie, de eorum fide et auctoritate, caeterisque dotibus: quorum praestantia vel ex eo potest cognosci, quia respondent iis Codicibus, quibus Hieronymus, Procopius, aliique Ecclesiae Christianae veteris doctores, usi sunt. Sunt autem eorum sex maxime. Primus membraneus, iam in Bibliis Polyglottis Parisiensibus a Morino,

Morino, et ex iis a Valtono, negligenter tamen nonnunquam, redditus, ab *Hubiganto* vocatur *Oratoriensis prior*, estque omnium optimus, emtus quadringentis aureis. *Oratoriensis posterior*, cuius prior dominus *Nolinus* fuit, et quem *Hubigantus* primus adhibuit, continet ille quidem totum Pentateuchum, sed in membranis diversis descriptus est, neque ab uno librario. Hunc excipiunt *Usseriani duo*, ab Usserio in Palaestina emti; et *Leidensis:* quibus Valtonus, sed admodum negligenter, usus est, et ad quos Hottingeri reprehensiones pertinent. Vetustate Oratoriensem primum vincit *Peirescianus secundus*, et bonitate Oratoriensem secundum. *Peirescianus primus*, qui nunc est in bibliotheca Parisiensi Regia, mutilus est. desunt enim decem versus primi Capitis Geneseos, inde ab undecimo. Praeterea alius extat in bibliotheca S. Genovefae, chartaceus, et truncatus: quem tamen *Hubigantus* ostendit se non contulisse, quod vidisset nihil utilitatis ex eo labore redundaturum in libros divinos esse.

Ad alteram adiumentorum classem pertinent Codices manu scripti Hebraici. Etsi enim et Felix Pratensis, et Buxtorfius pater, et Athias, et Opitius, videntur habuisse Codices diversos ab iis, e quibus Editio V.T. Veneta prima ducta est: tamen iam supra vidimus, eam ab omnibus esse ita repetitam, ut nullam lectionis varietatem e suis libris adiunxerint. Hubiganto vero, quum non placuisset, hanc superstitionem hominum timiditatemque ineptam imitari, visum est non modo Codices scriptos, quos nancisci potuisset, consulere, sed ita consulere, ut variantes ex iis lectiones excerperet, et, quam utile esset hoc institutum libris divinis integritati suae et dignitati restituendis, doceret. Adiit igitur Codices primo Oratorienses quinque integros; sextus enim continebat tantum Pentateuchum et libros Hagiographos, ut vocant: et tres alii Prophetas cum maiores, tum minores. Primus, idemque antiquissimus, signatus n. LIII, qui etiam ab Opitio commemoratur, scriptus est anno nono saeculi undecimi in Hispania, litteris quadratis, quales sunt in

Bibliis Regiis Antverpienſibus, et elegantibus, ſine punctis vocalibus; quae tamen poſtea addidit alia manus. Eadem adiecit, praeter ſcripturas Ben Aſeris et Ben Nephthali, cum Maſorae parvae notas in margine, tum magnae partem quandam, textumque ad normam eiusdem Maſorae emendavit atque correxit. Caeterum libri Moſis in hoc Codice inter ſe ſunt ſeparati trium modo verſuum intervallo. Secundus Codex Oratorienſis, n. LV, anno primo ſaeculi tertii decimi ſcriptus eſt, et a Richardo Simonio in Hiſtoria critica V. T. deſcriptus. Paullo recentior eſt tertius, n. XLII, tribus conſtans Voluminibus formae maximae, quorum primo continetur Paraphraſis Onqueloſi, Hebraicis textis, verſibus alternis, interpoſita. Scriptus eſt litteris Hebraeo-Germanicis, ad formam Gothicarum accedentibus, exhibetque in multis vocabulis litteras אהוי, in quibus Maſora illas docet non legi, ſed ab admiratore Maſorae quodam deletas. Quae ipſa, et parva, et magna, ſed alio atramento, addita eſt. Quartum Codicem, n. LVII, *Hubigantus* putabat in Italia ſcriptum eſſe. Litterae eius ſunt minutae, punctisque vocalibus carent. Quae tamen puncta aliena manus adiecit in quinto Codice, n. LVI: qui uti Galliam videtur patriam habere, ita vetuſtate ſuperat tres ſuperiores, ſcriptus litteris mediocribus. Sed in ſexto Codice, n. LIX, litterae ſunt grandes; quibus recentior manus ſubiecit puncta vocalia. nam Codex ipſe videtur undecimi ſaeculi partus eſſe. E bibliotheca Pariſienſi Regia habuit *Hubigantus* Codices tres. Primus, n. III, ſcriptus eſt in membrana, litteris maiuſculis, utraque Maſora ſtipatus: ſecundus, n. LVII, et ipſe membranaceus, deſcriptus eſt e Codice vetuſtiore iis, e quibus noſtrae Hebraicorum librorum Editiones fluxere, bonasque lectiones exhibet: quae eſt ipſa dos Codicis tertii, n. XXIX, deſcripti non ante quadringentos annos, quaternis, in membrana, e Codice antiquiore iis, qui nunc extant, omnibus. Caret utraque Maſora, et magna et parva. Praeter hos Codices inſpexit Hubigantus duo Volu-

-mina

mina Synagogae, ut vocant; quorum alterum ſcriptum erat in corio hircino aut vitulino.

Sed tertium bonae editionis V. T. parandae adiumentum ſunt Verſiones interpretum veterum. Nam quum res ipſa clamet, extitiſſe olim libros, in quibus lectiones eſſent diverſae a lectionibus noſtrorum Codicum, quidni liceat e Verſionibus varias colligere ſcripturas? praeſertim quum fere facile ſit e Verſionibus reperire, quid legerint auctores illarum in ſuis Codicibus. Quae omnia ab *Hubiganto* diligenter et accurate diſputantur contra Buxtorfium filium, qui libros Hebraicos contendebat nonniſi e Codicibus Maſoreticis emendandos eſſe. Quodſi et libri ſcripti, et Verſiones veteres interpretem deſtituant, tum vero confugiendum erit ad artem Criticam, in qua ponitur ab eodem *Hubiganto* quartum editionis V. T. bonae adornandae adiumentum. Artis huius et utilitas magna, et neceſſitas, multis demonſtratur ab eo; ſed cavendum eſſe ſapienter docetur, primo ut coniecturae, quamvis certae, ne inſerantur contextis: deinde ne fiant plures, quam res ipſa cogat: tum ne quis ad emendandos libros V. T. accedat, niſi indolem naturamque linguae Hebraicae planiſſime habeat cognitam. quod quum fieri ſine ſcientia linguarum Hebraicae affinium nullo modo posſit, et has neceſſe eſſe oſtendit, ut artis Criticae ſtudioſus perdidicerit. Sed de adiumentis hactenus. Iam quomodo iis uſus ſit, certe uti voluerit, *Hubigantus,* videbimus: qua de re *Caput* Prolegomenorum *quartum* exponit.

Contulit primo e Samaritanis Codicibus Oratorienſem primum, per biennium fere totum, cum editione Hoghtiana diligentisſime, lectionesque eius varias in marginibus ſui exempli collocavit. Deinde Hebraicos Codices, ſupra commemoratos, conſuluit quidem, ſed paucas ex iis ſcripturas attulit, et has nonniſi e Codicibus Reg. XXIX, Orator. LIII. et XLII, quippe optimis. Tum comparavit cum textis Hebraicis Verſiones veteres, cum orientales, ut Chaldaicas, Syriacam, Arabicam, Samaritanam, quae extant in Polyglottis: tum Graecas, ut Alexandrinorum, Aquilae,

Aquilae, Symmachi, Theodotionis, etiam Vulgatam: quibus quidem ita usus est, ut non modo lectiones inde varias collegerit, verum etiam significatus vocabulorum Hebraicorum amissos investigarit et repererit. Atque hac in parte laboris utilissimi adhibuit maxime Capelli Criticam, cum Buxtorfii filii Anticritica, Bocharti item libros, et Commentarios Grotii, de quibus sentit non optime (Prolegg. pag. 151.), melius tamen quam de Clerici in libros V. T. notis. Praeterea e bibliotheca templi metropolitani Rothomagensis acceperat Polyglotta Londinensia, quorum marginibus commiserat, inprimis in Hagiographis, notas breves, in quibus lectiones maxime e Versionibus antiquis variae collectae erant, manus Richardi Simonii: cuius operae specimen ipse Simonius edidit Ultraiecti, anno quinto et octogesimo superioris saeculi, in epistola Ambrosii ad Origenem de novis Bibliis Polyglottis. Denique eodem quarto Capite regulas quasdam atque leges, ut ita dicamus, tulit *Hubigantus*, ad quarum normam dirigeretur omnis facultas critica cum in indagandis, tum in corrigendis mendis Hebraicorum librorum: quae tamen leges, praesertim eae, quae pertinent ad indaganda librariorum peccata, vehementer veremur, ut unquam futurum sit, ut perferantur ab Auctore, et a Viris doctis peritisque artis criticae iubeantur. Sunt enim, paucis exceptis, omnes arbitrariae et perniciosae, declarantque satis, *Hubigantum* doctrinam, ingenium, orationem scriptorum divinorum, suo modulo et pede mensum esse, eosque voluisse esse Hubigantos, hoc est eos, qui uterentur eadem diligentia, eodem in narrandis rebus ordine, iisdem verbis quibus Hubigantus usus esset, si eosdem libros conscribere; eadem prodere memoriae, Hebraica lingua debuisset. Nobis, per brevitatem, cui servire tenemur, non licet de omnibus diligenter accurateque quaerere: sed cohortamur tamen studiosos sacrarum litterarum, vehementerque rogamus, ut si quid scribere hoc in genere velint, legum Hubiganti rationem habeant, et vel vanitatem earum demonstrent

ſtrent caſtigentque, vel veritatem et utilitatem laudent confirmentque. Noſtrum de regulis hiſce iudicium cognoſcetur aliqua ex parte ex iis, quae inferius dicentur. Nunc quae quinto eodemque ultimo Prolegomenorum Capite contineantur, commemorabimus breviter. Pertinet autem illud et ad contextum Hebraicum, et ad verſionem Latinam. Et contextum quidem Hebraicum totum expreſſit ex Athiano exemplo, ut ab Hoghtio editum eſt, ſed deletis operarum vitiis, et omiſſis punctis vocalibus, quae a Iudaeis recentioribus inventa ait (pag. 172. ſſ.). Maioris interpunctionis figuram retinuit, ſed Atnachi loco poſuit punctum ad medias litteras. Omiſit etiam in Pentateucho Sectiones illas maiores, quae littera פ vulgo ſignantur; verum minores Sectiones ita retinuit, ut erant in Samaritano Codice. Neque vero Capitum verſuumque ordinem atque numerum immutavit, ne Concordantiarum, uti appellant, uſus redderetur inutilis, et tolleretur. Et quum indices, ſummaeque Capitum, non diligenter ſatis factae et aptae viſae eſſent, alias aptiores accuratioresque fecit. Sed de ipſa Verſione Latina, quam Hebraicis textis adiunxit novam, factam ad notas criticas, Capitibus ſingulis ſubiectas, quid nobis videatur, ex iis, quae mox dicentur, intelligi poterit.

Nam quum omnes Operis virtutes vitiave enumerare et recenſere, res ſit propemodum infinita; quum cognoſcere omnia et ponderare brevitas noſtra non ſinat: tamen, ut lectores noſtri poſſint exiſtimare, quanti facienda ſit opera *Hubiganti*, quantum ei pretium ſtatuendum, exemplis ſaltem nonnullis, e libris cum hiſtoricis, et in his e Geneſi maxime, tum Propheticis, proferendis, conabimur cuique copiam faciendi iudicii facere. Atque nunc quidem opera noſtra ad hiſtoricos tantum libros pertinebit: alio tempore etiam e Propheticis libris proferentur ſpecimina.

Incipiemus a bonis atque virtutibus operis Hubiganti. *Primo* magna Verſionis Latinae dos haec eſt, quod

pleraque loca ita reddit, ut ſine verbis Hebraicis intelligi poſſint: quam legem violari vulgo, ſic ut verba Latina etiam obſcuriora ſint Hebraicis, quis ignorat? Exempla haec ſunto. Geneſ. III, 8. לרוח היום *decreſcente die*; cap. XV, 16. לא שלם *nondum ad ſummum creverunt*. Iam quum Alexandrini interpretes verba illa vertant, οὔπω ἀναπεπλήρωνται αἱ ἁμαρτίαι· putamus ex illis intelligi debere formulam ἀναπληρῶσαι τὰς ἁμαρτίας, h. e. *ſcelera ita cumulare, ut non ferenda amplius, ſed a deo vindicanda, videantur*, qua Paullus utitur 1 Theſſ. II, 16: praeſertim quum etiam in Syriaca verſione extet ܠܡܫܠܡܘ. Sed redeamus ad *Hubigantum*. Geneſ. XVI, 2. verba אולי אבנה ממנה eleganter reddit, *ſi forte ex ea prolem ſuſcipiam*; quomodo Symmachus quoque interpretatus eſt; nam Fut. אבנה explicat per τεκνωθῶ. τεκνῶσθαι autem ſignificat *liberis donari, matrem patremve fieri*. Cap. eod. v. 9. והתעני תחת ידיה *teque ei ſubmitte*. Poterat tamen fortaſſe rectius reddere, *teque imperio illius ſubiice*. Cap. XVII, 6. הפריתי אתך במאד מאד. *augebo te prole numeroſa*. Cap. XVIII, 2. ישתחו ארצה *eos pronus ad terram ſalutavit*. Sed verba *ad terram* omitti poterant. Cap. eod. v. 11. חדל להיות לשרה ארח כנשים, *mulierumque menſes non iam patiebatur*. Aeque eleganter Alexandrini reddunt, ἐξέλιπε τῇ Σάῤῥᾳ γίνεσθαι τὰ γυναικεῖα. nam γυναικεῖα ſunt, interprete Heſychio, τὰ ἔμμηνα, h. e. *menſtrua*. Cap. eod. v. 21. עשו כלה *in omne ſcelus ruerint*: et verſ. 25. חלילה לך *non eſt tuum*; ut Symmachus, οὐχὶ σόν. Cap. XXI, 20. רבה קשת *ſagittarius*. Nimirum pro קַשָּׁת legi debet קֶשֶׁת, ut legerunt Onkeloſus et Ionathan; ita ut רבה קשת idem ſit quod מורה החצים בקשת. Nam ſi קַשָּׁת eſſet per ſe *ſagittarius*, ut vult vulgus interpretum, quid neceſſe erat addi רבה. Cap. XXIII, 16. כסף עבר לסחר *argento publico et probato*. Eodem redeunt verba Alexandrinorum, δίδραχμα ἀργυρίου δοκίμου ἐμπόροις. Poſtremum tamen vocabulum poterat abeſſe. Cap. XXV, 22.

אם

אם־כן למה זה אנכי, *si ita erat futurum, quorsum concepi?* h. e. *utinam non concepissem!* Cap. eod. v. 30. הלעיטני *permitte ut comedam:* et verf. 32. אנכי הולך *iamiam fum moriturus.* Cap. XXVII, 1. תכהין *caligarent.* Etfi enim alii verbo huic fubiiciunt notionem hebefcendi, in his ipfi Alexandrini interpretes, et e recentioribus Schultenfius ὁ πάνυ (ad Iob. XVII, 7.): tamen illa altera notio Aquilae maxime auctoritate confirmatur, qui 1 Sam. III, 3. 13. id explicat verbo ἀμαυρῶσθαι, quibus ex locis planum fit, pro ἀλμυρώθησαν, quod in Cod. Coisliano legitur, in eiusdem Aquilae reliquiis Montefalconium veriffime refcribendum cenfuiffe ἠμαυρώθησαν. Cap. XXX, 30. לרגלי *per curas meas.* Cap. XLII, 9. ערות *aditus.* Cap. XLIII, 14. יתן לכם רחמים, *faciat vos acceptas.* Cap. XLI, 40. על־פיך ישק, *ex tuis imperiis pendebit.* Cap. XLIV, 21. אשימה עיני עליו *confpiciam.* Atque eiusmodi exempla plura, et e Genefi, et ex reliquis libris hiftoricis, laudari a nobis afferrique in medium poffent. Sed fperamus, lectores noftros vel ex his facile effe intellecturos, *Hubigantum* non haberi in numero eorum, qui inepta quadam fuperftitione capti, putant, verba Hebraica effe in verfione Latina omnia annumeranda, ne fcilicet quidquam de efficacia fenfus divini, ut ita loquamur, detrahatur.

Altera virtus *Hubiganti* eft, quod textum Hebraicum integrum reliquit, neque lectionibus Codicis Samaritani, quamvis bonis, neque coniecturis propriis, quamvis aptis, contaminavit. Utriusque generis exempla aliquot age apponamus. Genef. X, 4. pro דדנים, quod eft in libris vulgatis, legendum haud dubie eft רודנים e Cod. Samaritano: quam lectionem et Alexandrini confirmant, et ipfi libri vulgati, 1 Par. I, 7. Genef. XIV, 6. pro בהררם fine controverfia emendandum eft, ex iisdem libris, בהררי. Origo et cauffa huius varietatis cognofci facillime poteft e magna fimilitudine litterarum Samaritanarum ࠃ et ࠓ. Neque dubitamus, quin lectio וירק Cap. XIV, 14. quae eft

in Cod. Samarit., longe melior ſit lectione Vulgata וירק. Sic cap. XXVII, 5. verius in eodem Cod. legi putamus לאביו, quam להביא in libris vulgatis. Et quanquam eod. Cap. verſ. 40. pro תריד veteres iam interpretes varie legerunt: tamen fatemur, lectionem Samarit. Cod. תאדר nobis praeferendam videri reliquis omnibus. Idem Codex cap. XLIX, 4. pro פחז rectius exhibet פחזת: et Cap. L, 26. ויושם pro ויישם. Hae igitur aliaeque lectiones Cod. Samarit. plures, etſi manifeſte praeſtant Vulgatis: tamen earum nullam in texta coniecit *Hubigantus*, ſufficere arbitratus, ſi eas in marginibus collocaret, et in notis ſententiam de iis diceret. Sed et de coniecturis Viri commemorabimus nonnullas. Geneſ. VI, 9. pro תמים היה בדרתיו emendat תמים היה בדרכיו, ex Ezech. XXVIII, 15. quod e Vulgata nullus elici ſenſus poſſit, quia vocabulum דור cum ſuffixis non dicatur de aequalibus et eiusdem aetatis hominibus, verum de poſteris, ut Levit. XXV, 30. Sic Geneſ. XLI, 56. poſt בהם inſeri vult non inepte nomen בר. Leves autem vanaeque ſunt coniecturae eiusdem multae. Ita Geneſ. XXIV, 11. pro אל־באר legit על־באר: quaſi vero Praepoſitiones iſtae duae non permutentur inter ſe ſaepiſſime. Cap. XXV, 8. corrigit עמיו pro עמו: quum tamen Cap. XXXV, 28. in ipſo Cod. Samarit. legatur עמו. Cap. XXX, 27. 28. verba vult transponi in hunc modum: אם־נא מצאתי חן בעיניך · נקבה שכרך עלי ואתנה · ויאמר · נחשתי ויברכני יהוה בגללך: ſed repugnante ſerie orationis. Cap. XLI, 3. רקות legit pro דקות, et cap. XLIX, 4. עליך pro עלה. Hae aliaeque coniecturae etſi ſunt eiusmodi, ut probari vix poſſint: tamen gaudemus, nullam earum eſſe in contexta receptam: quam rationem ab optimo quoque Critico etiam in emendandis profanorum ſcriptorum libris teneri, quis neſcit?

Neque vero minus propterea laudari ab omnibus Hebraicae linguae ſtudioſis debet *Hubiganti* opera, quod non modo multa Grammaticorum commenta, maxime de gene-

generum permutatione, quae molestam non paucis invisamque reddunt sermonis Hebraici cognitionem, ope scriptorum librorum delevit et sustulit: verum etiam multos vocabulorum significatus vel restituit auxilio reliquarum linguarum orientis, vel reiiciendos docuit, vera germanaque scriptura reposita. Sic Gen. III, 20. pro הוא in Cod. Orator. XLII. legitur היא, et eadem ratione cap. XII, 18. in Cod. Reg. XXIX. ita ut Grammatici perperam et inconsiderate e mendosa vitiosaque multorum locorum scriptura collegerint, genus Femininum Pronominis Personae tertiae esse etiam הִוא, non modo הִיא: praesertim quum littera ו punctum vocale illud prorsus respuat. Neque vero minus placet, quod Genes. XLII, 11. aliisque locis pro נחנו reponendum אנחנו, fide Codicum suorum, docet, ostenditque illud נחנו deberi librariis Arabicae rationi assuetis. Eodem modo pro ה, Suffixo Masculino, restituit e suis Codicibus ו: ut Genes. IX, 21. Cod. Samarit. exhibet אהלו, non אהלה: et multis locis aliis. Genes. XXXII, 9. legendum est e Cod. Samarit. המחנה האחד pro האחת:- quo tollitur commentum de genere duplici nominis מחנה. Sic cap. XXXI, 39. in גנבתי Grammatici volunt litteram י paragogicam esse, quum tamen, eodem Codice Samaritano praeeunte, emendari debeat גנבת: et cap. XXXV, 18. pro בנימין corrigi oportet בנימים. Sed videamus etiam de significatibus vocabulorum restitutis. Genes. XXXIV, 13. lectio ידברו non est sollicitanda, neque cum interprete Syro intelligendum במרמה: immo דבר significat *inimice, dolose agere*; quae notio superest in lingua Arabica. Eodem Capite, vers. 12. aut legendum putat cum Samarit. אתן, aut servata Vulgata lectione, אתנה, dicendum, id esse a תנה *dare*, non a נתן. Aeque digna memoria sunt illa verba, quibus, mutata lectione, notiones fictae adimuntur. Genes. XIII, 18. verbum אהל Buxtorfius aliique volunt esse *tentorium movere*, quum tamen ubique significet *tentorium figere*. At pro ויאהל e Cod. Samarit. rescribendum est וילך, quod admodum verisimile

ſit, ויאהל ortum eſſe ex ויהלך, quod in Codicibus quibusdam extiterit pro וילך. Eadem ratione uti licet in tollendis notionibus, quas vulgo affingunt verbo הריק Geneſ. XIV, 14. nam pro וירק e Cod. Samarit. reſcribi debet וידק. דוק autem notat *numerare, luſtrare:* Franco Galli dicunt: *faire la revue.* Quo etiam Alexandrini reſpexerunt, in quorum Verſione eſt ἠρίθμησεν. Atque huius generis exempla multa cum in Geneſi, tum in reliquis libris hiſtoricis, inveniuntur.

Praeterea non pauca longe melius interpretatur et enarrat Hubigantus, quam vulgus interpretum: neque tam caeco vulgatae Verſionis amore ineptaque admiratione tenetur, ut negare ſuſtinuerit, auctorem eius nusquam erraſſe. Sic Geneſ. III, 15. perperam et mendoſe legi *ipſa* in Vulgata fatetur: ſed errat tamen, quum ait, ſolum interpretem Vulgatum ita accepiſſe verba Moſis. nam in reliquiis interpretis cuiusdam Graeci apud Montefalconium extat αὐτή. Bene vero interpretatur locum cap. IV, 7. הלוא אם תיטיב שאת ואם לא תיטיב לפתח חטאת רבץ, hunc in modum: *nonne ſi bene egeris,* (immo *recte feceris) acceptus eris; ſin male, aderit in foribus poena?* At pro רבץ legendum putabat תרבץ, ne genera diſcreparent. Eodem Capite verſ. 26. verba אז הוחל לקרא בשם יהוה vertit: *tum primum coepere homines dei nomine appellari.* Recte, quod ad priora verba attinet: ſed in poſterioribus uſum loquendi deſideramus.

Iam quia virtutes operis Hubiganti praecipuas demonſtravimus e libris hiſtoricis: ſequitur ut oſtendamus, quid nobis reprehendendum in eo videatur. Pertinent autem reprehenſiones noſtrae cum ad Verſionem Latinam, tum ad notas Criticas, reliquumque Opus.

Primo igitur nobis non probatur, quod putat Hubigantus, oportere in latina Verſione retineri characterem atque formam linguae Hebraicae. Ita enim exiſtet Verſio non Latina, ſed Hebraeo Latina, quae a nemine Latine docto intelligatur, neque ſine offenſione aurium ſumma legatur.

gatur. Quem Latinae rationi assuetum non offendant verba Cap. IV, 1. *Cognovit Adam uxorem suam Hevam, quae concepit peperitque Cain, et dixit, possedi hominem per Deum?* quae tota sunt Hebraica, non Latina. Sed eiusmodi vitiis innumeris contaminata est Versio Hubiganti. Deinde arbitratur idem Hubigantus, interpretem uti debere verbis intellectu facilibus, non exquisitis et raris; itemque iis, quae quasi consecrata sint religione: quod genus *bene dicere*, et alia. Quid vero, si notiones verborum Hebraicorum vocabulis profanis, ut ita dicam, reddi apte et ita ut intelligantur, possint, sacris non possint? Quid, si vocabula Latina facilia vim Hebraicorum non assequantur, lecta et exquisita assequi possint? Num iis abstinendum erit? an lector deserendus et destituendus? Sed, age, exemplis declarabimus nonnullis, quam obscuram, quam parum Latinam Versionem confecerit Hubigantus, dum operam suam direxit ad normam legum illarum. Genes. II, 1. צבאם reddit *ministerium eorum.* At quis sidera et stellas Latine dixerit *ministerium coeli?* quis herbas, arbores, animantes omnis generis, appellarit *ministerium terrae?* Latine quidem sidera nominari poterant *signa*, et ea quae terrae spatio continentur, *ornamenta*, *copiae* eius. Sic eodem Capite vers. 7. נפש חיה vertit *anima vivens*. inepte. Debebat dicere simpliciter *animans.* Cap. III, 16. verba, *multas dabo aerumnas tui partus,* admodum dubitamus, an intelligi a quoquam per se possint. nam primo quas *aerumnas partus* vocat, debebat *dolores* dicere: deinde quis unquam dixit *aerumnas partus dare?* Melius haud dubie verba Dei apud Mosen ita reddentur: *conflictandum tibi erit in partu doloribus summis.* Paullo post vers. 17. verba אֲרוּרָה הָאֲדָמָה vertuntur ab Hubiganto, *terra sit maledicta:* quarum vim nemo qui tantum Latine doctus sit, valeat percipere. Nos quidem illa sic reddidissemus, *terra nisi diligenter culta, nihil quidquam, idque tamen parce, neque copiose, nascetur.* Eodem pertinent cap. XXVII, 13. verba *in me erit maledictio.* immo, *mihi mala ista accidant*, vel etiam *ego*

vero

vero praestabo istud periculum. Sic eodem Capite vers. 35. verba ויקח ברכתך redduntur, *praeripuit benedictionem tuam*. nullo sensu. Facilius autem, opinamur, intelligerentur ab omnibus, si essent ita in Latinum conversa, *praeripuit, praecepit bona, quae ego tibi eram precaturus.* Sed magis etiam Hebraicam linguam redolent ista. Genes. XV, 15. *tu ibis in pace ad patres, et in senectute bona sepelieris.* Nam quot legis verba, tot comparent consuetudinis Hebraicae vestigia. Latina ratio postulabat, ut diceretur, *tu vero placide morieris natu bene grandis.* Quo ex loco verbis Simeonis apud Lucam (cap. II, 29.) *νῦν ἀπολύεις τὸν δοῦλόν σου ἐν εἰρήνῃ*, plus lucis affunditur, quam ex aliis reliquorum scriptorum locis omnibus. Verte: *nunc, quaeso, iubeas me mori placide atque bene.* Genes. XV, 18. *foedus fecit — sic dicens*, immo *hac lege.* Cap. XVII, 1. *ambula coram me*, et Cap. V, 22. *ambulavit cum Deo.* Debebat priora quidem verba reddere, *proba mihi pietatis constantiam:* posteriora autem non videmus cur non maluerit Hubigantus permutare hisce: *sanctitatem pietatemque probavit Deo*, vel *vere pius adversus Deum sanctusque fuit.* Neque Cap. XXXVIII, 7. Erem debebat nominare *nequam coram Domino:* qui qualis sit, a nemine Latinae tantum linguae gnaro potest intelligi: immo *maxime impium.* Ut *δίκαιοι ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ*, Luc. I, 6. sunt *vere pii adversus Deum, vere sancti*, non *iusti coram Deo.* Haec scilicet vis est formularum לפני יהוה, et בעיני יהוה. Sed maiora etiam formularum portenta auribus Latinis iudicabuntur haec, Genes. XXXV, 11. *reges de lumbis tuis oriuntur:* pro *reges ortum ducent a te*, vel *in posteris tuis reges erunt.* Nam apud ipsum Mosen in verbis מלכים מחלציך יצאו redundat nomen חלצים. etenim cap. XVII, 6. dixerat Moses simpliciter מלכים ממך יצאו. Quo minus erat vocabulum illud in Versione Latina reddendum. Cap. XXXIV, 3. habet eadem Versio, *anima eius cum Dina conglutinata est.* quae an concoquere Latinus stomachus possit, vehementer dubitamus. Cur non sequutus potius es, Hubigante, Onke-

Onkelosi auctoritatem, qui reddit, אתרעי את נפשיה? Ne enim emphasin atque vim latere in verbo חרבק arbitremur, Moses ipse prohibet, qui paullo inferius (vers. 8.) pro eo usus est verbo חשקה. Utrumque reddi eleganter, credimus, apteque potest ita, *animum adiecit;* praesertim quum in Versione Alexandrinorum extet verbum *προείλετο*, cui ampliorem notionem subiectam esse, quis contendat? Aeque monstrosa sunt verba Cap. VI, 17. *omnem carnem in qua inest spiritus vitalis*. nam primo non apparet, quid sibi velit *caro:* deinde ratio Latina non patitur *animantem* nominari *carnem in qua inest spiritus vitalis:* denique nec *spiritus vitalis* Latine dici posse videtur. Poteras certe, o bone, Mosis verba paucis sic explicare, *omnes animantes*. Neque vero magis intelligi putamus posse haec Cap. XVIII, 5. *cor vestrum reficietis*, pro *capietis cibum:* Cap. XV, 2. *ego vado absque liberis*, pro *moriar sine prole:* Cap. XVII, 17. *aiebat intra semet ipsum*, pro *cogitabat secum:* Cap. XXIX, 31. *aperuit vulvam eius*, pro *donavit eam fecunditate.* Eleganter sane Onkelosus vertit, ויהב לה עדוי *dedit ei facultatem concipiendi.* Sed si omnia huius generis vitia investigare persequique vellemus, oratio modum finemque non reperiret. Certe quum libri divini ex Hebraico in Latinum converti debeant propterea, ut ab linguae Hebraicae imperitis, sed sermonis Latini gnaris, intelligantur: speramus neminem fore, qui neget, Hubigantum lectoribus consulturum fuisse melius, si aut Latinam Versionem omnino omisisset, aut confecisset talem, quae non egeret nova interpretatione.

De reliquis Operis vitiis, et quae singulis contineantur partibus, dicetur alias.

DEUX MEMOIRES SUR LA FORMATION des Os, etc.

i. e.

DUO TRACTATUS DE OSSIUM CONFORMAtione,

tione, experimentis innixi. Auctore ALB. DE HALLER, Praeside Scientiarum Societatis Regiae Göttingensis etc.

Lausannae apud Marc. Mich. Bousquet et Socios, 1758. 11. plag. in 12.

Illustris Auctor, locum de nutritione expositurus, magnam ubique obscuritatem cum deprehendisset, et de ossium origine, incremento, et nutritione maxime dubius haesisset, ad experimenta et observationes recurrendum sibi esse recte iudicavit. Quapropter ex discipulis cuidam, cui nomen *Detlef*, illud negotium dedit, ut iunioribus animalibus, pullis scilicet columbinis, et catulis, ossa frangeret, ipsisque postea pabulum, radice rubiae tinctorum largiter conditum, praeberet. Quo facto sequentia observare licuit: ossium callum gigni ex succo gelatinoso, quem plorant extremitates ossium fractorum, et medullae praecipue, quique circumcirca effunditur; succum hunc paulatim fieri spissiorem, donec cartilagineam induat naturam; in hac oriri postea nucleos osseos, qui pedetentim aucti inter sese cohaerere incipiunt, ac tandem, quicquid cartilagineae naturae erat, obliterant; callum ipsum, plane perfectum, esse verum os spongiosum, simile extremis ossibus longis, et hoc ipsum post tempus aliquod fieri densius solidiusque; utramque ossis fracti extremitatem paene aequaliter conferre ad calli generationem; periosteum plane nihil facere ad callum generandum, neque calli partem esse, sed tum demum, cum callus satis iam formatus sit, nasci incipere; ex ossium callo provenire vasa, quae ad nucleos osseos illos abeant, plane uti in naturali ossium generatione; radicem rubiae tinctorum neque periosteum, neque cartilaginem, sed ossa solummodo ipsosque nucleos osseos atque callum prorsus perfectum satisque durum colore rubro inficere; neque lac, neque ossa foetus in utero gravido animalis radice illa pasti ruborem contrahere; tandem colorem rubrum paulatim evanescere, si animal pabulo

bulo ſine radice paſcitur. Haec quidem quamvis negotium oſſium nutriendorum bene illuſtrarent, Illuſtri tamen HALLERO viſum eſt, eandem rem oculis propriis, et in foetubus quidem propius contueri. Numeroſiſſimas igitur obſervationes in ovis gallinaceis, iisdemque incubatis, ſumma diligentia inſtituit, quarum ſumma ſequentibus continetur corollariis. Cartilago eſt primum oſſis elementum, naturamque ſuam paulatim paulatimque in oſſeam mutat. Cartilago prima aetate vix a gelatina flexili differt, ac octavo demum die quandam firmitatem atque elaſticitatem adipiſcitur. Sexto vero ſeptimoque prorſus flexilis eſt, adeo, ut Anatomicus figuram ipſi annularem dare pro lubitu poſſit; eodem tempore neque fibrae, neque laminae, neque vaſa conſpici poſſunt; pellucida inſtar aquae eſt. Os a cartilagine diſcrepat. Rigidum eſt et fragile, et coloris ex luteo rubicundi; fibroſum praeterea eſt, atque in fibras laminasque diviſum. Natura oſſea in diverſis oſſibus diverſo tempore apparere incipit; os tibiae prius quam reliqua oſſeam naturam induit, ſequitur femur, ſternum, maxilla, coſtae. Nota, unde oſſea natura cognoſcitur, eſt coloris mutatio, et opacitas, quae haud ita multo poſt in luteum, ac deinceps in rubicundum colorem tranſit. Eo tempore naſcuntur fibrae, ac poſt eas laminae conſpicuae. Circa diem nonum, aliquando ocyus, aliquando ſerius, formantur cavitates medullares, quae primum fibris illis internis carent, quas pedetentim accipiunt. Perioſteum una cum cartilagine, locum oſſis tenente, apparet, eiusdemque quam haec figurae eſt; adhaeretque principio epiphyſis et fini corporis oſſis; craſſius ibi eſt, quam alibi, et cum reliqua oſſis parte laxius cohaeret. A primis initiis admodum tenue eſt, deinde vero una cum oſſis perfectione ipſum etiam maiorem craſſitiem contrahit, atque arctius arctiusque cum oſſe cohaeret, ita ut, ſi ab oſſe detrahatur, facile primam ſecum rapiat oſſis lamellam. Vaſa vix ac ne vix quidem eo tempore conſpici poſſunt, ſed perioſteum album, atque ex fabrica cellulari compoſitum

I 2 eſſe,

esse, videtur. Medulla utplurimum versus diem tredecimum oculis obiicitur. Vasa, quae in cavitatem ossis penetrant, comitem habent fabricam cellularem. A vasis illis medulla vascula sua accipit. Epiphyses ossium una cum osse ipso prodeunt, sic ut statim, atque ossa formari incipiunt, prorsus conformatae sint. Ipsae epiphyses a corpore ossis in foetu primis diebus nullis limitibus conspicuis distinguuntur, sed corpus et epiphysis ossis unam eandemque partem constituunt, quamvis fieri possit, ut a se invicem separentur. Sequentibus vero diebus limites inter corpus ossis et epiphysin magis magisque fiunt conspicui, sic, ut verae articulationis speciem repraesentent, quae periosteo tanquam vinculo continetur. Maxima differentia, qua epiphysis ab ossis corpore differt, in eo cernitur, quod epiphysis tardius quam ossis corpus osseam naturam induit, diuque cartilaginea manet. De vasis ossium multa nova, eaque dignissima cognitu, habet Illustr. HALLERUS. In femore et tibia arterias principes, quas *nutritias* vocat, detexit; in femore quidem duas, in tibia unam. Die undecimo in oculos incurrunt. Descendunt in cavitatem medullarem ossis, habentes comitem fabricam cellularem, cruore tinctam, a qua rubor ossi accedit. Die decimo quarto visuntur duo rami principes huius arteriae, qui utrinque abeunt ad duos circulos vasculosos, qui in ea ossis parte, ubi prima rudimenta ossis apparent, conspiciuntur. Ex his aliisque permultis, quae compendio dici non possunt, Illustris Auctor colligit, periosteum non inservire conformationi ossis, sed negotium illud cordi et arteriis datum esse, iisdem scilicet partibus, quibus totius corporis animalis partes ceterae et conformationem et incrementum debent.

FRAGMENTA MARCHICA, SIVE COLLECTIO documentorum historiam Brandenburgicam illustrantium, lingua vernacula edita a PHILIPPO GUILIELMO GERCKEN.

Guel-

Guelpherbyti, ap. Io. Christ. Meisnerum, *PARS I.* 1755. plag. 12. *PARS II.* 1756. plag. 12. in 8.

Historiam Brandenburgicam prae omnibus aliis provinciis Germaniae documentorum inopia laborare, Cl. *Gerckenius* profitetur. Neque tamen hoc paucitati documentorum tribuendum esse, neque inde exortum, quod petentibus difficulter aditus ad archiva concedatur. Dignam vero esse historiam Marchicam, quae, ob arctissimam cum historia Germaniae coniunctionem, virorum doctorum ingenio atque diligentia illustretur, et explicetur. Iam Beckmannum et Gundlingium hoc consilium cepisse, sed praematura morte impeditos exequi non potuisse. Hisce omnium archivorum copiam factam esse, et Gundlingium codicem diplomaticum, 4000. documenta continentem, habuisse, quae ut in lucem proferantur optandum esse. Nactus quoque est Noster neque paucas, neque contemnendas chartas, quarum editione historiae Brandenburgicae lucem se affundere arbitratur. Proposuit enim sibi, non solum omnia documenta, quae historiam Marchicam, cum ecclesiasticam, tum politicam, atque etiam litterariam, illustrent, edere, sed vetusta quoque Chronica, Fragmenta historica, epistolas antiquas, Geographica e medio aevo praesertim repetita, aliaque ad stemmata nobilium pertinentia, publici iuris facere.

Prima pars exhibet documenta LXX. ab Anno 1161. usque ad Annum 1619. Primo loco ponitur Hermanni, Episcopi Verdensis, confirmatio fundationis monasterii sanctimonialium in Distorp, ab Hermanno Comite de Werthbeck factae A. 1161. ultimo Electoris Ioannis Sigismundi rescriptum ad sacerdotes Novae Urbis Brandenburgi de confessione, A. 1619. Gravissimis verbis haec Sigismundi epistola scripta est, vehementerque illum iratum fuisse testatur: — *Wo iemand in allen Ständen ist, der sich des friedens und einigkeit wenig befleisset, so seyd ihrs und andere, die da gerne Geistlich geheisen werden wollen. Gewislich Ihr*

 habet

habet je die Zeit daher in der Kirche zu Brandenburg weidlich tumultuiret, und immer einem allarm nach den andern angefangen, und das hat hernach heiſſen muſſen Euer Amt und Gewiſſen braechte es mit ſich, da doch die Kuh einer Windmühlen ſich mehr ähnlichet, als dieſelben eure actiones und begönſtigungen eurem Ambte: eines theils auch unter euch, oder auch vielleicht alle ſolche geräume gewiſſen haben, daſs ein wohlbeladner Wagen mit vier Pferden wohl hindurch fahren könte — daſs euch zu Ehren mit beſtande nachgerühmet werden möchte: Vix audiat Stygius Pluto, quod audent Sacerdotes Venerabiles Brandenburgenſes — *und die Erhaltung nicht der Beicht (dann darumb iſt es euch wenig zu thun) ſondern des hochgeEhrten ſehr geliebten Beichtpfenniges ſtecket darunter.* Eminet prae ceteris documentum XXIV. quo Albertus Brandenb. Marchio, duo altaria in parochiali eccleſia Eberswaldenſi ad miſſas et memorias progenitorum uxorum et filiorum faciendas A. 1300. fundavit. Emendatur enim hoc genealogia Marchionum Brandenburgicorum, ſuppleturque lacuna quaedam, etſi a nemine adhuc obſervata. Scribit Albertus: *et filiorum noſtrorum clariſſimorum Ottonis et Henninghi.* Fuerunt igitur hi filii Alberti III. ſed praematura fortaſſe morte extincti. Pag. 52. ſequ. duo producuntur documenta Annae, duciſſae Wratislavienſis, e quibus apparet, illam iam A. 1310. duci Wratislavienſi nupſiſſe, A. 1325. adhuc vixiſſe, atque ideo e documento A. 1327. in quo Henricus, dux Wratislavienſis ſcribit: *Coniugis noſtre Domine Anne recordacionis felicis:* hoc temporis intervallo obiiſſe. Documentum XXVII. de Bertholdo et Conrado de Riede, multum illuſtrat hiſtoriam electionis Imperatoris Henrici VII. Sunt quidem varia documenta, quae a Cl. *Gerckenio* eduntur, iam a Beckmanno, Hahnio, Ludevigio, Lenzio, edita: verum, cum in iis deſcribendis non accurate hi verſati ſint, plurimaque menda commiſerint, operae pretium ſe facturum eſſe exiſtimavit, ſi membranas chartasve denuo excuteret, emendatioresque prodire iuberet. Adſperſit ſubinde

ſubinde animadverſiones quasdam, in quibus obſcuriora verba explicantur, atque e hiſtoria brevibus exponuntur, quae ad intelligenda haec documenta neceſſaria viſa ſunt. Sic pag. 44. docetur, quid fuerint marcae denariorum: pag. 50. explicantur verba: *Wort, Wurthe, Worde:* pag. 58. *Advocatia:* pag. 71. *pagare* pro ſolvere: *Vor*, foemina, pag. 103. *Welteſchatt*, pag. 104. Pag. 52. de Anna, duciſſa Wratislavienſi, pag. 64. de Comitibus de Keverenberg, pag. 90. de titulo *Ehrbahre Leuthe*, quo ſeculo XV. nobiles inſigniti, quaedam adſeruntur. Ultimum huius partis locum occupat diſſertatio Auctoris de ritu traditionis per ramum arboris. Adamaverunt enim maiores noſtri nunquam magis ſymbola, quam in rerum traditionibus. A. 1375. Nobiles Wedelii villam ſuam monaſterio Stargardenſi ita tradiderunt: *Ego Haſſo de Wedele — — fratrem Henricum condictum Poltzin, tunc prefati monaſterii priorem, in ſua ceterorumque fratrum perſona capucio meo in manibus ſuis poſito tanquam viſibili predicte collationis ſigno corporaliter inveſtivi* — A. 1438. *dux* (Schlesvicenſis) *depoſito capucio epiſcopo* (Lubecenſi) *ſupplicavit, quatenus ipſum infeudare — dignaretur. Epiſcopus huiusmodi ſupplicationi inclinatus recepto pileo de capite ſtrenui militis Schaconis Rantzoven, per traditionem dicti pilei aureo crinali aut ſertò adornati in et ad manus eiusdem Comitis more patrie factam — Comitatum ei iure feudi contulit.* Saepisſime etiam occurrit traditio cum Chirotheca, traditionesve per annulum, fuſtem, cultellum, feſtucam nodatam, amphoram aquae, hauſtum aquae, funes campanarum, dextrum pollicem, cornu, claves templi, calicem, candelam, etc. Nihil vero frequentius traditione per ceſpitem, et ramum arboris. Laudavit iam du Freſne ſ. v. *inveſtire* aliquot exempla, aliudque memorabile exemplum commemoratur apud Calmetum, (*hiſtoire de Lorraine*, T. I. pag. 524.) ubi Mathildis A. 1107. *per cultellum, feſtucam nodatam, wantonem et waſonem terrae, atque ramum arboris,* eccleſiae St. Mariae *legitimam facit conceſſionem et inveſtituram* villarum

rum quarundam. Ex hoc aliisque ab Auctore laudatis locis apparet, ramum arboris una cum cespite, tanquam symbola agri et sylvae, fuisse traditum. Ramus infigebatur cespite, et ita tradebatur. Cespes ex eodem, qui tradebatur, agro effodiebatur, atque rotunda quidem figura. Rotunditas haec Nostro totius agri possessionem indicare videtur. Cespes et ramus virides erant; qua de arbore autem ramus decerpendus fuerit, incertum est. E documentis a du Fresnio allatis apparet, ramum olivae virentis, et corylum nucibus onustam; ex aliis, ramum tiliae maiores nostros adhibuisse. Cum etiam nullam arborem tanta veneratione prosecuti sint, quanta quercum, nonne probabile, ramum quercus in hac solemnitate non omittendum fuisse? Tota quidem res quomodo acta sit, optime e statutis Torgaviensibus cognosci poterit: *Derienige, so ein haus verkauffet hat, der soll dass nach gebethner Laube mit dem Reisse in die Gerichte auflassen — Nach diesen lässt der Richter den Kauff und das* eingelegte Reiss *ausruffen, das wer darwieder zu reden hat, der soll es jezunt thun und darnach stille schweigen. Nach beschehenen Geruffe, und wann der Käuffer das Haus* und eingelegte Reiss *durch Vrthel ihme zu erkennen und zu leihen bittet,* nimt der Richter dasselbe Reiss und reichet das *dem Käuffer sprechent,* weil das Reiss ausgerufen *und niemands darwieder ist, so leihe ichs euch, von Gottes, Raths, und Gerichts wegen, im nahmen* etc. Haec hactenus. Fusius enim Noster de hac re disputat, variaque adfert documenta, quibus omnibus veritatis robur conciliat. Vellemus, plures in hoc campo excurrerent, atque Symbolicam veterum Germanorum Iurisprudentiam sibi explicandam sumerent. Restant enim post Guil. Hoffmanni et Ever. Ottonis, (qui tamen Romanam tantummodo Iurisprudentiam ante oculos habuit,) labores, quamplurima, vel accuratius explicanda, vel diligentius indaganda et illustranda.

Pars altera continet documenta LX. quorum primo Henricus Imperator varia iura in villa Ursleve, Danckwardo,

wardo, Episcopo Brandenburgensi, A. 1051. donat; ultimo, Elector Iohannes Georgius, duci Klitzing, ut urbem Luneburgum occupet, mandat. Exhibet in hac parte Noster aliquot documenta, quibus historia Brandenburgica bene emendari poterit. Sunt inprimis quaedam e seculo XII. petita, quae historiae Marchicae studiosis non possunt non grata et iucunda esse. Sic pag. 37. est documentum, quo Marchiones, Woldemarus et Fridericus, sibi aliquot Saxoniae urbes invicem oppignorant, de A. 1317. Ibi Noster addit observationem doctam de Woldemaro, quo modo Dresdae aliarumque Misniae urbium possessionem obtinuerit. E documento XVII. Wratislavi, de A. 1319. multum antiquo feudali iuri lucis accendi posse, Noster arbitratur. Pag. 57. exhibetur documentum de A. 1348. Woldemari, eo maioris aestimandum, quo pauciora huius Principis exstant. In documento XXXI. Wenceslaus, rex Bohemiae et Marchio Brandenburgensis, cum regno Bohemiae Brandenburgum coniungit. Addidit his documentis Auctor tres dissertatiunculas. In prima inquiritur in originem nominis et urbis *Saltzwedel.* Duplicem coniecturam Noster proponit. Haec urbs in palustri et aquosa regione sita est, *Sal* vero et *Sol* idem in lingua antiqua est ac aqua, et *Well* atque *Wedel* denotat domum seu villam. Est igitur *Saltzwedel,* seu *Soltwedel,* domus seu urbs in regione palustri aedificata. Altera coniectura haec est. In antiquissimis documentis haec urbs *Saltwedel* et *Saltwidele* appellatur. *Sal* et *Sald* significavit olim sedem seu palatium principis, et *Wedel* est ipsum antiquum Saxonicum et Frisicum *Weel, Wael,* i. e. aqua, aquae confluxus profundus. Est igitur etiam *Saltwedel* Castrum seu palatium in palustri loco situm. In altera dissertatione differentiae iuris feudalis Marchici et Pomeranici in formula *coniunctae manus,* (vulgo *communem* dicunt,) exponuntur. Nam e iure Pomeranico manus coniuncta non tanquam necessarium aliquid, sed tanquam remedium subsidiarium consideratur; e iure Marchico autem eadem est remedium ordinarium

et abſolute neceſſarium. Monentur hoc loco etiam aliqua de antiquitate litterarum beneficiariarum in Marchia. Ultimo loco poſuit Noſter breve elogium celeberrimi ICti, *Theodori Martini Werneri*, qui A. 1685. Vittenbergae obiit, et cum munerum dignitate, tum multis bene ſcriptis libris magnam famam conſecutus eſt. De reliquis partibus, quibus Vir Cl. pulcherrimum quod iit conſilium, de hiſtoria Brandenburgica bene merendi, continuat, proxime dicemus.

EXPERIMENTA ACADEM. SCIENTIAR. PETROpolitanae, quibus conglaciatio Mercurii vivi adprobatur.

Sub finem ſuperioris, et initium huius anni, ingens per totam Europam ſaeviiſſe frigus, tam notum eſt, ut illius recordatio in commentariis noſtris minime locum mereretur, niſi nos excitaret praegnans cauſſa, ob quam illud eo memorabilius ſemper futurum eſt, quo ipſo exſpectatius rerum naturalium ſcrutatoribus phaenomenon, tam conſpicere, quam admirari, contingere vix potuerit. Relatum legimus in ephemeridibus publicis, uno eodemque die, non ſolum Upſaliae, ſed et Petropoli, ſede auguſta, tantum frigoris gradum, horrida quadam tempeſtate obſervatum eſſe, quantum antea numquam, ex quo Academia Scientiarum obſervationes meteorologicas conſcripſit, adnotatum fuit. Arripiebant igitur phyſices promotores hancce opportunitatem explorandi ulterius thermometris mercurialibus, an, et quo usque, augeri poſſet artificiale frigus? Paucos forte latet, Fahrenheitium A. 1729. (tradente immortali *Boerhaavio* in *Element. Chem.* Tom. I. pag. 146. Edit. Lipſ. 1732. 8.) primum ſpiritum nitri fortem contuſae glaciei adfudiſſe, atque adnotaſſe frigoris ſic dicti artificialis gradum eximium, quod 40. gradibus ſuperabat naturale, ſeu punctum conglaciationis ſtabilitum in thermometris, ab eodem artifice elaboratis. Iteratum novum hoc

hoc inventum, quo frigus artificiale mirum quantum naturale ſuperat, a Muſchenbroeckio et Reaumurio; et idem phaenomenon induſtria horum acutiſſimorum virorum comprobatum, augmentum vero maius frigoris artificialis, iamiam inventi, neutiquam notatum eſt, quanquam olim ad eundem modum, ac nunc Academiae Petropolitanae Socii, negotium iſtud tractarent. Quo itaque cuncta, quae modo quidquam ad illuſtrandam et confirmandam eventus plane improviſi veritatem conferre creduntur, ordine quodam concinno enarremus, primum tentamina, quae ſenſim diverſi auctores, pro ſe quique ceperunt, alleganda; deinde ratio et modus commiſcendae nivis et ſpirituum acidorum diverſorum, in primis tamen nitri ſic dicti fumantis, exponenda; tandemque ſingularia illa phaenomena, quae notata fuerunt, dum mercurius, vel deſtillatione, vel ex ſublimatis reſuſcitatus, hincque puriſſimus, regnante gelu vehementiſſimo, frigidis hiſce corporibus immiſſus eſt, adiicienda erunt. De fide relationis noſtrae nemini ſuboriri poterit dubitatio ulla, hanc ob cauſſam, quod Illuſtriſſima Academia, pro eo, quo nos proſequitur, favore, certiores nos fecit de his omnibus, et ſummam ſcribendorum huc perferri curavit.

Praeterito anno, quum *d.* 14. *Decembr.* ſtili veteris, ut vocant, frigus in aere eſſet 205. graduum, ſecundum ſcalam thermometri Delisliani, Cl. *Braunius* adfudit ſpiritum nitri, et nivi, et glaciei; mercurius hinc in thermometro deſcendit ad 470. gradum, in eoque immobilis perſtitit. Eximebatur poſt aliquam moram thermometrum ex miſcela, et in aere libero fere ad quartam horae partem detentum, ulteriorem neque deſcenſum, neque adſcenſum mercurii, indicabat, qui tum primum elevabatur, poſtquam thermometrum in conclave calefactum illatum eſſet. Iterabantur paullo poſt ſingula, et ordine, et modo plane aequali, hoc et alio thermometro: eveniebant iterum eadem, quae antea retulimus, phaenomena. Tam inſolita apparitio argenti vivi, omni motu orbati, omnino

excitare poterat coniecturam non inprobabilem, annon illud forte frigore gelatum sit? Cl. *Braunius* in conventu Academicorum statuto referebat Collegis, non solum quo usque auctum sit frigus hoc die in atmosphaera, sed etiam quam inexspectatum mercurius, thermometro inclusus, et mixturae antea descriptae immersus, praebuerit ei spectaculum. Quod itaque primus viderat Cl. *Braunius*, mercurii in artificiali frigore solidescentis phaenomenon, illud deinde et ab aliis curiosis quoque quaesitum, inventum, etiam experimentis fidis comprobatum, imo vero et novis memorabilibus pluribus corroboratum est.

Die 25. *Dec.* intra horam 9—10. antemeridianam frigus coeleste erat 199. graduum. Adornabantur, et a Cl. *Braunio*, et a Cl. *Aepino*, nova tentamina, et quidem felici successu; nam citissime mercurius ad 500. gradus delabebatur, et adparebat, ut brevi antea, iterum solidus quasi et in omni motu impeditus. Ut eo accuratius considerari et tractari posset compacta mercurii massa, uterque disquisitorum diffringebat thermometra. Erat autem, quo Cl. *Braunius* utebatur, sphaera finitum, quae in superficie exteriori conglaciata, in medio particulam fluidi adhuc mercurii includebat: Cl. *Aepini* instrumentum, in cylindrum exiens, plane solidum et ex toto gelu constrictum mercurium sistebat.

D. 26. *Dec.* mane ab hora 9—10. acutissimum regnabat frigus, et quidem 211. graduum, ob id praesertim memorabile, quia etiam superat summum gradum frigoris artificialis, quondam a Fahrenheitio inventum. Viri Cl. *Braunius*, *Aepinus*, *Lomonosovius*, hoc die experimenta capiebant. Spiritus Nitri, additus nivi, efficiebat frigus 495. graduum; spiritus salis 534. et oleum vitrioli tandem deprimebat mercurium in tubo thermometri ad 1260. gradus. An tam insignis Mercurii lapsus, a fissuris, in hoc et aliis quoque thermometris observatis? Inventus est, comminuto vitro, in globulo, et tubo, fili argentei instar, mercurius densatus, ductilisque sub malleo, prout plum-

plumbum. Post 20. minuta sub dio iterum diffluebat antea solidus visus Mercurius. Si pluribus testibus, pro stabilienda rei inauditae veritate, opus foret, provocare quoque possemus ad experientias virorum Cl. Academiae Scientiarum Sodalium, *Modelii, Zeiheri, Krusii*, quorum quilibet, propria indagatione convictus, alienam suis comprobat suffragiis.

Quamquam ratio modusque, quo usus olim est Fahrenheitius, et post eum plures, quemque magnus Boerhaavius, ut antea innuimus, clare descripsit, parum diversus sit ab eo, quem secuti sunt physici Petropolitani: attamen, ne quidquam omisisse videamur, etiam facillimam et expeditam methodum, quam invenit Cl. *Aepinus*, iam deinceps indicabimus. Si spiritui nitri fumanti, quantum fieri potuit, sub dio et in nive refrigerato, adiicitur tanta copia nivis, quanta requiritur, ut mixtura spissitudinem pultis liquidioris habeat: tum quam celerrime exoritur iste gradus frigoris, mercurium compingere valentis. Reticendum vero minime est, non semper, neque omni tempore, eiusmodi frigus artificiale magnum, quale descripsimus, produci posse; quin potius etiam requiritur, ut eximius quidam, quamquam adhuc nondum definitus, frigoris coelestis gradus concurrat. Experimento peculiari Cl. *Aepini* illud confirmatur. Tentamen in conclavi, ubi frigus erat 122. graduum, instituebat, comperitque, a Spiritu nitri ad 150. gradum frigoris reducto, et nive adiecta, ortum esse modo frigus 300. graduum, neutiquam vero tantum, quantum necessarium est ad congelationem mercurii efficiendam. Ex illis, quas collegimus, observationibus, illud patet, ad minimum 500. graduum frigus requiri ad producendam hydrargyri conglaciationem; et neminem huc usque explorare et firmare valuisse gradum, in quo certo transmutatio illius contingat, propterea quod thermometra adhibita, contingente mercurii congelatione, gradus scalae indicare impediuntur. Memorabilia plura iam communicavimus cum lectoribus; restat vero expositio phaenomeni quam maxime

me curiosi, et quod perspicaciae Cl. *Aepini* debetur. Minime omnium huic Viro Cl. sufficiebat scire simpliciter, hydrargyrum congelari, et ad instar minerae purae tractari posse; avebat etiam contemplari et diiudicare omnes mutationes, quas subiret fluidum metallicum, antequam pristinum habitum exueret, novaque forma compareret. Cylindrum igitur vitreum, unciam unam latum, unciam et dimidiam vero altum, replevit mercurio currente, illumque immittebat, prout thermometrum, in misturam nivis et spiritus nitri, saepius nominatam. Cognovit minuto horae citius congelari mercurium, eumque, dum gelu coit in densitatem et solidescit, eodem modo a frigore, ac reliqua metalla, excepto ferro, constringi. Nam tota massa in angustius volumen coarctabatur, superficies patens subglobosa evanescebat primum, dein etiam deprimebatur eo usque, donec plane coalita eximi et digitis prehendi posset. Ad formam cylindri solidi efformatus, in mercurium fluidum iniectus, subsidebat more metallorum; quum e contrario glacies aliorum fluidorum, liquoribus homogeneis iniecta, semper supernatet. De duritie mercurii conglaciati disquisitores certi nihil adseverant; proxime tamen ad plumbi densitatem accedere autumant.

CASTI INNOCENTIS ANSALDI, ORDINIS Praedicatorum, de sacro et publico apud Ethnicos pictarum tabularum cultu, adversus recentiores Graecos, dissertatio.

Venetiis, apud Petr. Valvasensem, 1755. plag. 18. quatern.

Non iniuria mirum Cl. *Ansaldo* videtur, Graecos, qui in divorum cultu cum Romana ecclesia conveniant, pictasque Christi, Mariae, et beatorum imagines magno cultu et veneratione prosequantur, sculptas tamen imagines adeo improbare, ut Latinos non obscure idololatriae

triae

triae reos postulent. Atque de re ipsa, odioque Graecorum erga statuas, ne quis dubitet, multa argumenta et testimonia in *primo* capite adfert A. atque Leonem Allatium, et Assemannum, qui aliter sentiunt, refutat. Digna sunt, quae a nobis hic repetantur verba, ex epistola *Mamachii*, Graeci: *Est illis* (Graecis) *sane hoc adagium, receptum prorsus atque familiare, nullam scilicet imaginem colendam esse, cuius nasum duobus possis digitis complecti,* etc. Defendunt vero Graeci sententiam suam duobus argumentis: primum, aiunt, sculptarum imaginum cultus in sacro codice interdicitur; et deinde ethnici hisce imaginibus ad turpissimam idololatriam abusi sunt. Idolatrae sculptiles tantummodo imagines adoraverunt, atque ideo unius Dei cultoribus sculptilium imaginum usus et cultus interdictus est, ne ad Idololatriam sensim paullatimque se abripi patiantur. Haec igitur Noster, *via*, ut dicit, *recriminationis, quae tutior et facilior apud indoctos*, diluere studet, atque simul ostendere, aut omnem pictarum et sculptarum imaginum cultum Graecis negligendum; aut, si pictae colantur, eundem cultum sculptis quoque habendum esse. Primum enim imagines quascunque e genere ἀδιαφόρων esse, atque in potestate et arbitrio ecclesiae positas, quae illas vel reiicere, vel adhibere possit: loca illa sacrae Scripturae, quibus sententiam suam stabiliri et confirmari credant, non solas sculptas, sed sculptas pictasque imagines una prohibere: in loco illo Exod. XX. *non facies tibi sculptile,* etc. unde maximum robur sententiae repetant, hoc indicari, nefas esse alicui, praeter Deum, divinos honores habere, sive re ipsa adoranda, sive illius imagine, statua, effigie, pictura colenda. Deinde ethnicos minime solas sculptiles imagines, sed pictas etiam habuisse et coluisse: Samaritanos, Hebraeos, superstitionis labe infectos, Chaldaeos, Aegyptios, alios, templa pictis deorum imaginibus exornasse. Atque hic Vir Cl. longe evagatur, atque ex locupletissimo eruditionis copiosissimae penu multas divitias depromit, plurimaque adducit testimonia. Nam praeter Clemen-

Clementem Alexandrinum, Origenem, Athenagoram, Athanaſium, Cyrillum, ex Epiphanio oſtendit, idololatriam primis temporibus ſolis pictis tabulis adhaeſiſſe. In Conſtantinopolitana Synodo, Iconoclaſtas, commemorat, imagines pictas idola, earumque cultum ethnicam conſuetudinem, ethnicum cultum appellaſſe, et Synodum ea de cauſa Imperatores tanquam expulſores idololatriae praedicaſſe, quoniam pictarum imaginum cultum ſuſtuliſſent. Denique varias adducit tabulas pictas, quas ethnici divinis honoribus proſecuti ſint. Favet ſententiae Viri Cl. inprimis Pauſanias, qui, etſi eo tempore Graeciam peragravit, quo illa iam multis bellis vaſtata, pulcherrimorum operum iacturam fecerat, plurimarum tamen pictarum deorum tabularum mentionem facit. Haec noſter, in Capite *tertio* usque ad *octavum*, multa elegantia et eruditione expoſuit. Licet candorem illius ex hiſce cognoſcere: *Revera Proteſtantes,* pag. 22. dicit, *qui iconomachorum in opinione verſantur, quum tamen philoſophica veluti ratione differendo procedant, non magis a ſculptarum cultu imaginum, quam a cultu pictarum imaginum abhorrent. Aſt, quum Graeculi recentiores adeo a Logica et Critice, quam a diabolo, abhorreant, quid mirum, ſi ſculptilia averſati, pictas adhuc tabulas religioſo honore proſequuntur?* etc. In Capite *nono* Vir Cl. proponit et diſcutit quaeſtionem, cur, cum eundem honorem ethnici ſculptis et pictis imaginibus habuerint, multaque adhuc ſuperſint ſimulacra, ſigna, ſtatuae, rariſſimae ſint imagines pictae? Primam, ait, bonorum pictorum inopiam huius defectus cauſam eſſe. Non multum ſtudii operaeque olim alios, praeter Graecos et Aegyptios, populos in pictoria arte collocaſſe; et apud Graecos ſolam Philippi et Alexandri aetatem eiusmodi pictores tuliſſe, qui nomen aliquod et famam arte ſua conſecuti eſſent. Deinde multos quidem fuiſſe, qui arti ſtatuariae et ſculptoriae operam darent, paucos vero, qui ingenium et induſtriam ad pingendum conferrent. In indice, quem Iunius libro *de pictura Veterum* addidiſſet, pro uno pictore prope

triginta

triginta ſemper ſculptores, plaſtas, ſcalptores, aliosque artifices inveniri. Porro, artis pictoriae hanc indolem, hoc fatum eſſe, ut mediocres artifices non facile admittat aut nobilitet: inde exiguo illo temporis ſpatio, quo picturae pretium ſtatutum fuiſſet, nullas, niſi egregias, ſummaque elegantia perfectas tabulas, adamatas, emtas, et aeternitati reſervatas, reliquas neglectas et oblivioni tenebrisque traditas fuiſſe. Denique, primariam huius inopiae cauſam ab odio Chriſtianorum adverſus ſacras ethnicorum tabulas, a tot irruptionibus barbarorum, a tot incendiis, quibus alia plurima antiquitatis monimenta deleta exſtinctaque ſunt, repetendam eſſe. Neminem ignorare, quid Tacitus de Romano incendio, quod tempore Neronis contigit, ſcribat: ***Inſularum, domuum, et templorum, quae amiſſa ſint, numerum inire, haud promtum eſſe — exuſtas eſſe opes tot victoriis quaeſitas, et Graecarum artium decora, exin monimenta ingeniorum antiqua et incorrupta.*** Statuas, ſimulacra, et ſigna, e terra, e ruinis urbium aediumque, erui et effodi. Haec enim, vel Chriſtianorum ſtudium verae doctrinae propagandae, vel barbarorum furorem, ſuis tantummodo locis deieciſſe. Pictas vero imagines, probabile eſſe, ab his potius reſciſſas, combuſtas, aliisque modis deletas eſſe. In Capite *decimo* Cel. *Anſaldus* tranſit ad textas deorum imagines, et, licet peplis ſaepius ſtatuae velatae fuerint, eadem tamen quoque deorum imagines exhibuiſſe, in templis ſuſpenſa, et magno cum honore circumlata fuiſſe, oſtendit. Deinde, quoniam recentiores Graeci Anaglyphorum, non longius a picturis recedentium, venerationem admittunt et probant, ethnicos eodem Anaglypha, quo ſigna, cultu proſecutos eſſe, atque adeo non multum Graecorum rationem ab iſta ethnicorum diverſam eſſe, demonſtrat. Forte mira alicui videri poſſint haec Auctoris verba: *ethnici, quorum nos ritum imitari pie conſecravimus.* In Capite *undecimo* docet Noſter, Graecos ante Nicaenae Synodi tempora nullas ſacras ſtatuas coluiſſe, atque adeo eorum opinioni adverſatur, qui Graecos quinto

et fexto feculo fculptas quidem imagines Chrifti, Mariae, et beatorum admififfe, easdem vero Iconoclaftarum tempore reiecifle, exiftiment. Putat vero, errori Graecorum ortum et incrementum dediffe Patrum Nicaenorum fententiam adverfus ftatuas deorum, (aliae enim tum non confpiciebantur,) praepoftero fenfu a recentioribus Graecis explicatam, et de quibuscunque ftatuis intellectam. In Capite *ultimo* quaeritur, an fapienter Latini in admittendo facrarum ftatuarum ufu et cultu verfati fint? Non probare quidem videtur Vir Cl. hoc inftitutum, et maxime periculofum fuiffe fcribit, eo praecipue tempore, quo homines procliviores fuerint ad idolorum cultum: fed ea de caufa eos aliquo modo defendi poffe cenfet, quoniam illa tempora inopia bonorum pictorum valde laborarint. Tandem variis prolatis, addit: *Profecto, fi intelligerent noffentque Catholicae Antiftites Ecclefiae, vulgus non eandem ftatuarum ac pictarum tabularum rationem habere, aut rudiores fanctorum ab ftatuis perperam affici et moveri, dubium nullum eft, quin earum ufum omnes ftatim interdicerent, easque prudenter removerent.*

Si, quid nos de hac Cel. *Anfaldi*, cuius nomen compluribus aliis libris innotuit, differtatione fentiamus, dicendum, fatemur quidem, illam multa eruditionis copia refertam, multoque ingenio et diligenter fcriptam effe; verum eandem vix Catholicae religioni addictis probari poffe arbitramur. Videtur enim Vir Cel. calore et cupiditate Graecos refutandi abreptus, non fatis femper fuorum caufae confuluiffe, fed multa arma, eaque fatis valida, diffentientibus tradidiffe, quibus totum omnino imaginum pictarum fculptarumque cultum oppugnarent, immo everterent. Utinam vero omnes tam utilem et iucundum errorem committant!

COMMENTARII SOCIETATIS REGIAE SCIENtiarum Göttingenfis, TOMUS III. ad annum MDCCLIII.

Göttin-

Göttingae, ſumtibus Eliae Luzac, Alph. 2. plag. 10. tab. aen. 11. quatern.

Non iniucunda erit lectoribus noſtris opera, in excerpendo tertio Tomo Commentariorum Göttingenſium, quorum priores duo alio tempore indicavimus, collocanda. Sunt enim in iis multa elegantis doctrinae copia condita, plurimaque induſtria elaborata. Iam primum libro praefixa eſt Oratio *Io. Davidis Michaelis* V. Cel. de defectibus hiſtoriae Naturalis ac Philologiae, itinere in Palaeſtinam Arabiamque ſuſcepto ſarciendis. Recte enim Vir Cel. arbitratur, geographiae, antiquitati, et naturali hiſtoriae Palaeſtinae Arabiaeque, id eſt, illarum regionum, in quibus antiquiſſimum et religionis et eruditionis monimentum litteris conſignatum, plura deeſſe, quam aliquis fortaſſe putet, atque igitur interpretationem ſacri codicis mancam, et multarum rerum fidem valde dubiam eſſe: hunc vero omnem defectum neque coniecturis, neque librorum lectione, ſed itineribus, prudenter in illas terras faciendis, ſarciri poſſe. Etſi enim complures ſunt itinerum in Palaeſtinam ſuſceptorum commentarii, atque *Maundrellus, Shawius,* et *Pocokius*, diligenter terram ſanctam exploraverunt, nondum tamen haec res Noſtro ita perfecta videtur, ut nihil praeterea deſiderari poſſit. Primum enim omnes illuc profecti, linguae ignari, per interpretem cum Arabibus loqui neceſſe habuerunt. Sunt vero hi interpretes, ut alia incommoda taceamus, homines ignari, ventoſi, et ineptiſſimi, atque, ſi quis Arabum botanicos ſcriptores et biblia Hebraica non ipſe legerit, herbas quidem et arbores Palaeſtinae Arabiaeque deſcribet, nominum autem vel prorſus ignarus, vel non illud arripiens, (ſi plura uni plantae nomina,) quo in antiquis Hebraeorum monimentis appellatur, nihil omnino ad interpretationem codicis adferet. Deinde plurimi in itineribus ſuis illud ſibi propoſuerunt, non ut ſcientiae ſitim explerent, ſed ut ſuperſtitioni ſatisfacerent, eaque tantummodo loca, quae

ſanctitatis famam haberent, adirent. At linguam barbarorum callens ſibi facile aditum ad eorum familiaritatem parabit, et iure hoſpitii, quod eis ſacroſanctum habetur, liberius et tutius per avia quoque commeabit. Porro exploratoribus Palaeſtinae nimia feſtinatio noxia, qua a ſuperſtitioſis et feſtinantibus ſociis per regna inania et fabuloſa rapiuntur. Denique ſi vel cuidam univerſa haec obtigerint, idem tamen naturae peritia et cura deſtitutus fuit, ut nobilis Gallus, *Arvioſus*, itineribus in Africam et Orientem ſuſceptis clariſſimus. Multa de fabuloſisruderibus, de antiquis aedibus, palatiis, ſtatuis, aliisque antiquitatis monumentis, quae dudum diruta et deleta, pia, ut aiunt, fraus imitata eſt, in commentariis plurimorum leguntur. Nemo tamen ramuſculum hyſſopi, circa muros Hieroſolymorum naſcentis decerpere, ſiccum Europaeis mittere, atque exiguo hoc munere magnis litibus interpretum Ioannis finem imponere voluit. Addit Noſter etiam hoc, Palaeſtinam multos, Arabiam fere neminem, ne eam quidem partem quae Iordane alluatur, olimque Iſraelitarum fuiſſet, peregrinando luſtraſſe. Eſſe tamen hanc non magis quam Palaeſtinam accurata et curioſa diligentia dignam. Haec de defectibus, quibus itinera ſuſcepta laborant: nunc videamus, quid eruditio ſacra ab exploratore Orientis exſpectet et flagitet. Deſcriptiones locorum, vel ex ſolis antiquorum libris, vel e ſolo codice ſacro, adhuc per coniecturam et divinationem ab interpretibus factae ſunt. Moſes atque prophetae, urbium, fluminum, et paludum, paſſim, ſine curioſa ſitus definitione, mentionem faciunt, et inde accidit, ut interpretes pro lubitu urbes ſererent. Ambigitur adhuc de maris mortui magnitudine, neque tamen niſi hac definita intelligi poteſt, quo aqua Iordanis deveniat? exhauriaturne vaporibus maris? an per occultos meatus in liberiora maria effundatur? Ambigitur de auſtrali Palaeſtinae termino, rivo Aegypti, quem alii in arenoſis deſertis collocant, alii pro oſtio Nili habent. Latet adhuc ſitus urbis Ainon, ad quam Ioannes baptizavit, at-

que

que ipſa itineris Iſraelitici deſcriptio non, niſi itineribus per Arabiae deſerta ſuſceptis, intelligi poteſt. Herbarum et arborum ignotarum, quae in ſacro codice commemorantur, nomina, ab Arabum botanicis ſcriptoribus ſaepe ſervata ſunt, eadem in vocabulariis Golii aliorumque ſuperſunt, ſed plerumque nihil aliud additur, quam herbae et arboris nomen eſſe. Eadem tamen adhuc in Arabia et Palaeſtina vigent, et diligentius inveſtigata oculisque ſubiecta, ad interpretationem codicis, qui innumeras a rerum natura imagines petit, multum conferant neceſſe eſt. De deſcriptione animalium Orientis egregie quidem Bochartus meritus eſt, verum et in pluribus nominibus erravit, et largam reliquit aliis meſſem. De ſignificatione morborum, quorum varia in ſacris litteris nomina occurrunt, nihil fere conſtat. Gemmarum nomina, in quibus interpretandis antiquae verſiones aut diſſident, aut aeque obſcura verba ſubſtituunt, ſi pauca excipias, prorſus nos non intelligimus. In hiſce igitur tenebris ſolus nobis lucem accendere poterit, qui Arabicae et Syriacae linguae cognitione, palaeographiae orientalis notitia, atque mathematum et naturae ſcientia probe inſtructus, in illas regiones iter ſuſcipiat. Atque certiores iam facti ſumus, regia munificentia Auguſtiſſimi Daniae regis, at quam fauſti eruditioni numinis! rem eo perductam eſſe, ut docti aliquot viri proxime iter in Palaeſtinam et Arabiam faciant. Haec hactenus. Veniamus ad lucubrationes ipſas virorum doctorum. Continentur vero hoc Volumine: I. *Sam. Chriſt. Hollmanni* obſervationes Meteorologicae: II. *Io. Matthias Gesnerus, de electro veterum*: III. *Ioh. Gottfried Zinn* obſervationes anatomicae, de tunicis et muſculis oculorum: IV. *Io. Dav. Michaelis* de pretiis rerum apud Hebraeos ante exilium Babylonicum: V. *H. C. L. B. de Senckenberg* de origine familiae Auguſtae Staufenſis: VI. *Io. Matth. Gesneri* Cicero reſtitutus: VII. *Sam. Chriſt. Hollmannus* de corporum marinorum in terra origine: VIII. *Tob. Mayeri* tabularum lunarium uſus in inveſtiganda longitudine maris:

 IX. *Io.*

IX. *Io. Georg. Roederer* ſermo de communicatione uteri gravidi et placentae: X. *Idem* de pondere et longitudine infantum recens natorum: XI. *Io. Gottfried Zinn* obſervationes botanicae: XII. *Tob. Mayeri* obſervationes Aſtronomicae. Nimis longum eſſet ſingularum diſſertationum argumenta percenſere. Quare brevitati conſulemus, atque tantummodo unam et alteram, tanquam ſpecimen, proponemus.

I. *Sam. Chriſt. Hollmanni* obſervationes meteorologicae. Incipiunt obſervationes hae tempeſtatum omniumque aeris mutationum ab A. 1741. atque in A. 1749. deſinunt. Adſperſit ſubinde Vir Cl. quaeſtiones quasdam ex hiſce productas, ut: Satis patere, mercurio barometrico deſcendente, nubilam pluviamque aut ventoſam; aſcendente autem, plerumque ſerenam tempeſtatem inſequi: neque hoc tamen ſemper fieri, neque illas tempeſtatum mutationes illis diverſis mercurii altitudinibus ſemper reſpondere. Vix leviter enim mutato mercurio ſaepe magnam et tonitralem, multumque ſaepe mutato vix ſenſibilem aliquam tempeſtatis mutationem inſecutam eſſe. Inprimis vento ſpirante Borea, aut inter Boream quocunque alio interiacente, tempeſtatem turbidam, pluviam, nivoſamque ſaepe oriri, aut exortam aliquamdiu perdurare, aſcendente licet barometro; ſubito tamen eodem aſcendente, citius plerumque deſinere, eodem licet perdurante vento. An igitur prioris iſtius ratio in ſuperficiei illius terreſtris conditione forſan quaerenda, quae, reſpectu noſtrae regionis, inter Boream Zephyrumque interiacet? Ex ampliſſimis enim, quae longe lateque ibi patcant, maribus, magnam exhalationum aquearum copiam quotidie provenire, quae ventis, inde ſpirantibus, nobis advehatur. Deinde, ſubitaneum mercurii barometrici deſcenſum ſubitaneum eiusdem aſcenſum plerumque inſequi. An igitur in aere noſtro mutationes eiusmodi ſubitaneae interdum forſan contingunt, quales illi marium motus ſint, quos vulgo *Springfluthen* appellant. Maiores, magisque ſubitaneos mercurii

mercurii descensus plerumque mutationes aeris longe lateque patentes comitari, saepiusque eiusmodi se observasse, ubi post aliquod tempus renunciatum, non per magnam solum Europae mariumque adiacentium partem, sed vel in ipsa America eodem tempore ingentes tempestatum mutationes contigisse. Annon igitur mercatori, in terras remotiores commercia instituenti, subitanei eiusmodi barometrorum lapsus occasionem, salutaria consilia capiendi, dare possent.

II. *Io. Matthiae Gesneri* Praelectio, de electro veterum. Collegit Vir Cel. omnia, explicavit, atque in classes suas descripsit, quae de electro ab antiquis sparsim, confuse, et obscure dicta, ut eo facilius, quid veteres scriptores de electro, et de vi electrica, cognoverint, quid senserint, et quam recte senserint, iudicari possit. Obscuravit vero hanc rem nomen ipsum, valde diversis rebus tributum. Quare ab illius explicatione Vir Cl. disputandi initium facit. Antiquissimis Graecis ἠλέκτωρ Sol est, id quod Homeri loca Il. ζ. 513. et Il. τ. 398. et Hymn. in Apoll. 369. testantur. Unde sit nomen ductum variae sunt Grammaticorum sententiae. Ἠλέκτωρ Sol sororem habet, nominisque sociam, ἠλεκτρίδα, Lunam. A sideris huius pulchritudine Electra, nomen antiquissimarum certe mulierum, ortum esse videtur. Quanquam etiam, si non antiquissimae Electrae, certe quae paulo iuniores, a capillorum colore ita dici potuerunt. Aureus enim, et ad igneum vergens comarum color, eo usque antiquis probatus est, ut illum arte et mangoniis sibi pararent. E Plin. H. N. 37. 2. s. 11. 1. apparet, antiquos credidisse, cognationem inter electrum gemmam, seu succinum, et Solem intercedere. Nam et aurum, ob coloris similitudinem, antiquam cum sole cognationem habet. Nihil familiarius poetis, quam Solem et sidera χρυσοφαῆ appellare. Electri nomen etiam ipsi auro tributum, ut ex Sophocl. Antig. v. 1049. intelligitur. Illud aurum, quod argentum diversa portione admixtum habet, electri nomen inde acce-

accepiſſe videtur, quod ſimilis in electro ſuccino varietas coloris, vel ad rutilum illum ignis fulgorem accedentis, vel de pura argenti luce et candore plus trahentis, obſervata. Certe alicui temperaturae peculiariter electri nomen haeſiſſe veriſimile eſt, ex Plin. H. N. 33. 4. ſ. 23. Hiſce expoſitis, tranſit Vir Cl. ad loca quaedam veterum, ubi ita ſit electri mentio, ut quaerere poſſis, quodnam illius genus in unoquoque intelligi debeat? Primum apud Homerum Οδ. O. 459. Σ. 295. Δ. 73. nihil aliud indicatur, quam electrum ſuccinum, ad ornatum aedium et mulierum adhibitum. Hinc patet, veteres habuiſſe emblemata e ſuccino, teſſellata et ſegmentata opera, muſivi quoddam operis genus, eaque agglutinaſſe ligno cedrino, nobilioribusque metallis incluſiſſe. Unde locus Ariſtophanis Equit. 529. alioquin ſubobſcurus, egregie explicatur. Heſiodus in ſcuto Herculis Electro illud ſplenduiſſe dicit. Io. Diaconus hoc loco intelligit aes flavum, aurei coloris, quoniam, cum de ſcuto, ictibus validis excipiendis deſtinato, agatur, vix alii electro, quam metallo, locus eſſe videtur. Verum neque electrum ſuccinum Vir Cl. hic excludendum eſſe arbitratur, propter ſocietatem duarum rerum aeque fragilium, eboris et gypſi vitrei. Etiam Grammatici videri poſſunt hanc vitri ſignificationem ipſi nomini ἤλεκτρον tribuiſſe, dum ὕαλον, ſ. vitrum, non eſſe apud Homerum et antiquos, ſed ἤλεκτρον, monent. vid. Schol. Ariſtoph. Nub. 766. Atque ita monilia illa, et emblemata Homerica, in vitrum abirent, quod tamen Auctor vix admitti poſſe exiſtimat, etſi electro quoque vitri nomen communicatum eſſe fatetur. Quaerit deinde, an electrum fuerit vitrum illud, quo ad ſervanda mortuorum corpora, Herodoto et aliis, populi quidam uſi dicantur? Qua de re cum Diodorus Siculus non conveniat cum Herodoto, tandem ita V. Cl. pronuntiat: ſibi probabile eſſe, fuiſſe Aethiopibus, quicunque tandem fuerint, quocunque nomine regio, quam habitaverint, hodie appelletur, artem fundendi liquandique electri ſuccini, ea ratione, ut illud deinde

de ad rigorem ac duritiei aliquem certe gradum, conservata pelluciditate sua, rediret. Pergit Vir Cl. in hac re, et vasa electrina, et nummos electreos commemorat, de quibus Lampridius Alex. Sev. c. 25. Ubi agi docet de auro, cui quinta argenti pars admixta esset, ut Plinius electrum descripsit; et notum esse, ab eo tempore bonitatem auri in nummis Imperatorum decrescere. Legitur apud Hesychium, Ἤλεκτρον, *ἀλλότυπον χρυσίον*, quod vehementer viros doctos exercuit. Lucem vero huic affundunt Glossae MSS. pleniores, quales sunt e quibus excerpsit hunc locum Cangius (Constantinop. Christian. 3, 53. pag. 48.) Ἤλεκτρον *χάλκωμα καθαρὸν, ἢ ἀλλότυπον, μεμιγμένον ὑέλῳ καὶ λίθοις, οἵας ἦν κατασκευῆς ἡ τῆς ἁγίας Σοφίας τράπεζα*. Electri duo genera voluit auctor glossae, unum *χάλκωμα καθαρὸν*, fabrilem materiam, seu metallum illud purum et splendens, auri et argenti mixtura naturali vel artificiali constans; alterum *ἀλλότυπον*, diversi typi, naturae ex diversissimis rebus conflatae, nempe aurum mixtum vitro et gemmis, aliisque rebus. Hic adspersit Vir Cl. aliqua de mensa S. Sophiae, atque deinde aliam quaestionem proponit, nempe quid antiquis de natura electri Succini notum fuerit? De ortu illius, et qualitatibus, nihil certi atque explorati ante Plinii ac Taciti aetatem, id est ante illud tempus, quo Germania septentrionalis paulatim Romanis innotuit, relatum esse videtur. Primi commemorant Aetius et Aegineta. Plinius e Graecis Latinisque scriptoribus, quorum libri periere, excerpta dedit. Sunt igitur duae velut aetates nobilitatis succini constituendae. Una illa antiquissima, qua Phoenices illud undecunque acceptum, perferre ad alios populos potuerunt, quibus fortasse etiam fabulosa illa de lacrimis Heliadum vel ipsius Phoebi commenta debentur. Altera est a Germanici Caesaris expeditionibus, et Neronis magnificentia. Noverant antiqui inclusa electro animalia, noverant vim magneticam, variumque habebant electri usum, ad refrigerandas manus, pro lino in lucer-

M nis,

nis, ad icunculas, pocula, atque in ratione tingendi succino ultra forte progressi sunt, quam qui post restitutas artes idem egerunt. Quae tandem de electricitate in antiquis auctoribus aliquis forte inveniat, et inde phaenomena recentiora illis non ignota fuisse coniiciat, non tamen eo valere V. Cl. existimat, ut non integra sit nostri seculi gloria, quasi novi detecti orbis.

IV. *Io. Dav. Michaelis* commentatio de pretiis rerum apud Hebraeos ante exilium Babylonicum. Constituit Vir Cl. pretiorum rerum quatuor quasi secula: primum, omne illud tempus, quod ante Mosen effluxit; secundum Mosaicum; tertium quod sub Iudicibus et Saulo fuit; quartum sub regibus e familia Davidis. Ante Mosen sex emtiones sive donationes factae leguntur, e quibus aliquid de pretiis rerum colligi potest. Primum regulus Philistaeorum Sarae mille siclos argenti donat, quibus velum sibi comparet, Genes. XX, 16. Ingens hoc munus pro summa antiquitate rei fuisse videtur. Etenim et plus quam duplum est eius pretii, quo sibi Abrahamus Hebronense latifundium comparavit; et siclorum numerus tantus est, ut, si vel multo minores fuerint Mosaicis, magna tamen summa videri debuerit aetate Mosis, cuius lege nulla mulcta maior, quam centum siclorum constituta. Nihilominus ingentia rerum pretia in regno Abimelechi fuisse ex hoc dono non colligitur, (nam fortasse auro aut gemmis velum exornari voluit,) sed pro ratione illius antiquitatis, quae auri inops habetur, divitem fuisse regulum sequitur. Si vero aliqua non aequalitas, sed ratio Abrahamici sicli ad Mosaicum fuit, admodum exigua fuisse videntur pretia agrorum circa Chebronem, cui urbi subiectus ager in aeternum quadringentis argenti siclis, id est, ad rationes Mosaicas 60 thaleris, venditur. Verum mediterranea urbs fuit Chebron, atque igitur non mercatura ditata; pars suburbani agri aquae inopia laboravit; nec illis temporibus agris magna pretia statuta fuerunt. Ex donis, quae servus Abrahami Rebeccae obtulit, minime pro illius temporis ratione

Abra-

Abrahamum, si auro argentoque aestimetur, mediocrem fuisse apparet. Idem patet, si rationem eorum munerum ineamus, quae servum Abrahami, Rebecca Isaaco promissa, virgini, fratri, et matri eius dedisse legimus. Ex hoc munere aestimari quodammodo possunt Kesitae Hebraeorum. Nam cum decem auri siclos et dimidium virgini pro aquae haustu, servus obtulerit, Kesitae, quas singulas Iobo, homini opulentissimo, gratulantes amici, viri divites, obtulerunt, non profecto minuti nummi siclique minores fuerunt, sed talenti potius genus, infra centum argenti siclos vix deprimendum. Pretium pro vendito Iosepho solutum, non magnopere huc pertinet. Erant emtores Midianitici: festinabant venditores; Iosephus non de grege servorum fuit, sed formae excellentis. Hinc igitur sequitur, in pretiis rerum exiguam fere pecuniam prodi, at pro eius ratione nimis magnam in donis, eaque ipsa pretia, quibus agri non parvi emebantur, aliquando ipsis emtoribus vilia visa; illam quoque aetatem auri argentique divitem fuisse, nec tamen nobilis metalli abundantia pretia rerum valde aucta fuisse. Quod inde accidit, quoniam non omni auri argentique abundantia pretia rerum crescunt, sed illius, quod pro pecunia est; atque iam tum ingentes auri argentique divitiae vasis ac supellectili a ditioribus impendebantur. Mosis aetate pariter plus auri et argenti Israelitis, quam pecuniae fuit. Hoc patet ex monilibus ad vitulum conflandum, et auro argentoque ad tabernaculum condendum, collectis. E legibus vero Mosis aliquid certi de pretiis servi, arietis, agrorumque, et mercede mercenarii statui potest. Aestimat enim servum et ancillam Exod. XXI, 32. triginta siclis argenti, qui, ex rationibus Auctoris, sunt sex semunciae Romanae, et partes duae tertiae ($6\frac{2}{3}$.) sive totidem fere floreni Misnici. Neque tamen existimandum, omnes eodem pretio servos fuisse, sed medium aliquod pretium statuitur in servo, de cuius virtutibus post mortem non ita inter solventem et accipientem convenire poterat, ut emtorem inter et venditorem fieri

 solet.

ſolet. Servi pretio Moſes pretium, quo nolente patre delibata virgo in coniugem emeretur, aequale eſſe voluit. In diverſis autem pretiis mancipiorum ſtatuendis maxime eorum aetatem ſpectatam fuiſſe ex Levit. XXVII. 33. diſcimus. Annua operarii merces denorum ſiclorum fuit, qui, ad noſtros numos relati, duo florenos Miſnicos, totidemque nonas partes faciunt. Ex arietis pretio, Levit. V, 15. qui duorum fuit ſiclorum, ſive ſeptem fere groſſorum Miſnicorum, pretium imaginarium ſicli Moſaici, quod legislatoris tempore fuit, definiri poteſt. Siclus, qui argento, ſeu vero valore, parum aberat a duabus nonis partibus floreni Miſnici, imaginario pretio duo florenos aut aequabat, aut ſuperabat. Agrorum pretia difficile eſt definire. Moſes enim agrorum ſeu meſſium potius, quae ſolae venditae, pretia, ex ſementi hordei aeſtimat, nos vero ignoramus, quae ſeminandi ratio in Palaeſtina fuerit. Suſpicari tamen licet, rarius ibi, quam apud nos fieri ſolet, ſeminatum fuiſſe; neque dixerimus facile, quantam ex meſſe, praeter duas decimas pro ſementi et cultura agri, deducendum fuerit, quidque, his deductionibus factis, veri tanquam foenoris terra cultoribus ſuis dederit. Agrum quidem, ſi in Palaeſtina conſecretur, ita aeſtimari iubet Moſes, ut XLII. meſſes agri, qui chomero ſeu decem ephis hordei conſeminabatur, quinquaginta ſiclorum argenti, ſeu undecim fere Miſnicorum florenorum eſſent. Viliſſimum hoc pretium, ſi epha ſive modius Hebraeorum tantus fuit, quantus ab interpretibus definiri ſolet, nempe ad noſtrum ut 2022. ad 950, eoque duplicato maior. De quo ſi dubitemus, ac minuere modium velimus, hoc certe ex hiſtoria Mannae, cibi coelitus dati, liquet, decima parte ephae ſatiari Iſraelitam potuiſſe, ſi alii accederent cibi Nomadum gentibus familiares: ſingulas enim decimas partes ephae in ſingula capita quotidie legere Moſes permiſit, plus rapere vetuit. Atque vel hac ratione perexiguum fuit pretium agri. Id quod Auctor et periculo cum hac emtione coniuncto, et victui Iſraelitarum, ad Nomadum morem

com-

compoſito, tribuit. Potuitne vero fieri, ut Moſes, talis tantusque vir, cum nihil inconſtantius pretiis rerum, aeternas de rerum aeſtimatione leges ferret? Viro Cel. hae quidem leges, quas ille de pretiis ſcripſit, aut quibus mulctas ſtatuit, non aeternae videntur, ſed, ubi aequitas neceſſitasque poſceret, mutandae. Non eſt alia legum civilium in republica, recte et bene informata, ratio, quam ut mutari gravi de cauſa poſſint; neque, ſi Deus civiles leges ferat, immutabiles illae eſſe debent. Neque in his legibus ſolemne carmen additum, quod aliquam aeternitatis ſpeciem praebere poſſit; חקת עולם לדרתכם. Arbitratur igitur Vir Cl. ipſo Moſe volente eas mutari potuiſſe et debuiſſe, ſi quando id mutata rerum pretia poſcerent; quod tamen ante Davidem haud videatur accidiſſe. Illo omni tempore, quod ſub Iudicibus et Sauli imperio elapſum, in mediterraneis Palaeſtinae pretia rerum imminuta potius, quam aucta eſſe putat. Vicini populi Iſraelitas cum tributis, tum rapinis emungebant, igitur rarioris iam auri argentique pretium atque charitatem valde augeri oportuit. Alia fuit pretiorum ſub Davide, Salomone, regibusque reliquis pretiorum facies. Nam ſecuritas Palaeſtinae, maior copia pecuniae, et uſus auri pro pecunia, (antea enim ſola argentea pecunia uſi erant,) valde rerum pretia auxit. Diſputat hoc loco multis Vir Cl. hominum multitudinem creſcentem plus conferre ad augenda pretia, quam ad minuenda; deinde de incredibili multiplicatione Iſraelitarum ſub Davide exponit, inque cauſas illius inquirit; et denique exempla aliquot magnorum pretiorum ſub Davide eiusque poſteris addit.

VII. De corporum marinorum aliorumque peregrinorum in terra continente origine, commentatio *Sam. Chriſt. Hollmanni.* Copioſiſſimam, ſi quisquam alius, diſputationem Cel. Hollmannus de hac re inſtituit. In medium profert veterum de conchis marinis mediterraneis obſervationes; tranſit ad ſententias paullo recentiorum; exponit de cauſis neglectus huius rei ſequioribus temporibus; laudat

auctores, qui ista diluvio tribuerint, et quid eorum opinioni obstet commemorat; atque tandem suam sententiam proponit. Redeunt vero omnia huc. Terrae motus passim contingere, saepiusque, his praecipue annis in iis locis contigisse, ubi maxime insolitum adhuc phaenomenon fuerat, satis constat. Nemo dubitare debet, iisdem causis terrae motus deberi, quibus fulgura fulminaque supraterranea debentur, nihilque adeo aliud quam fulgura subterranea esse, quorum explosionibus incumbentis terrae superficies concutitur, et quae eo graviora et periculosiora sunt, quo maior exhalationum inflammabilium copia adest, quae simul incendantur; quo exactius septus occlususque locus est, in quo incensio eiusmodi contingit, et quo levius minusque densum terrae stratum loco, in quo haec eveniunt, incumbit. Ubicumque igitur hi motus accidunt, ibi cryptae cavernaeque subterraneae existant, in quibus exhalationes inflammabiles oriri, colligi, et incendi, aeremque adeo cryptis cavernisque eisdem inclusum subito magnaque vi expandere et quasi explodere queant, necesse est. Nemo ignorat, commotionibus et concussionibus eiusmodi terrae superficiem saepe fissam, voraginesque ingentes apertas esse, quibus nunc terrae incumbentis pars, nunc eidem inhaerentes montes, aedesque integrae, non raro urbes, haustae absorptaeque sint, terraeque his concussionibus facti hiatus aquis saepe stagnantibus repleti. Revocemus in memoriam, quae nuper in detecto Herculaneo observata sunt, quod terrae voraginibus ante hos MDCC. circiter annos haustum in lucem nostra aetate protrahitur. Meminerimus, quae in regni Peruviani metropoli, *Lima*, atque aliquot ab eadem lapidibus distante portu *Callaensi*, acciderint. Omittimus, aliis multis in locis specus et cavernas, quae aditum liberiorem admittant, deprehendi, in quibus exitum aut cavitatis extremum terminum saepe haud reperire licet. Tales in *Carniola* alibique sunt, tales et circa *Hercyniae* montes sunt famosae *Baumannianae* et *Schwarzfeldicae*. Maxima igitur vel hodie habitatae terrae pars cryptis cavernisque subterraneis,

neis, veluti fornicibus quibusdam, forte ſuſtinetur et quaſi ſuſpenditur, atque adeo verendum eſt, ne magna iſtarum regionum inprimis pars, quae terrae motibus toties concutiuntur, voraginibus ſuis ſubiacentibus aliquando tota abſorbeatur. Si igitur ſumamus, eandem circiter orbis antiqui et terrae inprimis continentis fuiſſe faciem, eadem in orbis antiqui cryptis ſubterraneis, quae in noſtris toties evenire videmus, eveniſſe, incenſionibusque adeo et fulminibus ſubterraneis easdem non minus concuſſas diſploſasque eſſe: totam illam terrae ſuperficiem, quae maribus hodie obtecta, aut magnam certe eius partem terra continente aut inſulis maioribus minoribusve, ſed cryptis iſtiusmodi ſubterraneis inſiſtentibus, conſitam fuiſſe: ſi igitur haec ſumamus, quidnam evenerit, aut evenire oportuerit, facile intelligitur, ſi terras illas continentes, ſi inſulas illas omnes, ſive terrae motibus, ſive aquarum eluvionibus, ſive aliis quibuscunque cauſis everſas, deletas, ſuisque voraginibus hauſtas eſſe ſumamus. Non enim aliter fieri potuit, quam ut maria, reliquam terrae ſuperficiem eo tempore tegentia, in loca, a terris continentibus, ſed voraginibus ſuis, ſive ſimul, ſive ſucceſſive hauſtis, derelicta concederent, atque tanquam in loca decliviora confluerent, ſicque adeo iam fundum ſuum, reliqua terrae ſuperficie multo exſtantiorem, ſucceſſive desererent nudarentque, et terrarum adeo continentium atque marium antiqui orbis ſedes totae permutarentur. De rei poſſibilitate nemo facile dubitabit: veri autem ſimilitudo et probabilitas facilis eſt. Arbitratur igitur Vir Cel. in iſta terrarum continentium mariumque permutatione, gravitatis in terra centrum non potuiſſe non ſimul permutari, aliumque tunc converſionis diurnae axem, et obliquum ſimul eius ad planum orbis annui ſitum, exortum forſan eſſe, quo ipſo vero totam terrae ſuperficiem nova ratione immutari oportuiſſe patet. Quae inter zonam torridam et temperatas poſita antea erant, illa ad alterutrum noſtri orbis polum tanto acceſſiſſe propius, vel tanto ab eodem etiam neceſſario magis receſſiſſe ſequitur, quanto,

quanto, qui hodie est, conversionis diurnae axis a priore isto forsan distat: quo ipso iam corpora, quae in terra passim hodie reperiuntur, longe a loco suo natali remota, in patriam quasi suam postliminio revocantur, cum hoc quoque omnes superficiei terrestris partes novos simul, atque a prioribus multum diversos, motu suo diurno circulos describere oporteret, miram rerum omnium, aquis inprimis innatantium, confusionem, perque totam terrae superficiem dispersionem, contingere oportuit. Hinc igitur ex mente Viri Cl. evenit, ut tot diversorum climatum et regionum corpora varie inter se nonnunquam permixta reperiantur. Longius etiam Vir Cl. progreditur, et, cum inter omnes nostri systematis planetas nullus sit, cuius conversionis diurnae axis ad orbis sui annui planum tantum inclinatus sit, ac, praeter terram nostram, Saturnus, eiusdemque adeo singularis simul sit facies, ut negari nequeat, absque annulo circa aequatorem ipsius suspenso, atque aequaliter ab eodem ubivis distante, vix intelligi aut explicari miras illius apparentias posse: quaerit, annon annulus ille pristinae, quae extremam Saturni superficiem olim constituerit, crustae superstes pars sit, quae, quod ab utroque eius polo maxime remota, maxima adeo velocitate etiam circa axem ipsius revoluta fuerit, sola circa ipsum suspensa manserit, reliquis eius partibus interim collapsis, illumque ipsum, quem hodie videmus, Saturni globum, et quasi nucleum, formantibus; orta simul, in mira hac corporis catastrophe, axeos eius conversionis diurnae ad orbitae annuae planum inclinatione.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiae

Calendis Martii Anno MDCCLX.

Pars I.

CONCILIA GERMANIAE, QUAE CELSISSIMI Principis, Ioannis Mauritii, Archi-Episcopi Pragensis, sumptu, Cl. Ioannes Fridericus Schannat magna ex parte primum collegit, dein P. IOSEPHUS HARTZHEIM, S.I. eiusdem Celsissimi impensis plurimum auxit, continuavit, Notis, Digressionibus criticis, Charta et Praefatione chorographicis illustravit. TOMUS II. ab Anno DCCCXVI. ad M. Aerae Christianae.

Coloniae August. Agripp. typ. vid. Io. Wilh. Krakamp et hered. Christ. Simonis, 1760. Alph. 4. plag. 5. fol.

Quid sibi Cel. *Hartzhemius* hoc Opere edendo proposuerit, nuper indicavimus: quid vero hoc altero Volumine Conciliorum Germaniae contineatur, cum ex ipso libri titulo patet, tum nos paucis iam dicemus. Incipit hic Tomus a conventu Aquisgranensi, A. 817. celebrato, seu potius, ut in supplementis monetur, a Synodo Frisingensi V. qua A. 815. Hitto episcopus donationem Cundharti Comitis accepit, in Synodo autem Magdeburgensi A. IM. desinit, et praeterea non pauca Tomi prioris supplementa exhibet. Non negamus quidem, magnum conventuum numerum

Virum Cl. nobis dediſſe, verum omnes Conciliorum nomen mereri, non facile nobis perſuadebit. Lubenter tamen, eorum cognitionem in hiſtoria Germaniae utilem eſſe, ac prope neceſſariam, fatemur. Quid vero? quo iure Concilium Epiſcoporum Aquisgranenſe, A. 825. de transferendo corpore S. Huberti Leodio Andainum exhibetur pag. 34? At conſtat, nondum rem certam ſatis et exploratam eſſe, nondum omnibus de veritate huius hiſtoriae perſuaſum. Debebat certe Vir Cl. cauſas commemorare, quibus adductus, lectoribus ſuis hoc Concilium obtruderet. Caeterum in hoc altero Volumine non aliter, quam in priori verſatus eſt. Praemiſit indicem chronologicum, catalogum Romanorum Pontificum, ſeriem chronologicam Regum Germaniae; ſubiecit Conciliis notulas aliquot, et prolixiores digreſſiones addidit. De his igitur digreſſionibus paullo copioſius agemus.

In digreſſione Seculo nono annexa Auctor primum exponit de delectu Conciliorum, et de Synodis extra Germaniam quidem habitis, ſed ad Germaniam ſpectantibus. Hae ſunt: Romana, in cauſa Leonis III. et Caroli Regis, ob definitionem Synodi Aquenſis A. 809. de retinendo additamento, *Filioque:* duae tresve Romanae ob divortium Lotharii et Theutbergae circa A. 863—865: Ticini in Liguria propter Theutgaudium et Guntharium, in Archiepiſcopales ſedes reſtituendos, habita: Compendienſis de Ludovico Pio. Harum acta inſeruit Noſter huic collectioni; licet ipſe fateatur, ultimam politicum alicui conventum videri poſſe. Tranſit deinde ad exitum Aquenſis Synodi A. 809. et cauſas exponit, cur Canonizationem S. Suiberti, Werdae celebratam, omiſerit. Fictam enim hanc Synodum eſſe arbitratur, totamque rem comoediam appellat. Porro nobis eos proponit, quos Germania Seculo nono Canonum eccleſiae peritos habuerit; nempe Sympertum, Auguſtanum Epiſcopum et Abbatem Murbacenſem; Remedium, Curienſem Epiſcopum; Smaragdum, Abbatem monaſterii S. Michaelis ad Moſam in dioeceſi

Virdu-

Virdunensi; Benedictum, Anianensis primum monasterii, post S. Cornelii ad Indam Abbatem; Haitonem, sive Ahytonem, Basileensem Episcopum; Amalarum, Metensem diaconum; Halitgarium, Cameracensem et Atrebatensem Episcopum; Benedictum, Levitam Moguntinae Ecclesiae: Rabanum Maurum, Archiepiscopum Monguntinum. Post inquirit, quot et quae Synodi in causa Bremensis ecclesiae, Coloniensi Metropolitae subiectae, habitae fuerint? Porro exponit de Godeschalci damnatione in concilio Moguntino, ubi id agit, ut Mauguinum, Iansenium, et *omnes*, ut ait, *Praedestinatianae haereseos resuscitatores ac patronos* refutet. Verum leviter hanc rem attigit, neque satisfecit nobis, qui et Godeschalcum, et iudices eius, peccasse arbitramur. Denique exponit de Conciliis, ob divortium Lotharii et Theutbergae habitis.

Altera digressio, seculo decimo addita, in quinque capita describitur. In primo exponitur de auctoritate Ecclesiae Romanae apud Reges et Episcopos Germaniae hoc primo millenario. Ut vero auctoritatem Pontificis melius probare lectoribus, atque ante oculos posset ponere, plura attulit argumenta reverentiae, ut putat, Regum, sive, ut nos arbitramur, stuporis et somnolentiae, erga Romanum imperium. Narrat igitur, Reges et Imperatores causas maiores ecclesiasticas Episcopis, et Episcopis Romanis, diiudicandas reliquisse, ut auctoritatem Chor-Episcoporum, et potestatem sacram; Presbyteris nec convictis, nec sibi obiecta crimina confessis, Pontificis sententiam audiendam fuisse: Pontificem, Concilia in Germania celebrata vel adprobasse, vel reiecisse: eundem de matrimoniis regiis, novorumque Episcopatuum et institutione, et mutatione, iudicasse. Qua vero de causa haec tam copiose a Viro Cl. enarrantur? Nempe, ut pag. 704. dicere posset: „Nemo regum et principum ius sacrorum sibi arrogavit: „nemo eorum, ex iure naturae, dixit, iurisdictionem sa„cram pertinere ad summam Regis vel Imperatoris maiesta„tem: nemo a plebe vel fidelium communione originem

„poteſtatis eccleſiaſticae derivavit: nemo ius maieſtati-„cum populo et principi commune ſomniavit: omnes „poteſtatem in ſacra a Chriſto ſoli Petro et Apoſtolis da-„tam crediderunt, nec eam cum Apoſtolis mortuam, ſed „perſeverare in Eccleſia Chriſtiana ad conſummationem „ſaeculi. Quidquid ſcribant Conringius, et Puffendorfius, „Grotius, et Boehmerus, Marſilii Patavini deſcriptores. — „—Verbo: talia monſtra audimus circa iurisdictionem ſa-„cram hoc ſaeculo XVIII. a Dominis noſtris adverſariis: „quorum nullum veſtigium vel umbram Chriſtiani Reges „primi millenarii viderunt aut ſomniarunt.“ Belle profecto et eleganter! Quis negavit umquam, tantum complures Reges Imperatoresque imperio Pontificis indulſiſſe, quantum vix credas? Alii enim, quos deinde honorifico titulo *Piorum* inſignitos videmus, naturali quodam ſtupore et ſomnolentia impediti; alii nimia ſuperſtitione occoecati; alii, ſive timiditate, ſive ab omni certamine pacis amore ſtudioque abhorrentes; alii aliis de cauſis non ea, qua par fuit, animi fortitudine, Romani Epiſcopi iugum excuſſerunt. Quid vero inde efficitur? An illud, quod Vir Cl. arbitratur? Quid, bone Deus! non defenderetur, ſi ita ratiocinari liceret: quidquid plures Reges Imperatoresve fecerunt, dixerunt, adprobaverunt, illud aequum et iuſtum eſt? Facili negotio tunc vel turpiſſima ſcelera defendere, facile illam *Schiſmam* Latio adſcribere poſſemus. Verum neque lubet, neque opus eſt, plura de re dicere, quae a doctis viris dudum ita explicata et expoſita eſt, nihil ut clarius. Neque etiam ſoli *domini adverſarii*, ut Auctoris verbis non bonis utamur, ita ſentiunt, ſed ipſe doctor Sorbonicus, *Edmundus Richerius*, eadem de auctoritate Pontificis in *Vindiciis doctrinae maiorum ſcholae Pariſienſis* docuit. At nonne hic liber in numerum librorum prohibitorum relatus eſt? Quid mirum! cum multa doctrina refertus, multaque libertate ſcriptus ſit? Neque nos videmus, cur Vir Cl. hanc lectionem Conciliorum *Catholico Germano magno ſolatio eſſe debere* dicat. Quin nos illam dolorem

potius

potius eiusmodi lectori allaturam esse putamus. Intelliget enim, seculo nono et decimo Romanam potestatem ad summum fastigium pervenisse, Reges et Imperatores, nulla sui imperii ratione habita, patienti animo iugum Pontificis tolerasse, neque fuisse quemquam, qui immensae eius licentiae resisteret. Haec igitur tempora si cum nostris, quorum alia est ratio, lector conferat, quantum tandem solatii percipiet? Verum de his satis. Alterum caput complectitur nomina eorum, qui Seculo nono et decimo iuris canonici scientia claruerunt, *Canonistas* Noster appellat. Primus est Regino, Prumiensis Abbas, a Trithemio *insignis Iurista* vocatus, qui in duo libros collegit, atque ex omnium per novem prima secula pontificum doctorumque libris Canones ecclesiae excerpsit, praemisitque rationem *visitandae ab Episcopo dioeceseos*, seculo nono et decimo usitatam. Hanc Reginonis collectionem, quam Noster *illustrissimum Iuris Canonici Germanici speculum* appellat, insertam videmus huic Volumini, pag. 904. sq. Sequitur Rutgerus, Treverorum Archiepiscopus, qui in Synodo provinciali A. 922. *sanctionum Ecclesiasticarum* librum edidit, qui deinde periit. Tum Ratherius, qui e monacho Lobiensi Veronensis Episcopus edidit varia, ut librum de contemtu canonum, quem inscripsit *Volumen perpendiculorum Ratherii Veronensis*. Denique Bruno, Archiepiscopus Coloniensis. Caput tertium continet Canonizationes Sanctorum et translationes Reliquiarum Seculo nono et decimo in Germania. Quartum habet nomina Conciliorum celebriorum seculi decimi: quintum mutationes Hierarchiae Ecclesiarum Germaniae, alias attentatas, alias perfectas. Haec de digressionibus, quas cur criticas Vir Cl. inscripserit, non assequimur. Sunt enim plura illarum capita tantummodo indices Conciliorum, et reliqua res non magni momenti tradunt.

DE CAELO FRIGIDO. AUCTORE IO. HENRICO WINCKLERO, Physices Prof. Lipsiensi.

Perenne gelu, quo editiorum montium vertices rigent, argumento est, in altitudine, quae ipsorum excelsitatem aequat, caelum perpetuo frigidum esse. Radiorum solarium in ista sublimitate non est ea vis, quae, cum tepore calent valles, a nivibus defendat dorsa montium. In *Islandia* conspicui sunt montes ignivomi, quorum fauces exaggerata annosaque nive et glacie ita interdum obstrui observatum est, ut cohibiti in eorum cavernis vapores sulphurei, temporis successu, nova incendia moliantur. Frigus, quo hae nives durant in multos annos, non existit ex Insulae situ. Ad radices montium incolae per aestatem calore abundant. Contemplemur montes, qui, quia minori intervallo absunt ab Aequatore, radiis Solis minus obliquis feriuntur. Qui ex amoenissima Thessalia in *Olympum* adscendunt aestivis diebus, algorem sentiunt, quem exitialem fuisse perhibet itineribus clarus Anglus, *Eduardus Brown* *), compluribus ex turba, quae comitata est Anno 1669. Imperatorem Turcicum *Mahometum IV,* cum is intolerabilis aestus vitandi causa secederet in Olympi cacumen. Quam foecunda sit insula *Teneriffa,* quantamque vini frugumque praestantissimarum copiam et varietatem ex succo terrae et calore solis progignat, satis notum est atque testatum. In eadem vero insula praealtus *Pico* nivibus nunquam caret, quae, testibus oculatis, *Edmundo Scory*, et *Iohanne Edens* **), collum montis occupant, et sulphureis rivis ex suprema regione eructatis, et per latus meridionale detrusis, sulcatae quasique venis distinctae conspiciuntur. *Pico* ab Aequatore distat adhuc 28. gradus et 30. minuta prima circuli. In Zona torrida *iuga Peruviana, Andes* seu *Cordelière*, quae Aequatorem secant, et

*) in Itinere per Thessaliam, pag. 126.
**) Allgemeine Historie der Reisen zu Wasser und zu Lande, II. Band pag. 27. sqq.

et a Septentrione Meridiem versus procurrunt, nunquam non obrigescunt nive. In quibus quantum valeat frigus, experientia docuit Geometras, qui A. 1735. ex Gallia profecti, Meridiani tres gradus in illis dimensi sunt. Quae cognoverunt sensu, Galli *Bouguer* et *de la Condamine*, atque Hispanus *Antonius de Ulloa*, exposuerunt *). En brevem historiam sensi frigoris in monte *Pichincha*, in cuius latere urbs *Quito* posita est, Meridiem versus 13. minuta prima et 33. secunda ab Aequatore disiuncta. Ab urbe duo patentiores campi, alter ad Meridiem, alter ad Septentrionem, excurrunt. In his perpetuum ver est, et ita temperatus calor, ut in thermometro Reaumuriano liquoris adscensum non nisi ad 14. et 15. gradum observaverint. Altitudo urbis *Quito* superficiem Maris Pacifici 1500. hexapodis gallicis superat. Sed in cacumine *Pichinchae, Bouguer, de la Condamine*, et *de Ulloa*, Anno 1737. mense Augusto, acutissimo frigore vexati sunt. Pedes intumescebant, manus obrigebant, et cutis labiorum tumore rumpebatur. Coquere cogebantur cibos in aqua ex liquefacta glacie. Nihil enim praesto erat aquae fluentis. Calor coctorum ciborum, quibus vescerentur, alendus erat igni ex subiectis prunis. Vini adusti vim bibentes parum sentiebant. Latuerunt noctu in casa straminea, sed haud tuti satis a frigore, licet, quae reliqua fuerant, foramina, curate obturassent, ianuamque vestivissent coriis bovinis, ne ventus, cuius magna vis erat, perflaret. Interdum evenit, ut, cum coenarent, in appositis vasis vitreis aqua gelasceret, licet appositae fuerint prunae cum ardentibus cereis. Adhibenda saepius fuerunt instrumenta ad dimovendas nives, quibus tugurium obrutum fuerat. Mane praesertim ad

*) primus in libro: la Figure de la Terre; alter in libro: Relation abregée d'un Voyage fait dans l'interieur de l'Amerique méridionale; et tertius in Commentario Hispanico, qui in sermonem germanicum versus extat im IX. Bande der Allgemeinen Historie der Reisen zu Wasser und zu Lande.

ad aperiendas fores, quae nive et glacie occlusae erant, opus fuit adventu servorum ex specu inferno, quo pro cubili utebantur, in quo frigus mitius fuit, ignisque facilius ali potuit.

Esse igitur intelligimus certam regionem Atmosphaerae, gelu perpetuo praepotentem, quam *caelum frigidum* nominamus. Quaeramus de intervallo, quo a superficie terrae distet. Vertex *Pichinchae* petrosus nivi perenni in Zona torrida constituit terminum inferiorem, quem eundem esse vidit in omnibus reliquis montibus, quos in eadem Zona consideravit *Bouguer* *). Maris Pacifici superficie altior est vertex 2434. hexapodis gallicis. Decidit quidem nonnunquam nix in loca humiliora Zonae illius. Nive conspergi vidit *Bouguer* urbem *Quito*. Sed quo die cecidit, eodem regelatur. In montibus, quorum catena *Cordeliére* vocatur, nullum cognovit observator, in quo non sint nives assiduae. Monte *Pichincha* multo altiores sunt. In eos autem non datur adscensus propter glaciem, in quam nives convertuntur. Superiorum enim nivium superficies, quam nubes non obtegant, liquescit affecta per diem radiis solis. Cessante vero huius efficientia liquida nix gelatur. Crebro liquantur nives ignibus, quibus pleni sunt omnes propemodum montes Peruviani. Aqua nivalis in nivium subiectarum strata defluit. In his autem glacies generatur, quae vitri politi speciem induit.

In Zonis temperatis perennantium nivium terminus inferior ad superficiem terrae propius accedit. Nivosus *Pico* in insula *Teneriffa* tantum 2100. hexapodis altior mari est. In Gallia, regnoque Chili, haec altitudo non nisi 1600. hexapodas complectitur. *Bouguer* **) lineam, quae per loca ista nivium in Atmosphaera circum Tellurem duci possit, appellat *lineam du terme inférieur constant de la neige.* Itaque *Caeli frigidi* cavatura, cui subiectus est aer omnis, in

*) La Figure de la Terre pag. 45. sqq.
**) loco cit. pag. 48. 49. 50.

in quo homines degunt, ab Orbe Terrarum intervallis inaequalibus abest, quae cum crescente locorum terrestrium latitudine ita decrescunt, ut superficiem Telluris ultra circulos polares attingere tandem videatur illa cavatura.

Haec constant de intervallis, quibus a superficie Terrae *Caelum frigidum* disiunctum sit. Quaeritur de altitudine, in qua desinat frigus, quod nives gignere valeat. In monte *Cotopaxi* nivium altitudinem verticalem per 700. hexapodas extendi, vidit *Bouguer* *), et in *Chimborasso* 3217. hexapodas alto, quem altiorem esse censet reliquis, quos quidem in Zona torrida cognovit, amplius 800. complecti. Ultra hanc altitudinem per 400. hexapodas elevatas nubes observavit. Et harum excelsitatem adscensu fumi ex ignibus montium 800. adhuc hexapodis superari animadvertit. Ex quo patet, in Zona Torrida nascentium nivium terminum superiorem ab inferiori 2000. hexapodarum intervallo disiungi.

Ex hoc autem, quod in illis locis superioribus nulla generatio nivium observetur, ne sequi putemus, ut in iisdem ipsum frigus glaciale terminetur. Tantummodo deficiunt vapores, qui congelentur. Si spectemus rationes, cur aer montanus frigidior sit campestri, facile intelligimus, multo maiorem adhuc poni posse altitudinem, per quam frigoris auctus continuentur. Qui radiis solaribus in aere cietur, calor existit ex materiis, quae in ipso aere continentur. Quo rarior hic est, eo pauciores igniculos complectitur. Itaque necesse est, ut, quo altior aer sit, eo minor sit calor, quem in eo radii Solis excitent. Nullum igitur dubium est, quin ab inferiori termino nivali, quem supra finivimus, per ingentem altitudinem extendatur *Caelum frigidum*, eiusque partes per loca superiora continue frigidiores existant.

Huic tamen incremento frigoris fines certos constitui neminem inficiaturum esse existimo, nisi qui ignoret, radios

*) In Figure de la Terre pag. 49. et 50.

dios solares iis in locis, in quibus densiores sint, esse efficaciores. Augescit vero eorum densitas cum crescente a Terra distantia. Quantum autem a Terra absit locus ille, in quo densitas radiorum solarium pellat vim frigoris glacialis, hoc quidem difficiles explicatus habet. Ex hoc, quod focus vitri caustici radiorum solarium collectu valet, intelligimus, eorum eandem esse vim iis in locis caeli, in quibus aeque densi sint. Sed in multo labore positam esse videmus disquisitionem, quantum a nobis distent loca illa remota.

Ipsius vero *Caeli frigidi* ratio habenda esse mihi videtur in explicandis caussis frigoris extraordinarii, quo Zonas temperatas nostra aetate et superioribus seculis affectas subinde quasique constrictas fuisse novimus. Fieri solet, ut hieme, quando caelo sereno per diem Sol frigoris modum temperavit, post discessum illius statim ingruat gelu acutum, licet non sentiatur ventus, qui oriundus ex regione frigidiori afferat secum materias glaciales et salinas, quibus aer noster frigescat. Diebus aestivis, quibus aer ita incaluit, ut molestiam sentiant homines, crebro fit, ut, ipso flante Favonio, ex aere grando praecipitetur.

George Christian Gebauers Portugiesische Geschichte ꝛc.

i. e.

HISTORIA LUSITANIAE, TABULIS GENEALOGICIS multisque animadversionibus illustrata a GEORGIO CHRIST. GEBAUERO.

Lipsiae, apud Casp. Fritschii vid. *P. I.* Alph. 1. pl. 13. *P. II.* Alph. 1. pl. 10. 1759. in 4.

Cum praeclarum ingenium *Gebaueri*, celeberrimi in Academia Göttingensi Professoris, se dignissimum scribendi argumentum sibi delegit: tum historia Lusitaniae dignum sua magnitudine et varietate scriptorem nacta est. Quemadmodum igitur rerum magnitudo ingenium illius

illius excitavit: ita praestantia scriptoris rerum magnitudinem exaequavit. Commotus vero potissimum est Vir Cl. ad hanc operam suscipiendam, inepta eorum sedulitate, a quibus dictata, (ipsi *Discursus* inscripserunt,) *Gundlingii* edita sunt. Nam non solum turpe est, lucri causa eiusmodi aliquid moliri, sed pessime quoque Auctoris famae consulitur. *Gundlingius* profecto, si dictata illa nunquam fuissent prolata, maiori floreret eruditionis fama, mitiora iudicia experiretur, neque tantum apud quosdam, Batavos maxime, odium in se concitasset. Iam Cl. *Gebauerus*, qui, cum super *Primis lineis historiae Statuum Europae* a se editis praelectiones haberet, non iniuria verebatur, ne sibi idem fatum contingeret, iam tum spem fecit, quae in illis Primis lineis breviter disputentur, uberius explicandi, suasque animadversiones edendi. In lucem igitur prodit primum historia Lusitaniae, cui, ut promittere videtur, Vir Cl. utinam reliquorum regnorum historiam adderet. Est vero haec historia nihil aliud, quam copiosior explicatio primi Capitis illarum Linearum. Inde breves positiones excipiunt commentarii uberiores, quibus animadversiones quaedam adiunctae. In his testimonia Scriptorum laudantur, excutiuntur, diiudicantur, aliaque cum re proposita coniuncta monentur. Totum opus in Capita V. descriptum est. *Caput I.* antiquissima Lusitaniae tempora complectitur. Inde situs, et Aborigines Lusitaniae commemorantur, Phoenices et Carthaginienses, domini Lusitaniae, Romanorum bellum et victoria, Viriathi caedes, Alanorum, Suevorum, et Gothorum in Lusitaniam migrationes exponuntur. *Cap. II.* habet historiam Lusitaniae, ab A. 1095. usque ad A. 1384. sive ab initio regni usque ad domus regiae internecionem. Hic *Henricum*, Comitem Lusitaniae, primum videmus, ubi Noster multa de *Ximenia* Alphonsi VI. regis Castiliae coniuge disputat. Hunc sequitur *Alphonsus I.* cognomine *Henriquez*, quem magnum exercitum Maurorum vicisse, praelio apud Ouriquam, constat. Res nota est ex celeberrima illa epistola, quae A.

1596. in archivo Alcobazano inventa, et in qua res multis miraculis comta et exornata narratur. Rem ipſam repetere non opus eſt, ſed ſententiam Viri Cl. recenſere operae pretium erit. Ipſam quidem epiſtolam minime effictam aut ſuppoſitam, ſed antiquam et veram videri: rem autem minime miraculoſam eſſe. Se quidem exiſtimare, ante praelium Alphonſum aliquid vidiſſe, quod illi militibusque illius animum adderet: verum Chriſtum, ad dextram patris ſedentem, eo tempore, quo Chriſtianae doctrinae miſera fuiſſet facies, hac de cauſa, quoniam 13000. Chriſtianis a 400000. Mauris periculum imminuiſſet, ſe Alphonſo cruci affixum oſtendiſſe, atque hanc, quae circumferatur, orationem habuiſſe, ſe nunquam eſſe crediturum. Eremitam potius illum, fortaſſe aliorum prudentiorum hominum ſuaſu, terrorem timoremque, quo totus exercitus perculſus, eripere aliqua pia fraude voluiſſe. Primum enim, ait, ſenex, qui media nocte Alphonſum adiit, non Chriſtus, non angelus, ſed homo fuit, qui, ut ipſe fatetur, annos 66. in eremo egit. Deinde probe notandum eſt, Eremitam regi dixiſſe, poſtera demum nocte eum imaginem illam viſurum eſſe. Num Deus, non eodem temporis momento verbis nuntii fidem adiungere potuit? Cur regi ſignum e tabernaculo Eremitae exſpectandum fuit? nimirum ne citius veniret, quam hic omnia diſpoſuiſſet. Cur Eremita non una cum rege ivit, ſed toto a negotio abfuit? Hinc profecto apparet, alia negotia Eremitae eo tempore agenda fuiſſe. Cur regi media nocte, ſoli, et caſtra egreſſo, haec ſpectanda fuerunt? At multum ad auctoritatem et ſplendorem huius apparitionis vel totius exercitus, vel ſummorum imperatorum praeſentia contuliſſet. Quod porro primum radius clarior apparuit, cuius ſplendore ſenſim paulatimque aucto Chriſtus in cruce iuvenibus albis cinctus ſpectatus eſt, hoc proxime ad ignem artificioſum accedit. Alphonſus vero, primo luminis adſpectu exanimatus et in terram provolutus, quomodo rei veritatem explorare et indagare potuit? Si denique ipſa vaticinia conſide-

ſiderantur, non videntur illa in ſolum Chriſtum cadere, ſed ſeni huic bene conveniunt. Generationes XVI. vaticiniorum terminum eſſe voluit, id eſt tempus, quo Alphonſus ſibi de eorum veritate aut falſitate moleſtus eſſe non poſſet. Quam ambigua ſunt verba haec: *Poſuit enim ſuper te et ſuper ſemen tuum, poſt te oculos miſericordiae ſuae, usque in decimam ſextam generationem, in qua attenuabitur proles, ſed in ipſa attenuata, ipſe reſpiciet et videbit?* Nonne hoc *oculis miſericordiae reſpicere* varias interpretationes admittit, et plura genera divinae benignitatis indicat? Quid hoc eſt *proles attenuabitur?* An virile genus extinguetur? Hoc iam in octava generatione accidit. Si generationes dicimus, nihil aliud dicimus, quam filium patrem, a quo generatus, ſequi. Poteſt ne vero hoc de Ferdinando, Ioanne, Ioanne II. Emanuele, Sebaſtiano, et Henrico Cardinale dici? Num forte per *attenuatam prolem* familia Bragantina indicatur? Num hoc, *ipſe reſpiciet in ipſa attenuata et videbit,* denotant, fore, ut haec domus imperio Luſitaniae potiatur? Quid multa? Ita locutus eſt ſenex, ut varie orationem poſteris interpretari liceret. Alphonſum reges Luſitanicos XVI. ſecutos eſſe, caſu accidit. Quod ſenex nomine Chriſti nuntiat, non magni momenti eſt. Quod de meſſe Chriſti, de nomine Ieſu e Luſitania totum per orbem ferendo, dicitur, nihil aliud eſt, quam quod ſacerdotes Eccleſiae Romanae ubique optabant, et dicebant. Hoc vero in India et Braſilia eventurum eſſe, in ipſa quidem epiſtola non docetur, ſed exitus hanc interpretationem invenit et confirmavit. Quid ſi Alphonſus non linguam Latinam calluit? aut, ſi calluit, epiſtolam hanc non legit? Quid ſi Mendo, aut Albertus, aut quisquis hanc epiſtolam ſcripſit, ad emolumentum eccleſiae, et gloriam Luſitaniae, e rumore, qui omnia auget, plura adſperſit? quid ſi huc ſomnium illud referendum, quod Alphonſus, antequam advenit ſenex, vidit? quanquam multa quoque mirabilia dictu animo Alphonſi triſtis, et biblia ante ſomnum legentis, obverſari potuerunt? Tota igitur res, ex mente Noſtri, nihil

 niſi

nisi fraus senis est, prudentiorum suasu suscepta, et felici exitu comprobata. Reliqui reges, quorum historia in hoc capite exponitur, sunt: *Sanctius I. Alphonsus II. Sanctius II. Alphonsus III. Dionysius, Alphonsus IV. Petrus I. Ferdinandus.* Quae Vir Cl. de insignibus regum Lusitaniae contra Marianam, de feudo pro vasallitio, de *Mencia*, Sanctii II. coniuge, disputat, lectu dignissima sunt. In *Cap. III.* Lusitaniae historia ab A. 1411. usque ad A. 1581. exponitur. Reges igitur, quorum res gestae commemorantur, sunt: *Ioannes I. Nothus, Eduardus, Alphonsus V. Ioannes II. Emanuel, Ioannes III. Sebastianus, Henricus Cardinalis.* Incidit in haec tempora, quam auream aetatem Lusitaniae Noster appellat, novi orbis inventio, quam copiosissime describit. Accurate inprimis agit de *Martino Behemo*, insigni Matheseos scientia praedito; cui tamen novi orbis inventionem, et freti Magellanici cognitionem, valde incertis argumentis tribui arbitratur. Quo accuratius Globum a Behemo A. 1492. factum consideret, eo magis se intelligere fatetur, hunc Christophoro Columbo et Ferdinando Magellano minime huius inventionis gloriam dubiam facere. Porro multis de Emanuelis cum Leonora, Caroli V. sorore, matrimonio, potissimum contra Novovillensem *(Neufville)* disputat. De Antonio Notho complura, accurate et diligenter scripta, leguntur. Caeterum haec pars historiae, ob varietatem et magnitudinem rerum gestarum, valde memorabilis est. *Caput IV.* proponit coniunctionem Lusitaniae cum Hispania, et in familiae Bragantinae imperio desinit. Pertexitur igitur filum ab A. 1582. usque ad A. 1641. Reges, quorum historia enarratur, sunt: *Philippus I. II.* et *III.* Summa diligentia inprimis a Viro Cl. historia *Pseudo-Sebastianorum* exponitur, unde, quae de ultimo *Sebastiano* monentur, huc transferre lubet. Est haec disputatio luculentum exemplum historici, accuratam diligentiam cum eleganti prudentia coniungentis, bene omnia causae momenta examinantis, et argumentis recte perpensis magis iudicium suum suspendentis,

quam

quam veritatem rei violantis. Neque enim Sebaſtianum hunc reliquis huius nominis, tanquam impoſtorem, aggregare, neque eundem verum regem appellare audet. Sunt vero duae quaeſtiones potiſſimum excutiendae: an vere Sebaſtianus in praelio cum Mauris necatus ſit? an, ſi nondum certa adſint de morte Sebaſtiani teſtimonia, Sebaſtianus IV. impoſtoribus annumerari debeat? Primum quidem non tam certum et exploratum eſſe Vir Cl. arbitratur, ut ideo Sebaſtianus cauſa cadat. Nemo tam accurate et diligenter, quid Sebaſtiano in praelio acciderit, commemoravit, quam MANUEL DE FARIA Y SOUSA, (*Hiſtoria del Reyno de Portugal*, pag. 328.). Ex huius narratione non improbabile videtur, regem, maxima honoris cupiditate incenſum, et potius mori, quam fugere, cupientem, prae pudore e conſpectu populi diſceſſiſſe. Totus exercitus fuſus, floſque nobilitatis extinctus erat. Quid igitur a populo exſpectare poterat? quid a rege Philippo, a Cardinale Henrico, a duce Albanenſi, ab aliis, hoc qui bellum valde disſuaſerant. Neque hoc omittendum, neminem Sebaſtianum mortuum vidiſſe; et ipſum *Nonium Maſcarenam*, qui ſolus in hoſtium poteſtatem vivus venit, nihil aliud dixiſſe, quam ſe regem equo labi vidiſſe, neminemque corpus propter valida arma vulnerare potuiſſe. Si cadaver regis ſtatim ſublatum, atque ad *Muley Hamet* allatum fuiſſet, nullus eſſet dubitationi locus relictus. Ex armis enim facile regem agnoviſſent. Verum poſtridie demum *Hamet*, capitis poena interpoſita, edixit, ut captivos, quos quisque haberet, adduceret. Regis mentione iniecta, quid vidiſſet, *Nonius* enarravit. Mauris aliquot, cum *Sebaſtiano Reſendio*, ad quaerendum cadaver miſſis, allatum eſt cadaver vili equo impoſitum, quod deinde *Reſendius Maſcarena*, aliique Luſitani nobiles, agnoverunt. Etenim nihil facilius erat, quam aliorum aſſenſum cruento rege praeſente conſequi. Facile intelligere poterant, regi, ſi vel fuga ſalutem nactus eſſet, vel, ut Prior Cratonenſis, *Antonius*, inter ignobiliores diliteſceret, utilem fore opinionem

nionem hoſtium, illum mortuum eſſe. Ita enim omnis quaeſtio atque indagatio tollebatur. Forte etiam *Reſendius* nihil aliud animo ſuo propoſitum habuit. Illud vero cadaver, quod nudum totam per noctem in ſanguine iacuit, vix certo potuit agnoſci. Hoc non ſolum veriſimile eſt, ſed a *Tennevrio* quoque tanquam certiſſimum narratur. Statim vero rumor increbuit, inventum cadaver minime Sebaſtiani corpus eſſe. Blancus *(le Blanc)*, qui ciſtam, qua regis corpus poſtea incluſum, ſuis oculis vidit, ſe a Luſitanis quibusdam captivis audiviſſe ſcribit, Sebaſtianum equo delapſum, aufugiſſe, cadaver vero Suevi alicuius corpus fuiſſe. *Franciſcus Pyrard de Laval* ſe aliquoties ſenes aliquot, qui praelio huic interfuiſſent, interrogaſſe narrat, quid ſibi de morte Sebaſtiani videretur? atque hos reſpondiſſe: inter mortuos Sebaſtianum non fuiſſe inventum, ſeque illum ignotum Mauris inter captivos ſervos latuiſſe exiſtimare. *Ioannes* quidem *Ferreras*, et *Thuanus*, originem rumoris de rege ſuperſtite commemorant. Verum accuratius re conſiderata non poſſumus non Viro Cl. aſſentiri, qui in hac narratione tot inepta et falſa deprehendit, ut fabulae illa ſimillima ſit. Videamus nunc, quid cum Sebaſtiano Venetiis actum ſit. Omnes Scriptores uno ore confitentur, hunc Sebaſtianum, eadem, quae ille, in corpore ſigna habuiſſe, illi fuiſſe ſimillimum, et Sebaſtiani *arcana penitiſſima*, ut *Lundorpius* ait, perſpecta habuiſſe et cognita. Nemo tamen, unde illa acceperit, et haec cognoverit, definire audet. Facile tanto temporis ſpatio fraus indagari potuit, cum praeſertim homo in poteſtate magiſtratus eſſet. An probabile, Hiſpanos eo tempore dormitaſſe, quo Luſitani omni ſtudio regem ſuum recuperare ſtuduerunt? Nemo Sebaſtianum ullum ſocium criminis, ut *Gabriel Spinoſa P. de los Santos*, habuiſſe commemorat, qui illum vel inſtigaret, vel conſilio adiuvaret. *Veneti*, ſcribit *Lundorpius*, *damnare ut praeſtigiatorem, abſolvere ut Regem, utrumque periculi et invidiae plenum putant, illi mortalium ſagaciſſimi, qui omnium principum amicitiis tutos et*

ſalvos

salvos se volunt. Quomodo vero accidit, ut hi *sagacissimi mortalium* non intelligerent, praestigiatorem, an verum regem, hunc Sebastianum habendum esse? Sin intellexerunt, quid impedivit, quo minus illum vel palam, vel clam e medio tollerent? Magnam profecto a rege Philippo gratiam inivissent. Ipsa a Decemviris dicta sententia quam mira videri debet? cur octo dierum spatium ei conceditur, cur non statim eum finibus expellunt? an ita cum homine agitur, cuius fraudes non dubiae sunt? Si Decemviros veritos esse dicas, ne Hispani Sebastianum in finibus interciperent, nonne hinc apparet, iudices nullam caussam invenisse, cur illum damnarent? Quare alias de illius salute solliciti fuissent? Neque praetermittenda sunt, quae *Cardinalis d' Ossat* ad nobilem Gallum *Villeroy* hac de re scripserit. *Sebastianus*, ait, *rex Lusitaniae, a Venetis dimissus, non procul Livorno a duce* (Florentino) *captus est. Non probatur, miserum hominem maleque providum per has regiones iter fecisse. Improbatur etiam valde factum Ducis, non tanto apud Hispanos illi emolumento, quanto apud alios damno futurum.* Idem alio loco: *Magnam dux Venetis iniuriam fecit capto rege Lusitaniae, cui modo libertatem reddiderant:* et iterum idem: *Omnes sibi persuadent, dictum regem Lusitaniae Hispanis traditum, et Neapolim delatum esse. Valde mirum hoc prudentioribus viris compluribus mihique videtur —.* Non negligenda sunt haec verba Cardinalis, e quibus hoc certe apparet, illum non ausum fuisse hunc Sebastianum imposturae reum postulare. Notandum est etiam, Cardinalem de duce tam libere ad Gallum scribere, cuius rex arcta necessitudine cum duce coniunctus esset. Quid in Neapoli Sebastiano acciderit, *Petrus Giannone* memoriae prodidit. Huius narratio variis erroribus referta est, quos Vir Cl. etiam refutat. Sed quod ad rem ipsam attinet, non apparet ex verbis *Giannoni*, utrum celebris ille ICtus *de Ponte* statim ab initio causae interfuerit, an, inquisitione rei ab aliis instituta, huic tantum illud mandatum sit, ut re perpensa suam sententiam diceret. Hoc si factum

 fuit,

fuit, ut verba *Giannoni* indicare videntur, quid de sententia *Ponti* dicendum? Sapientissimus ICtus pessimam dicet sententiam, si ii, quibus inquisitio rei commissa, mala fraude agant. Vix etiam aliter huic iudicare licuit, quam utilitas reipublicae, et voluntas regis postularet. Idem *Giannonus* sub Sebastiani persona Calabrum quendam, *Marco Tullio Cotizone* delituisse arbitratur, quae vero patria huius fuerit, non indicat. *Morosini* autem, *ibi* (Neapoli) *fassum ferunt, se ex Siciliae civitate Taberna ortum* — scribit. Non omittendum hic illud *fassum* FERUNT. Neque in Sicilia urbs *Taberna*, sed in Calabria ulteriori sita est. Porro Thuanus non Sebastianum fuisse hunc *Marcum Tullium Cotizonem*, sed Sebastianum dixisse, se e Sicilia hunc in Lusitaniam praemisisse, verum eo non revertente ipsum viam inivisse, testatur. Quid si hinc accusatio exorta, Sebastianum hunc Cotizonem esse? Nonne in Calabria muliercula, aut alius quisquam, praemiis excitari potuit, qui Sebastianum necessitudine secum coniunctum esse mentiretur? Nonne ipse Sebastianus libertate promissa commoveri potuit, ut idem fateretur? quam enim aliam viam expediundae salutis vidit? Quo mortis genere extinctus sit Sebastianus, non constat. Verum si Cotizo fuit, si eius fraudes certo demonstratae fuerunt, cur non eodem, quo priores impostores, supplicio affectus fuit? Quae cum ita se habeant, non immerito semper dubium fore Vir Cl. pronuntiat, utrum verus rex Lusitaniae hic Sebastianus fuerit, nec ne? Sed haec hactenus. Magnam partem huius capitis occupat historia illorum temporum, quibus Lusitania Hispanorum iugum excussit. Atque hoc multa diligentia a Nostro exponitur. In observationibus ea praesertim nobis arriserunt, quae de *Strozzio*, de *Caramuele Lobkowitz*, de *Iosepho Texeira*, et de caussis persecutionum Christianorum in Iaponia commemorantur. *Caput V.* continet historiam Lusitaniae a regimine familiae Bragantinae usque ad nostra tempora, ideoque reges complectitur sequentes: *Ioannem IV. Alphonsum VI. Petrum*

trum

trum II. Ioannem V. Iosephum. Ultimo loco commemoratur copiosissime coniuratio A. 1758. in sanctissimum regis caput facta, coniuratorumque poenae. Inprimis in hoc capite Vir Cl. multum studii operaeque posuit in historia infelicis *Eduardi*, regis Ioannis fratris, quanta posset maxima diligentia conscribenda, omnibusque, quae huc spectant, colligendis. Disputat igitur de causis, cur Eduardus non certior factus sit de consilio Ioannis; refutat porro *Antonium de Sousa*, qui multa falsa de causa, ob quam Eduardus a Ferdinando Hispanis traditus, memoriae prodidit; denique multa de captivitate Eduardi Mediolanensi, contra eundem Antonium, de deprecationibus multorum principum, et aliis, in medium profert iucunda lectu. Memoranda quoque sunt, neque ubivis obvia, quae de *Alphonso VI.* disputat. Se non intelligere fatetur, quae fuerit harum turbarum ratio, neque se discernere posse, iure an iniuria Alphonso regnum cum coniuge ereptum sit. Verum tamen magis in hanc partem inclinare videtur. Laudat enim duo loca *Southwelli (Histoire du Détronement*, P. II. pag. 33.) et nobilis feminae *Montpensier*, totam quae rem de impotentia regis valde dubiam reddunt. Observavit etiam, ut alia omittamus, litteras Cardinalis permissorias d. 16. Martii scriptas; sententiam vero in causa matrimonii d. 24. Martii dictam esse: atque ex ipsa epistola apparet, cum Infantem, tum reginam, matrimonii comprobationem postulasse. Nonne igitur longe antea, quam iudicium et sententia de dissolvendo coniugio cognita est, veniam alius matrimonii ineundi petierunt? Nonne omnia, quae regina de dote recipienda, et itinere in Galliam faciendo, dixit, omniaque, quae ad formam iudiciorum acta cum rege, ficta et ad speciem excogitata fuerunt? Certe, si vel omnia concedamus, quae de impotentia regis, tum quod ad coniugium, tum imperium attinet, proferuntur, nullo tamen modo vim illam defendi, modumque illum probari posse A. dicit, quo in negotio hoc versati sint. Caeterum, quae in hoc capite de terrae motu, quo A. 1758.

Lissabona concussa, de Iesuitarum in India fraudibus perniciosisque consiliis, de titulo *Fidelissimus*, monentur, lectu digna prae aliis sunt. Etsi vero Vir Cl. *fidelissimum* per eum interpretetur, qui Romanae ecclesiae maximam fidem praestiterit, *(den allergetreuesten,)* magis tamen aliorum interpretationem per eum, qui doctrinae Ecclesiae maximam fidem habuerit, *(den allergläubigsten,)* perpetuo prope usu verbi *fidelis* confirmari putamus. Denique adiunctus est duplex index, et prior quidem librorum, quos Vir Cl. in scribenda historia consuluit. Hic monentur aliquoties memorabilia quaedam, cum de libro, tum de auctore: ut de BARLAEI *Historia Brasiliae, de* MONTEYRI *vitis Ioannum, regum, de Lusitania liberata* ANTONII SOUSAE DE MACEDO, et aliis. Alter index res et personas memorabiles continet.

Atque haec nobis de Cel. *Gebaueri* historia Lusitaniae dicta sunto. Non dubitamus fore, ut omnes eandem, quam nos, ex illius lectione voluptatem percipiant. Scribendi genere eleganti et facili Vir Cl. utitur: si res clara, ingenue illam exponit; si dubia, et controversiis quibusdam implicata, sollerter omnia indagat. Optimos Lusitaniae historicos bene novit, eorum testimoniis diligenter utitur, saepiusque eorundem verbis res gestas commemorat. Adspersit subinde sententias breves et utiles, variaque in animadversionibus protulit, quae ipsi historiae intexi non poterant. Atque hunc Viri Cel. laborem pluris aestimandum esse, quam ipsorum Lusitanorum, facile patet. Nam hi saepe vel partium studiis, vel timore, vel aliis causis adducti, veritatem rerum reticuerunt, et amore patriae occoecati saepe minus vere iudicaverunt. Nostrum vero libere omnia et ingenue cum potuisse dicere, tum etiam dixisse, is facile credet, qui sibi persuadeat, nihil aliud Cel. *Gebauero* propositum fuisse, quam veritatis diligentem atque exactam investigationem.

OPERE VARIE etc.

id est:

OPERA

OPERA MISCELLANEA FRANCISCI COMITIS ALGAROTTI, Regi Borussiae a Cubiculo, et Ordinis bene meritorum Sodalis.

TOMUS I. Alph. 1. pl. 3. *TOM. II.* Alph. 1. pl. 5.

Venetiis, apud Io. Bapt. Pasquali, 1757.

Exhibet illustrissimus Auctor varia in his libris ingenii sui elegantissimi monimenta: dialogos, dissertationes, carmina, epistolas, mirifico omnia venustissimae orationis flore convestita, multoque sale persperfa. Etenim, si quis alius, ill. *Algarottus* profecto, illud operam dedit, ut non solum lectorum animos oratione, quam nitor, elegantia, et nativa quaedam pulchritudo commendet, delectaret, sed etiam res subobscuras et difficiles ita explicaret, tantaque in luce poneret, ut ab indoctis quoque intelligantur facile et percipiantur, atque rebus iam satis notis tantam gratiam affunderet, ut neque doctiores illas inviti legant, verum suavissime afficiantur. Primum in *Tomo priori* locum occupant dialogi sex, in quibus sibi Fontenellium imitandum proposuisse videtur. Nam quemadmodum ille doctrinam de pluribus mundis tanta cum perspicuitate et elegantia in egregio libello mulieri exposuit, nihil ut supra: ita Noster in hisce dialogis, pari suavitate, Neutonianam Opticam, nobilem aliquam feminam docet. *Primus* dialogus continet brevem Philosophiae historiam, usque ab antiquis temporibus ad Galilaeum et Cartesium contextam. Inde Nostro occasio offertur, paullo copiosius huius de tribus elementis opinionem explicandi, atque de natura luminis et colorum disputandi. In *secundo* Dialogo, praemonitis quibusdam de refractione et reflexione luminis, transit Vir Cel. ad ipsius visionis explicationem, et, comparatione Camerae opticae cum visione instituta, de vi oculi, externarum rerum imagines concipiendi, exponit. Finem dialogo imponunt argumenta aliquot, contra Cartesianas et Mallebranchianas, de natura colorum opiniones,

nes, prolata. *Tertius* dialogus complectitur Neutonianam de radiis luminis simplicibus et compositis, eorumque refrangibilitate, doctrinam. Causam refrangibilitatis in attractione collocat, luminis radium pro septem simplicium varii coloris radiorum fasciculo habet, atque adeo ex varietate colorum varietatem refrangibilitatis repetit. Idem est *quarti* dialogi argumentum. In *quinto* quasi historia universalis attractionis Neutonianae proponitur. Hic enim occasio nobis commemoratur, quae Neutonum ad universalem attractionem indagandam commoverit: commemorantur, quos in hac re paullatim progressus fecit: commemorantur argumenta, quibus suam sententiam suffulsit: commemorantur denique phaenomena, quibus illa attractio confirmatur. Hoc argumentum Noster in *ultimo* dialogo absolvit, ubi varia contra *Rizzettum* in medium adfert. Hosce dialogos sequitur Elogium *Stephani Benedicti Pallavicini*, poetae, magna qui apud Augustissimum patriae nostrae Patrem gratia floruit, atque A. 1742. obiit. Huic adiunxit Vir Cel. epistolas aliquot, quarum quatuor versionem Italicam Aeneidos Virgilii, ab *Hannibale Caro* compositam, accuratissima diligentia, et peracri ingenio examinant; reliquae multa rerum varietate efflorescunt. Modo Auctor per latissimum naturae ambitum vagatur; modo in antiquorum temporum memoriam redit; modo de rebus ad elegantiores litteras spectantibus differit. Afferemus unum specimen, ut ipsi Lectores nostri iudicent. Invenit in Carniola quadam imaginem equi, et litteram *C.* quater repetitam. Inde suspicatur latere ibi verba: *Caii Caesaris Caballus Consul.* Caligulae erga equum suum nemo studium ignorat.

In *altero Tomo* Opusculorum occurrunt primum undecim dissertationes varii argumenti. In *prima*, cuius, si abesset, desiderium facile ferrent lectores, Vir Cel. nobis necessitatem, patriam linguam in scribendis libris adhibendi, imponit. Nam quae construendorum aedificiorum sit, eandem et librorum scribendorum rationem haberi vult.

Aedes,

Aedes, ait, quae publicis ſumtibus, ad publica negotia, aut publica commoda exſtructae ſunt, eandem prope ubique faciem habent, cum contra longe alia ſit ratio earum, quas privati ſibi et ſuis aedificaverunt. Non aliter Scriptores, ex mente Auctoris, in docendis tradendisque rebus verſentur, atque in iis, quibus humani generis ſalus atque utilitas contineatur, una eademque lingua utantur. Eſtne vero aliquid earum rerum, quae ſcientiarum et eruditionis ambitu comprehendantur, quod ignorare libenter velimus? quod non potius omnium interſit ſcire atque cognoſcere? Quid, ne de necesſitate aliquid dicamus, quam ſolam ſi reſpicimus, quam multa negligenda eſſent? quid igitur iucundius, quam omnium populorum hiſtoriam perſpectam atque cognitam habere? Verum ſubiraſcitur Noſter hiſtoricis, qui in hiſtoria ſcribenda latinum ſermonem adhibeant. Quaſi vero non hic ille ſit, qui ubique terrarum, ab iis certe, quorum ſtudio digna hiſtoriae cognitio, quis enim indoctae plebeculae hiſtoriam ſcribat? intelligatur. Nam quod Noſter Romanorum et Graecorum exemplum profert, non attendiſſe videtur, longe aliam illorum temporum rationem fuiſſe, quam quae noſtrorum eſt. Totum terrarum per orbem viguit Romana lingua, omnibus in locis fuerunt quidam qui illam intelligerent, neque tam longe lateque fines eruditionis propagati fuerunt, ſed plurima hominum pars ſumma in rerum ignorantia verſabatur. Nihil dicemus de cauſis politicis, quibus fortaſſe Romani ad ſuae linguae florem promovendum adducti fuerunt. Porro, quae Vir Cel. dicit, neminem certo ſcire poſſe, an vero latino ſermone utatur, veremur ne doctis riſum moveant. Niſi enim vel omnes Latini auctores intereant, vel nos cum Harduino elegantisſima Latii monumenta monachorum ſtupiditati tribuamus, nunquam non de vera et propria latini ſermonis indole vere et recte iudicabimus. Damus Auctori, illum in tot prope dialectos abiiſſe, quot ſint nationes illo uſi: verum primum hoc non ſermonis, ſed hominum vitio accidiſſe, monemus;

nemus; et deinde non deesse putamus libros, qui nativam Romanorum orationem prae se ferant. Habet Germania Melanchthonem, Camerarium, Sturmium, Georg. Fabricium, Sleidanum, Caselium, Cellarium, Buchnerum, Guil. Bergerum, Heineccium, Gesnerum, Ernestium, alios, quorum Latina oratio rigidissimum examen sustineat. Atque inde etiam illius argumenti vis et robur attenuatur, quod Vir Cel. a difficultatibus, cum Latinae linguae cognitione coniunctis, repetit. Verum haec hactenus. In *secunda* dissertatione illustratur et confirmatur Neutoniana sententia de tempore imperii Regum Romanorum. Nam cum e communi opinione, ab initio regii imperii usque ad Consules, CCXLIV. anni constituantur; atque adeo singulis regibus XXXV. anni circiter tribuantur: Noster per rerum naturam vix singulorum imperio plures quam XVIII. aut XX. annos tribui posse docet, ideoque numerum annorum ad CXXXIII. reducit et minuit, variisque coniecturis suam sententiam stabilire conatur. Sic e. g. non verisimile esse putat, Romulum, qui, Plutarcho auctore, annos XXXVIII. regnarit, atque annos LIV. natus obierit, iuvenem annorum XVII. regnare coepisse, tantam in omnibus rebus solertiam, fortitudinem, et prudentiam ostendisse, totque praeclaras res gessisse. Porro, si bellum, cum Veientibus gestum, A. V. C. XVII. contigit, atque Romulus annos XXXVIII. regnavit, neque se intelligere fatetur, quomodo Romani tanta quiete temporibus imperii fundati frui potuerint; neque se videre, quomodo Numa, oblatum imperium recusans, potuerit dicere: *populum non rege, sed duce indigere.* Atque de Romulo quidem valde probabilis Auctoris oratio videtur; de Numa autem et aliis veremur ut omnibus probetur. Cur enim fieri non potuisse arbitremur, Numam, annos LX. natum, maxima Romae auctoritate floruisse? cur negemus, illum iuvenem tot facinora praeclara edidisse, ut Tatius annos XXV. nato filiam suam in matrimonium daret? *Tertia* dissertatione de pugna Zamensi, qua Scipio Hannibalem vicit profligavitque, exponitur.

ponitur. Illuſtrat inprimis *Algarottus* quaeſtionem illam, an ſemper utile ſit, exemplo Scipionis, exercitum in campo per columnas diſponere, an tum demum, quando hoſtium copiae eiusmodi diſpoſitionem efflagitare videantur? In Diſſ. *quarta,* iucundiſſima lectu, Auctor de veterum bellorum gerendorum modis diſputat, multisque, quantum illi recentioribus praeſtent, oſtendit. Copioſe inprimis de pulvere pyrio et tormentis bellicis diſſerit, et, quantum ab illorum inventione detrimenti ceperit res militaris, commemorat. In Diſſ. *quinta* examinatur liber *Machiavelli,* de arte bellandi, egregiaque illius utilitas variis ſummorum imperatorum exemplis demonſtratur. *Sexta* Diſſ. diſcutitur quaeſtio, cur unum idemque tempus omnia praeſtantia ingenia proferat. Hic Noſter primum *Racinum* confutat, qui omnem cauſam uni praeclaro exemplo tribuit, quo reliqui excitati, omni contentione in muſarum adyta penetrare allaborent. Deinde ipſius quaeſtionis futilitatem et falſitatem demonſtrat. Nullum, ait, ſeculum aureum fuit, quod non magnis naevis laborarit: nulla regio, quae, ſi in aliqua litterarum parte magna ingenia habuit, non ſimul multos aliarum imperitos viderit. *Septima* diſſertatio ſiſtit nobis *Incas* Americae ita ante oculos, ut ſitus terrae primum accurate deſcribatur; deinde illorum maiores, *Monaco Capac* inprimis, commemorentur; denique leges, vitae genus, opiniones et mores, diligenter exponantur. In Diſſ. *octava* et *nona* Vir Cel. de lingua Gallica, et poetico numero atque rythmo diſputat. In reliquis tribus varia de Architectura, de Pictura, de poeſi dramatica, praecepta traduntur. Atque ut eo magis lectoribus poeſeos peritiam probaret, adiunxit non ſolum duo dramata, *Aeneam* Italico, et *Iphigeniam* Gallico ſermone conſcriptam, ſed alia quoque carmina varii argumenti.

CHRISTIANI GOTTLIEB BUDERI D. SERENISS. Domus Sax. Vin. et Iſenac. Conſiliarii regiminis intimi

et aulici, in Academ. Ienenſi Iuris publici Feudalis et Hiſt. P.P.O. Facultatis Iuridicae Senioris, ΣΥΜΜΙΚΤΑ *Obſervationum, varia Iuris publici, Feudalis, Canonico-Pontificii Germanici, et Hiſtoriae patriae argumenta illuſtrantium, ex Diplomatibus, Monimentis et Scriptoribus fide dignis erutarum,*

LIBER SECUNDUS.

Ienae, apud viduam Melchioris, 1760. plag. 12. in 8.

Nihil ſibi iucundius eſſe Cel. *Buderus* profitetur, quam vetuſtas chartas inſpicere, excutere, atque inde hiſtoriae patriae lacunas explere. Atque hoc ſtudiorum genus quo utilius eſt, eo magis laetamur, eiusmodi virum in illo quaſi ſui ingenii domicilium poſuiſſe, qui ſe huic negotio ſuſtinendo parem eſſe compluribus teſtimoniis oſtendit. De primo harum Obſervationum libro alio tempore diximus: nunc alterum indicabimus, multa et hunc diligentia conſcriptum, et bonae frugis obſervationibus plenum. Exhibet vero Obſervationes XV. quarum argumenta breviter repetemus. I. *Supplementum Actorum Comitialium Ratisbonenſium anni* 1576. Maximilianus II. Imperator, cum A. 1576. induciae cum Osmanico imperio iam exſpirarent, omnem in avertenda hac vi, et Chriſtianorum finibus defendendis, cogitationem mentemque defixit, atque praeter alia in Comitiis Ratisbonenſibus cogitationes quasdam ſive conſilia, de ordine equeſtri adverſus Osmanos in Hungaria condendo, vel transferendo illuc, propoſuit. Haec igitur oratio, a *Lazaro Schwendio,* duce forti et ſapienti, ut Vir Cl. arbitratur elaborata, primo loco variis Obſervationibus illuſtrata exhibetur. II. *de Collectis charitativis ad ornandum ac iuvandum dominum directum et principem eiusque familiam.* Apud Anglo-Saxones Vaſalli praeſtationes quasdam, ad augendum perſonae familiaeque ſplendorem et commoda, dominis contulerunt. E *Regiſtro Honorii de Richmond* conſtat, *Tenentes de Corona,* ſive Vaſallos, regi Angliae

Angliae auxilia ad primogenitum filium militem faciendum, ad primogenitam filiam maritandam, et ad ſe ipſum a captivitate redimendum, auxilia debuiſſe. Idem inferiores Vaſalli, tenentes ab inferioribus dominis, his debuerunt. Talia collecta apud Batavos, Italos, Gallos, in uſu fuiſſe, ipſisque Imperatoribus oblata eſſe, Noſter demonſtrat. Data vero ſunt haec auxilia ad dotem filiabus, ſororibus, aliisque ſanguine iunctis feminis erogandam, ad principum hereditariorum nuptias illuſtrandas, ad itinera principum, ad ſumtus captivitatis, ad principis filium armandum. III. *de utili Collectione et editione privilegiorum provinciis et ordinibus datorum et confirmatorum.* IV. *de Protectione opificum ſpeciali, feudali, ac privilegiata, in Germaniae regno.* Eſt quidem omnium opificum protectio penes Imperatorem, et poſt Imperatorem penes quemlibet principem; ſed quorundam opificiorum et artium ſpecialis quaſi protectio proceribus quibusdam Germaniae ab Imperatore tributa et commendata eſt. Nam protectio buccinatorum, maxime bellicorum, commiſſa eſt Electori Saxoniae: fabrorum, cupro vaſa conflantium, Palatino, Marggraviis Brandenburgicis, et certis in regionibus Comitibus Hohenloicis: figulorum, Comitibus Hennebergicis. *Waldpodiis*, ſive Praefectis Violentiarum, vulgo *Gewalts Botten*, ab Archiepiſcopo Moguntino protectio piſtorum, textorum, reſtiariorum, cellarum meretriciarum et ſcortorum, data, et quandoque feudali titulo conceſſa: monetarii artifices ſaepe Camerariorum principum, eccleſiaſticorum ac ſecularium, ſpeciali tutelae commendati: protectio denique muſicorum Dynaſtarum Rappoltſteiniorum familiae collata fuit. Omnia a Viro Cl. e diplomatibus, veterumque chartarum teſtimoniis, confirmantur. V. *de diverſa ſignificatione verbi feudalis* Mann. Eſt haec diſputatiuncula ſupplementum Gloſſarii Germanici Haltauſii, qui in huius verbi vi eruenda, diverſisque ſignificationibus adnotandis, Noſtro non ſatisfecit. Explicat igitur quid ſint: *Hohe Manne, Edele Manne, Burg-Manne, Erb-Manne, Martens-Peters Manns-*

 Manne,

Manne. Pernecessarium esse, antiquorum verborum genuinam vim perspectam habere, luculento exemplo verbi huius *Mann, Mannschafften,* de quo gravioris momenti controversiae coortae ob testamentum Ioannis Georgii I. Electoris, hoc loco Vir Cl. docet. VI. *de dominio directo Sanctorum tutelarium Ecclesiarum Germaniae.* Notum est, traditiones atque donationes Ecclesiis et Monasteriis Germaniae magno numero oblatas, easdem Patronis Ecclesiarum, sive Martyribus, ut Kiliano, Martino, Mauritio, aliis, saepius exhibitas fuisse, simulque his iure allodii praedia, latifundia, omnesque reditus donatos. Verum cum hae largitiones nimiae essent, certissimumque reipublicae periculum ab iis immineret, inde a Caroli Martelli temporibus de divisione dominii ita convenerunt inter se, ut Sancto tutelari directum, militaribus vero viris aliisque utile concederetur dominium. Ipsa igitur investiturae petitio non raro ad hosce tutelares directa, ipsaque inauguratio eorum nomine et auspiciis, saepiusque in eodem templo, quo eorum reliquiae asservatae, peracta fuit. Harum investiturarum, nomine Sanctorum tutelarium factarum, aliquot exempla a Viro Cl. afferuntur. VII. *Observatio ad litteras investiturae Bruxellensis A.* 1555. *Sereniss. ducibus Saxoniae Ernestinae datas.* Carolus V. Imperator, inter alias Feudi Regalis partes et iura illis Ducibus concessa, eosdem investivit: *mit allen Praelaten, Grafen, Herren, auch derselben Praelaturen und Kloestern,* addita usitata formula: *der weltlichen Obrigkeit, Schutz - Recht und Advoceyen, wie ihre Vorfahren solche gehabt und gebrauchet haben.* Hanc igitur formulam, *cum omnibus Praelatis et monasteriis, (mit allen Praelaten und Kloestern,)* sibi Vir Cl. illustrandam et explicandam sumsit. VIII. *Observatio de formula feudali:* zu Mannlehen, und zu rechten Mannlehen, *foeminis quandoque favorabili.* Ardua et difficilis ab Electoribus Coloniensibus in supremo Camerae Imperialis iudicio controversia agitata fuit, de vero sensu verborum in litteris Investiturae occurrentium, *Mannlehen.* Quaerebant enim, an etiam feminae

minae hac ſub notione ad feuda ſint admittendae? Noſter vero oſtendit, non in omnium Germanici regni provinciarum litteris feudalibus formulam, *Mannlehen, und zu rechten Mannlehen,* femineum ſexum excludere, ſed ſic explicandam eſſe, ut feminae ſuo ordine ſuccedant. IX. *Obſervatio ad Clementinam:* Paſtoralis: de ſententia et re iudicata, *ſive de iuribus Vicariorum in ipſo Imperio Romano.* Intelligit Vir Cl. per Imperium Romanum illas Italiae provincias, quae Ottonis M. temporibus ad illud referebantur. Quo in imperio etſi poteſtas Imperatorum ſenſim paullatimque valde diminuta eſt, remanſere tamen aliquot reliquiae Iurium Auguſtalium. Primo loco ponenda *Advocatia* Eccleſiae Romanae, ex qua ius circa Electionem Pontificum Romanorum, atque, dum in Conclavi de Epiſcopi Romani electione agitur, Ius Excluſivae, perſonae vel minus aptae regimini Eccleſiae, vel aliis de cauſis parum acceptae, fluunt. Ubi quaeri poteſt, an vacante Imperiali ſolio haec Advocatia Vicariis Imperii competat? Confirmari haec ſententia videtur e verbis Aureae Bullae, in cuius cap. V. *Proviſio ſacri Imperii, quoties illud vacare continget,* utrique Vicariorum tribuitur. Sacri enim Imperii nomine iunctum cum Germaniarum Regno Romanum Imperium, quale fuit Ottonis M. aevo, indicatur. Primus in hoc ſacro Imperio Epiſcoporum eſt Romanus Praeſul, qui omni tempore, praecipue Interregni, quo multa turbida et periculoſa eſſe ſolent, Advocato indiget. Hoc Advocati munus temporarii generali *Proviſoris* appellatione contineri, ſimulque omnia iura, quae ampliſſimo Advocati ſupremi officio competunt, videntur. Atque hoc interregni illius tempore, quod morte Ioſephi I. contigerat, agnovit Romana in Curia Legatus, *Marchio de Prie,* qui ſcriptis ad Imperii Vicarios litteris ſignificavit, ſe mandata eorum ad res ſacri Imperii in Curia Romana curate prudenterque gerendas exſpectare. Quae cum ita ſint, adſerendam porro Vir Cl. arbitratur Vicariis poteſtatem tuendi iura et privilegia Eccleſiarum Germaniae; utque hic finis

 obti-

obtineatur, instruendi Protectorem, aut Con-Protectorem Nationis Germanicae, qui, ex ordine Patrum purpuratorum constituti, provideant, ut salva Germaniae sacra, Germaniaeque praerogativae, durante interregno maneant. Maxima potissimum Vicariorum cura erit in eo ponenda, ne Imperii reliqua dominia directa in Vasallos, Pontifici quidem hodie subditos, Imperatorem tamen et Imperium quoad dominium beneficiarium agnoscentes, aliquid detrimenti capiant. Ex Leopoldi Imp. enim edicto, d. 29. April. A. 1697. Romae ante Palatium imperiale adfixo, apparet, per omnes Italiae provincias, et terras quoque quae ad Imperium Romanum pertinent, et hodie a Pontificibus possidentur, dispersos esse Vasallos et Feudatarios. Hos Vicarii admonebunt officii sui, ut vacante solio quieti sint, quae fides vasallitia et leges clientelares postulent observent, et de iisdem, si intra legitimum tempus renovationem Investiturarum suarum haud perficiant, ad leges feudales iudicabunt. Etsi vero his Augustalibus iuribus Clementina *Pastoralis, de sententia et re iudicata,* obstare videatur: Cl. *Buderus* tamen huic Pontificis in sua causa adserto, nullo argumento confirmato, et in nuda adsertione consistente, omnem adversam historiam esse dicit, contrariam Comitum Palatinorum Lateranensium et Praefecti Urbi constitutionem, ab ipsis Augustis ad A. 1177. usque factam, aliorum in terris Imperii Romani Vicariorum singularium ordinationem, et praecipue solemnem Ludovici IV. Imp. et Ordinum Imperii in Comitiis Francofurtensibus A. 1339. declarationem: *Falsissimum esse, per Vacationem imperii Ius ad Papam devolvi, idque esse contra sacri Imperii libertatem, dignitatem, iura ac maiestatem. Longa enim et approbata consuetudine, inconcusse a maiorum ordinatione hactenus observata, vacante Imperio Ius administrandi Imperii iura, Feuda conferendi, et negotia cetera disponendi, Palatino Rheni debetur, non obstante Clementina* Pastoralis.

X. *Observatio de precibus pro Imperatore, harumque antiquitate.* Refutat Cl. Auctor R. P. *Valerianum Zellnerum;* qui inter

inter novationes ſeculo octavo introductas, Hadriani Pontificis laudabile edictum, de precibus pro Imperatore Romano ſive Francorum flexis genibus fundendis, retulit. Nam ut vota pro Imp. Aug. a Romanis, gentilium adhuc ſacris addictis, facta, ut Conſtantini Porphyrogeniti de cerimoniis aulae Byzantinae libros taceamus, in quibus vota et preces recenſentur, commemorantur omnino preces pro Imp. in Eccleſia Romana factae, in libro egregio, *Ivoni Carnotenſi, Gratiano, Anſelmo Lucenſi,* aliisque antiquitatum Eccleſiaſticarum collectoribus, intra A. 567. et 752. conſcripto. Hadrianus I. in epiſtolis ad Carolum M. non raro precum pro ipſo in Eccleſia Romana factarum mentionem facit. Hadrianus II, teſte Anaſtaſio Bibliothecario, ſe omnesque Clericos ad preces pro Imp. fundendas obligatum eſſe agnovit. His et pluribus aliis expoſitis, Noſter formulas quasdam precum harum et votorum adfert, et deinde ad aliarum precum commemorationem, pro Imp. in ipſa inauguratione et coronatione, pro iisdem gravibus negotiis occupatis, aut humanis rebus exemtis, factarum, tranſit. XI. *Obſervatio de gratiis ad obtinenda beneficia eccleſiaſtica doctoribus Academicis conceſſis.* Exponuntur in hoc capite ea beneficia, quae tanto cumulo a Pontificibus in Academiam Colonienſem Agrippinam collata ſunt, ut nulla alia in Germania plura aut maiora acceperit. XII. *de Vicariatu Imperiali in perſequendis et puniendis violatoribus pacis publicae, aliisque facinoroſis, cumprimis Lubecenſi.* Placuit Auguſtis in Imperio Regnoque iudicibus, cum auctoritas Iudiciorum provincialium et Pacis non ſufficeret, quibusdam Regni Germanici civitatibus immediatis, et quandoque etiam provinciarum mediatis, opibus, militibus, aliisque praeſidiis valentibus, ſingularem conferre poteſtatem et praerogativam, perſequendi, capiendi, iuſtoque iudicio puniendi quoscunque homines facinoroſos, atque pacis et commerciorum turbatores. Huius poteſtatis praerogativa Lubecae, Hamburgo, Bremae, Ulmae, et Noribergae, diverſis temporibus, diverſisque

ſub

ſub conditionibus, conceſſa fuit. XIII. *de Dynaſtis imperii quondam titulo et dignitate ducum et principum ſplendentibus.* XIV *Wiguleii Hund zu Sulzemos, ICti et Hiſtorici Bavari, pars hiſtoriae Genealogicae Boicae Palatinae.* Eſt haec Genealogia A. 1593. ab *Hundio*, de rebus et iuribus Bavariae optime merito, ſcripta. Vir Cl. eam tantum partem edit, quae antiquiora tempora complectitur, reliqua alia occaſione exhibiturus. XV. *Coniectura de inveſtitura a Friderico I. Ahenobarbo Imp. Ottoni M. Wittelsbachio de ducatu Bavariae facta.* Bene merebitur Cel. *Buderus* de Germaniae hiſtoria, ſi in eodem, in quo ſaepius ingenii ſui virtutes oſtendit, rerumque harum peritis ſatis probavit, campo decurrere pergat. Nos quidem Viro Cl. alacritatem, integrasque ſemper animi vires, apprecamur.

THUCYDIDIS ORATIONES CUM ANIMADVERſionibus et indice CAROLI LUDOVICI BAUERI, Lipſ. A. M. Schol. Lauban. Rect.

Lipſiae, apud Bernh. Chriſtoph. Breitkopf, 1759.
plag. 15. in 8.

Lubenter ſaepius illius Scriptoris mentionem facimus, cui una et conſentiente voce antiquitas hiſtoriae Graecae principatum detulit, qui gravis, civilis ſapientiae plenus, denſus, ſingulis ſaepe verbis ſingulas ſententias complectitur, qui vero idem orationem a vulgari dicendi ratione abducit, aſperum quoddam et ſpinoſum ſcribendi genus adamat, atque ex ipſa hac aſperitate orationi dignitatem maieſtatemque conciliat. Atque nunc quidem novam indicamus editionem Orationum, quas Thucydides pulcherrimo illi hiſtoriae operi intexuit, a Cl. *Bauero* excerptarum, et brevibus animadverſionibus illuſtratarum. Ipſa Thucydidis verba maximam partem Vir Cl. e Dukeriano exemplo deſcripſit, Camerarianam vero, ubi Dukeriana minus placuit, lectionem ſubinde, ratione in notis reddita,

dita, praetulit et recepit. Interpunctiones, quas nullo prope in alio scriptore magis necessarias esse recte vidit, et quae in Dukeriana editione parum diligenter, in Camerariana vero summa negligentia positae sunt, suo ipsius iudicio definivit. Idem de parenthesi, quam, si quis alius, Thucydides maxime adamavit, dicendum est. Atque etsi Virum Cl. non exiguam in hac parte diligentiam adhibuisse intelligimus, largum tamen reliquit spicilegium. Sic in L. I. c. 78. post βραχέων comma ponendum; et ibidem post ξυνθήκην non punctum, sed comma collocandum: in L. I. c. 82. ἀνεπίφθονον δὲ — ἐπιβουλευόμεθα, sunt delenda parentheseos signa: in c. 120. post ξυνήγαγον, et post φυλάξασθαι αὐτοὺς punctum, ut vocant, minus ponendum: in c. 141. post ἄλλως τε, non interpungendum; neque in c. 142. post ταῖς ναυσὶν. In L. II. c. 42. neque post καιροῦ, neque post ἀκμῆ, sed post τύχης est interpungendum: in c. 62. post ἰσχὺς delendum punctum. Verum his longe plura, curiosi oculi, et attenti, facile invenient. In animadversionibus duo sibi Noster proposuit: ut et, quae ad universae orationis ambitum, sententiarumque perplexitatem pertineant, ideo brevibus moneret, quoniam in edendo Lexico Thucydideo copiosius de his aget; et de lectionum varietate iudicaret. Hic saepissime cum Cel. Abreschio manum conserit, cuius coniecturae, licet multo ingenio excogitatae, magnoque artificio comtae, audaciores tamen nonnunquam sunt, quam quae ferri possint. Dabimus nostris lectoribus specimina aliquot expositionum et lectionum *Baueri.* Ad L. I. c. 22. monet, illam ἁμαρτίαν δόξης non inesse in sequenti τολμῶμεν, uti verba intelligenda videntur, sed in ipsa priori ἀπραγμοσύνῃ, in qua cum se peccasse vidissent Corcyraei, nunc ἐναντία αὐτῇ ἐτόλμων. sensum igitur esse: quoniam sensimus, nos male adhuc egisse, idque iam corrigere laboramus. In loco difficili c. 35. omnem difficultatem, altera lectione μισθοφορίας pro μισθοφόρους recepta, tolli docet. Ordo et sensus igitur esset hic: κωλύειν τοὺς ἐκ τῆς ὑμετέρας,

τέρας, *arcere, prohibere vestros cives*, μισθοφορίας ἐκείνων, *a stipendiis et mercenaria militia istorum, s. quo minus illis mercenarii fiant.* In c. 36. τὸ δεδιὸς αὐτοῦ Nostro est conscientia timida rupti et violati foederis, ut oppositum θαρσοῦν alacris conscientia servatae fidei. Posse quidem, ait, utrumque ad metum imbecillitatis et fiduciam virium referri, quorum alterutrum Athenienses habituri erant, si Corcyraeos aut recepissent, aut repudiassent. Sed cum haec duo verba pendeant ab initio φοβεῖται δέ, illud magis ad religionem foederis pertinere videri, etsi non negandum sit, etiam ad metum, ne Lacedaemonii offensi hostes fiant, referri posse. Quod autem hic de uno aliquo cive dicat Thucydides, de omnibus intelligendum esse. Sic II, 37. init. παράδειγμα μᾶλλον ὄντες τισιν, ἢ μιμούμενοι ἑτέρους, et ita saepe apud Homerum legi: ὧδε δέ τις εἴπεσκεν Ἀχαιῶν τε Τρώων τε, quod aeque de universo coetu intelligendum. Sic etiam in N. T. ἄνθρωπον, ex Hebr. איש, unumquemque, omnes, significare. In c. 37. παρακαλοῦντες αἰσχύνεσθαι, neque lectio altera, accusativum inducens, neque interpretatio Nostro placet: *revereri monentem et hortantem*, ne sc. latrocinentur. Nunquam enim παρακαλεῖν dehortari, prohibere significare; bene nominativum locum suum tueri posse, hoc sensu: si quem hortentur, et vocent ad societatem iniuriarum et latrociniorum. Sensum quidem medium postulare, sed Thucydidem hoc saepius negligere, ut 4, 89. τὴν μάχην ποιῆσαι: 2, 89. τὸν ἀγῶνα εἶναι ποιήσομαι, (quo ipso loco medium esse haud debeat, cum non ad ἀγῶνα, sed ad εἶναι referatur, nisi quis ibi iungat ἑκὼν εἶναι:) ut c. 67. ξύλλογον ἐποίησαν, ubi et προσπαρακαλέσαντες ξυμμάχους act. pro medio: ut c. 68. med. Ad c. 39. ἐγκλημάτων — κοινωνεῖν monet, non ad Corcyraeos, quod coepta constructio, οὓς χρῆν, postulet, sed ad Athenienses pertinere, quasi foret: οὐ χρὴ ὑμᾶς κ. τ. λ. Nisi τούτων post πράξεις esset, κοινωνεῖν se explicaturum esse fatetur κοινωνοὺς ποιεῖν. Stephano hic, falso, pro μόνον placere μόνους.

neque

neque enim hominum, ſed rerum, criminum ſcil. et poenarum, oppoſitionem eſſe. Ad c. 71. ȣ̓ τȣ́τοις — negativam turbas dare ſe intelligere quidem fatetur, neque ſe tamen aliquid afferre poſſe, quod ad eam defendendam valeat, perperam fortaſſe ex ſequentis verbi initio repetitam. Nam quicunque demum verborum ſequentium ſenſus ſit, ſive ad Lacedaemonios, ſive ad Athenienſes pertineat, Lacedaemonios certe hoc iudicaſſe, τὴν ἡσυχίαν ἀρκεῖν, idque per totam hanc orationem illis exprobrari. Levi fortaſſe transpoſitione legendum eſſe: ȣ̓κ οἴεσθε, hoc ſenſu: nec putatis, quietem iis demum ſufficere et utilem eſſe, qui alterum quidem non laedant, nec tamen ſemet laedi patiantur. Vos autem tales non eſtis, vobis non ſufficit iſta quies, nam vos laeditis quidem neminem, ſed ipſi plurimum laedimini ab Athenienſibus. Etenim negationem praecedere debere, etiam ſubiectum ἀλλὰ docere. Quod ſequatur Lacedaemonios τὸ ἴσον νέμειν, i. e. aeque ſtudere, ut nec ipſi laedant quenquam, et ſe defendendo iniurias a ſe prohibeant, repugnare quidem huic ſententiae, atque indicare videri, tales utique Lacedaemonios fuiſſe, quales eos Corinthii eſſe voluiſſent. Sed hoc alterum fortaſſe tanquam praeceptum eſſe intelligendum, ut νέμετε ſit imperativus. Id enim eos non feciſſe, et totam orationem declarare, et ſequentia: μόλις δ᾽ ἂν — ἐτυγχάνετε τȣ́τȣ· i. e. etiamſi talem remp. vicinam haberetis, quae non potentior vobis, ſed et viribus par, et inſtitutis veſtrae ſimilis, neminem laederet, vix tamen iſtam ſecuritatem et quietem tueremini: quanto minus eam tenebitis, cum Athenienſes vicini vobis ſint? ὅμοιος igitur et ad vires, et ad inſtituta reip. pertinere. Poſſe etiam, ut omnia imperative intelligantur, legi: ȣ̓ διαμέλλετε. Καὶ οἴεσθε — Sic plena omnia fore. Denique Cel. Abreſch, ſcribit Noſter, ſuo iure ſupplet: ἀλλ᾽ οἴεσθε τότε ἀρκεῖν αὐτὴν ſcil. τὴν ἡσυχίαν, εἰ μηδὲ λυποῖτε τȣ̀ς ἄλλȣς, μηδ᾽ αὐτοὶ βλάπτοισθε ἀμυνόμενοι. Quod ſupplementum quomodo primo conglutinabit cum verbis, τὸ ἴσον νέμετε; deinde quomodo a

 priori

priori membro distinguet, cum idem sit, et tamen τὸ ἀλλὰ diversissimum postulet? Quid denique est, ἑαυτὸν βλάπτειν ἀμυνόμενον. Hoccene fieri aut fingi adeo potest, ut quisquam defendendo sibi ipse noceat? Scholiastes, quem sibi ait ducem fuisse, nihil expedit; servata particula ϰ prius membrum παραφράζει, supervacaneo prorsus labore, alterum non tangit. Quod autem Cel. Reiskius permutat verba παρασκευῇ et γνώμῃ, in altero ferri potest, sed τῇ γνώμῃ δίκαια πράσσειν parum convenit. Unum adhuc addemus exemplum. In obscuro loco L. II. c. 63. εἴ τις — ἀνδραγαθίζεται, particula τόδε Nostro videtur pertinere ad ἀνδραγαθίζεται, ut κατὰ subintelligatur, quo ne opus quidem est: ἀνδραγ. τε significat aliquid facere vel dicere quia sis vir bonus, vel quia haberi velis: δεδιὼς autem simpliciter accipiendum. Verum haec hactenus. Non inutilem Vir Cl. operam his Orationibus editis suscepit, immo bene iuventutis commodis consuluit, quae, ad perplexam Thucydidis orationem intelligendam, ex animadversionibus multum adiumenti repetet.

Des Teutschen Reichs Münz-Archiv rc.

i. e.

ARCHIVI MONETALIS GERMANIAE, EX Archivis et Actis publicis fide dignis collecti a IO. CHRISTOPH. HIRSCH. PARS VI.

Norimbergae, 1760. Alph. 5. plag. 8. fol.

Gratulamur Cl. *Hirschio* laborem, bono consilio bonisque avibus susceptum, felicemque ad exitum perductum. Erit haec collectio cum patriae splendori et emolumento, tum ipsius doctrinae et assiduitatis perpetuum certissimumque testimonium. Neque tamen tot monimentis, summa diligentia collectis, contentus fuit Vir Cl. sed

ſed plura indagavit, quorum, tanquam ſupplementorum Archivi Monetalis, editionem pollicetur. Quod vero ad *Bibliothecam numiſmaticam* attinet, cuius edendae ſpem fecerat, prodibit illa quidem in publicam lucem, ſed ſeparatus ab hoc Archivo liber futurus eſt. Nam tali modo ii quoque exterorum, qui rei monetariae ſtudio ducuntur, de Germania vero non unice ſolliciti ſunt, minoribus ſumtibus ſibi illam bibliothecam comparabunt. Exhibet vero haec Pars, ut priores, ordinationes, edicta, mandata, decreta, reſcripta, ad rem monetariam Germaniae pertinentia, CXII. ab A. 1700. usque ad A. 1755. Primum locum occupat Propoſitio ad conventum trium de probandis monetis correſpondentium Auguſtae Vindelicorum Circulorum, A. 1700: ultimum, Concluſum Suevici Circuli in cauſa monetae, d. 19. Ian. 1755. Omnia inſignis ſunt utilitatis in hac collectione, atque tum praeſertim magni erunt uſus, quando, pace et tranquillitate, quam omnibus votis expetimus, poſt tantum luctum doloremque Germaniae reddita, res monetaria, cuius ſumma hac calamitate corruptio facta eſt, emendabitur. Qui fructus ut quanto ocyus percipiatur, eoque percepto iuſta rei monetariae cura ab omnibus habeatur, merito cum Auctore optamus et precamur. Eminent prae reliquis in hac Parte: pag. 30. Obſervationes de emendanda moneta in Circulo Franconiae, de A. 1715. pag. 67. obſervationes variae ad rem monetariam pertinentes, d. A. 1725. pag. 398. conventio inter domum Auſtriacam et Bavaricam de moneta, et alia, plena bonarum obſervationum, ad emendationem monetarum incipiendam ſuſtinendamque pertinentium. Memoranda inprimis et illa ſunt, quae pag. 73. ſuadet Anonymus, omnem Iudaeis auri argentique negotiationem interdicendam eſſe; item quae pag. 85. de aurifabris, aliisque auro argentoque ad vaſa, veſtes, caetera adhibendo, victum quaerentibus, monentur. Inſunt enim in hac collectione non ſolum ea, quae ad monetas proprie ſic dictas ſpectant, ſed non pauca quoque, quae ad integritatem

valoremque auri et argenti conſervandum, verumque horum pretium et pondus definiendum, multum conferunt. Inſunt denique duae deciſiones iuridicae, quarum altera pag. 147. de tot nummis reſtituendis, quot nummi mutuo dati valeant tempore ſolutionis, exponitur; in altera pag. 179. quaeſtio diſcutitur, an in venditionibus, pro moneta irreprobata, quae in contractu denominata, venditori ſit moneta accipienda, quae triduo poſt conſtitutum ſolutionis terminum ſit reprobata? Accedit etiam index multo ſtudio et accurata diligentia confectus, atque, ſi quisquam alius, locupletiſſimus.

DE DISCIPLINA CLERICORUM, EX EPISTOLIS Eccleſiaſticis conſpicua. Liber ſingularis, in duas partes diviſus, quarum prior Antiquioris circa Clericos Diſciplinae, poſterior Recentioris Eccleſiae inſtitutis, iuxta Ius Proteſtantium Eccleſiaſticum, inſervit, Auctore D. IO. RUDOLPHO KIESLINGIO, Prof. Publ. Ord. Lipſienſi.

Lipſiae et Noribergae, in officina Chriſtoph. Rigelii, 1760. plag. 16. 8. mai.

Summe Venerabilis Noſter Theologus, Dn. D. *Io. Rud. Kieslingius*, in Republ. litteraria haud nudius tertius innotuit, ſed praeter doctiſſimas concertationes, cum Eminentiſſimo Patre Purpurato, Dn. Angelo Maria Quirino, Epiſcopo nuper Brixienſi, et Bibliothecae Vaticanae praefecto, nec non Abbate Florentinenſi, Dn. Io. Chryſoſt. Trombello, dudum cum laude inſtitutas, in orbis eruditi verſatur celebritate, apud exteros omnium trium Chriſtianarum religionum, quin et ipſorum Graecorum ac Ruthenorum, quorum epiſtolicis pridem gaviſus eſt commerciis. Laudatus hic Noſter, cum ante ſedecim annos Licentiam indipiſceretur ſummos in Theologia honores capeſ-

capeſſendi, exaſciatum ſpecimen exhibuit ac ventilavit, de
ſtabili Primitivae Eccleſiae, ope Litterarum Communicato-
riarum, Connubio. Hoc ſcriptum, cum pro meritis erudito-
rum tuliſſet plauſus, depromtum quippe ex interioribus
Antiquitatum Eccleſiae penetralibus, quae ſacra non qui-
libet leviter tinctus, ſed ſolidioris penitus eruditionis di-
bapho imbutus, adire ſolet ac poteſt: dudum et iſtam
mente volvit laudabilem ac verſavit ſententiam Noſter, ex
Epiſtolis etiam Veterum Eccleſiaſticis, quae a Communi-
catoriis nimium quantum diſtant, concinnandi aliud quod-
piam opus priore non levius. Litterae iſtae Communi-
catoriae fuerunt pacificae et commendatitiae, quae omnes
civitatis Chriſtianae inquilinos, homines inprimis grega-
rios, ex alia Eccleſia in aliam tranſituros, attinebant. In
Epiſtolis autem Eccleſiaſticis offerunt ſe multa Antiquita-
tis et Conciliorum documenta, ad ſolos Clericos directa,
quae uberiori indigent explicatione, quo formam veteris
Diſciplinae Eccleſiaſticae circa ordinem ſacrum introſpicia-
mus penitius. Haud ergo Noſter opus titivilitio minus
ſuſcepiſſe videtur, ſed eiusmodi, ex quo intelligere queant
caſtioris cultus miniſtri, non onera ipſis, hiſce ex omni
Antiquitate congeſtis regulis, fuiſſe impoſita, ſed eas eo
fine latas, ut officii ſui reddantur memores, et omnia in
cultu religioſo decenter peragantur. Sed opus ipſummet
Kieslingianum luſtrantibus, occurrit initio querela de cala- Pag. 1.
mitatibus, Eccleſiae ex ipſo Clericorum ordine enatis.
Cum autem ex malis moribus bonae prognaſci ſoleant le- p. 6. 8.
ges, hinc de condita diſciplina Eccleſiaſtica diſſeritur, et de
cura, Epiſcopis in canalibus conſtitutis, in Concilio Sar-
dicenſi demandata. Canalis, ſ. κανάλιον, ſtilo Eccleſiaſti-
co, eſt via publica tranſverſaria, quae ad eiusmodi urbes p. 12. ſqq.
regias principesque deducit, in quibus Epiſcoporum ſe-
des ſolebant conſtitui. Epiſcopis igitur, paſſim in urbi-
bus et viis publicis ſ. canalibus degentibus, haec deman-
dabatur cura, ut peregrinos Epiſcopos, nec non omnis
generis Clericos, qui illorum ſedes ex itineris neceſſitate
tange-

tangerent, de profectionum caussis, et rebus in aulis aut
comitatibus, id est castris Imperatorum agendis, sollicite
expiscarentur, ne Clerici videlicet evaderent Πολυπράγ-
μονες et ardeliones, importunitate sua aulis et personis
Imperatorum molesti, aut malam speciem vilipendii mu-
nerum suorum prae se ferrent, aut iniustis petitionibus
cuiquam fraudi essent. Cuiusmodi incommoda frequen-
tissime solebant oriri ex crimine ambitus clericorum, ma-
iores et ampliores semper affectantium spartas, et transla-
tiones, usque adeo, ut simul neglecto Ecclesiarum, quas
deserebant, consensu, vel ipsi etiam excommunicati am-
Pag. 48. pliores peterent ab Imperatoribus promotiones. Hinc
porro agitur de variis canonibus Conciliorum, qui episco-
pis ad Imperatores proficiscentibus praescripti sunt, ne
ullus Clericorum temere suam desereret stationem, aut
62. 68. sine dimissoriis a sua Ecclesia vel Episcopo acceptis episto-
lis, novum adfectaret munus. Data deinde occasione se
93. convertit A. ad Epistolas commendatitias, agens de earum
110. forma, vigore, nec non de poenis Clericorum sine litteris
dimissoriis proficiscentium, sicque colophona imponit Parti
primae tractationis.

Transimus nunc ad Partem secundam Operis,
quae tractare instituit de nova Ecclesiae Protestantium
114. 115. circa Clericos disciplina, antiquiori maxime conformi, nec
per emendationem sublata, sed mitigata potius; quorsum
118. 122. insigne testimonium Confessionis Augustanae adducitur.
Varia memoratu digna aggreditur deinceps argumenta ex-
125. cutere Noster, de potestate Ecclesiastica in Concilio Tri-
dentino tradita, deque eius abusu et forma, nec non de
137. motibus ob hanc Concilii Tridentini sententiam inter Ve-
142. netos et Anglos exortis; de rebus Ecclesiasticis externis
146. Magistratui politico subiectis; de iure Principum circa sa-
150. cra; de modo, quo Ludovicus XIV. Galliarum Rex, in
conferendis muneribus sacris et beneficiis Ecclesiasticis
152. usus est. Pergit ulterius agere de nominibus Clerico-
rum, antiquo ritu Catalogis ecclesiasticis insertis; de fa-
cultate

cultate, ampliora in Eccleſia munera et dignitates ambi- Pag. 157.
endi, de pluralitate et unione plurium beneficiorum Ec-
cleſiaſticorum, uni eidemque perſonae ſimul collatorum,
et anomaliis inde exortis, de pluralitate beneficiorum in 175.
Eccleſia Proteſtantium. Porro ſuſcipit materiam prae-
claram ex Iure Canonico inveſtigare de praeſentia, ſeu re- 178.
ſidentia Epiſcoporum; de inanibus magnificisque titulis
quorundam Epiſcoporum in partibus infidelium; de Con-
cilii Tridentini decreto, ne Epiſcopi in alienis Eccleſiis 212.
Clericos ordinent; de ordinatione Proteſtantium, etiam
ſine Epiſcopali ſucceſſione valida; de fugiendis alieni mu- 220.
neris functionibus; de rebus civilibus, a Clericis non tra- 226.
ctandis. Tandem ſequuntur obſervationes Eccleſiaſticae 228.
de cura viduarum et pauperum, Clericis demandata; de
Clericis depoſitis, a tractatione ſacrorum omnino arcendis;
de artibus et negotiis vilioribus, a Clericis non tractan-
dis, ſicque adeo finis libri, in quantum hactenus pro-
diit, traditur. Conſtitutum enim eſt Auctori ſumme
reverendo, aliud adhuc Volumen recenſito praeſenti ad-
dere intra octimeſtre tempus, in quo telam coeptam per-
texet. Id quod ut feliciter vertat, ſecundam ei valetu-
dinem, vires animi renovatas in dies, eosdemque litte-
ratorum plauſus, queis praeſens volumen gaviſum eſt, ex
animo adprecamur.

ONOMASTICON LITTERARIUM, SIVE NOMENclator praeſtantiſſimorum omnis aevi Scriptorum, praecipue Graecorum et Latinorum, veriſimilibus, quantum fieri potuit, temporum notis, et ſcholis domeſticis accommodatus.

Traiecti ad Rhenum, apud Paddenburgios, 1759.
plag. 5. in 8.

Etſi utiliſſimi huius libelli Auctor nomen ſuum in fronte non poſuerit, non putamus tamen, nos modeſtiae illius, cui ſoli hoc ſilentium tribuimus, iniuriam facturos, ſi illud lectoribus noſtris indicemus. Nam qui pluribus ingenii elegantiſſimi monimentis inclaruit, et cui cum bonae litterae, tum etiam haec Acta noſtra, plurimum debent, *Chriſtophorus Saxius*, Collega olim noſter deſideratiſſimus, egregium nunc Academiae Traiectinorum Batavae decus, idem hac opera ſuſcepta bene iuventutis commodis conſuluit. Inde nemo hic aliquid vulgare aut tralatitium exſpectet. Eſt vero onomaſticon hoc ad rationem temporis exactum atque compoſitum, exhibetque, praeter nomen ſcriptoris, interdum breve virtutis illius et elegantiae indicium. Primi ſunt *Sethus*, *Henochus*, aliique ſcriptores, ſi diis placet, antediluviani, quos vocant: agmen claudit *Ioannes Aventinus*, Annalium ſcriptor circa A. 1519. Annorum numerum diverſimode a Viro Cl. adnotatum fuiſſe intelligimus. Nam a Setho usque ad Abdiam, ſeu Obadiam, anni orbis conditi et ante Chriſtum natum ponuntur; a Romulo usque ad Sext. Aur. Propertium Olympiades, et anni ab urbe condita adduntur; denique a C. Iulio Hygino, nomine Polyhiſtoris inſignito, usque ad finem, anni a Chriſto nato appoſiti ſunt, ubi et anni ſeculorum, et nomina Imperatorum, cum Orientis tum Occidentis, adduntur. Ut vero eo facilius nomina ſcriptorum invenirentur, ſubiunctus eſt index eorum elementarius. Facile patet, cum nihil maioribus controverſiis agitatum, pluribusque difficultatibus implicatum ſit, quam iuſta temporis definitio, quo quisque ſcriptor vixerit, non paucas difficultates Noſtro ſubortas fuiſſe. Inde, diligenter virorum doctorum ſententiis examinatis, eam rationem ſecutus eſt, quae ipſi proxime ad veritatis ſpeciem accedere videretur. Sic *Homerum* circiter A. O. C. 3121: prophetiam libri apocryphi *Baruch* A. 3409: hiſtoriam libri *Eſtherae* A. 3421: *Scylacem*, Caryandenſem, A.

3497:

3497. ***Philistionem***, Comicum, A. 3601. ***Palaephatum*** A. 3683. ***Simmiam*** et ***Dosiadam*** A. 3708. Fabulas, ut ait, Iudaeorum dramaticas, ***Tobiam*** et ***Iudith***, A. 3838. ***Iesum Siracidem*** A. 3860. ***Dionysium*** Thracem, Grammaticum Graecum, A. 3925. ***Vitruvium Pollionem***, et ***Trogum Pompeium***, A. 3963. affigit. Verum his annis, ab orbe condito numeratis, nihil impedit, quo minus aliquot anni vel addantur, vel detrahantur. Neque fieri aliter potest. Afferemus plura exempla. ***Erotianum***, vel ***Herodianum***, Glossarii Hippocratei auctorem, Anno post C. N. 64. ***Q. Curtium Rufum*** A. 97. ***Iulium Obsequentem*** A. 110. ***Alcinoum***, Philosophum Platonicum, A. 116. ***Callistratum***, Sophistam et Ecphraseon scriptorem, eodem tempore; ***Nicomachum*** Gerasenum, Mathematicum et Musicum, ***Diophantum*** Alexandrinum, A. 147. ***Iustinum***, Trogi Epitomatorem, et ***Aul. Gellium***, Antonini Pii vel Antoninorum aetate; ***Hermogenem*** Tarsensem A. 163. ***Nonium Marcellum*** fine seculi secundi, ***Zenobium*** et ***Diogenianum***, Paroemiographos, A. 200. circiter vixisse, arbitratur. Auctorem libelli de arte coquinaria, qui ***Caelius Apicius*** inscribitur, ad A. 230. refert, ***Achillem Tatium*** ad A. 270. ***Alciphronem*** et ***Timaeum***, Sophistas, ad A. 298. ***Aphtonium*** et ***Theonem***, Rhetores, ad A. 315. ***Chirium*** vel ***Curium Fortunatianum***, ad A. 335. Denique auctorem incertum Itinerarii, quod sub Antonini nomine circumfertur, ad A. 360. ***L. Ampelium***, historicum, ad A. 384. ***Pappum***, Alexandrinum Philosophum, ad A. 390. relatos esse videmus. Causas quidem atque fundamenta suarum opinionum, brevitatis studio, nullibi adiecit Vir Cel. Neque erat necessum: quod omnem uberiorem disputationem praelectionibus suis litterariis reservaret, quarum caussa hunc libellum se scripsisse ipso in limine professus est. Tamen etiam alii multi libello isto bene ad historiae litterariae cognitionem percipiciendam, tradendamve aliis, uti poterunt. Et sunt profecto paucae hae plagulae non magis certa testimonia

accuratae eruditionis, ſingularisque induſtriae, commodis iuvenum curandis intentae, quam ſpiſſa aliorum volumina, plena quisquiliis et nugis, ambitioſe prolatis. Nam ſi omnino neceſſarium eſt, bonorum ſcriptorum aetatem cognitam habere, facili negotio, et uno quaſi obtutu, omne, quod alias per plura volumina diſperſum operoſiusque conquirendum, in hoc libello, tanquam in tabella, adſpicitur et reperitur.

EPISTOLAE VIRORUM QUORUNDAM DOCTOrum ad Io. Andream Boſium, e bibliotheca Collegii Paullini Lipſienſis editae ab IO. FRIDER. FISCHERO.

Lipſiae, ex offic. Langenhemia, 1760. plag. 3. in 8.

Cum acceſſiſſet nuper ad inſignem Bibliothecae Academiae noſtrae doctiſſimorum Virorum Epiſtolarum collectionem, provida cura BELII, Collegae noſtri, qui iſti Bibliothecae praeeſt, Volumen Epiſtolarum Reineſii, Daumii, Boſii, aliorum, in quo multa eſſent ad Boſianam Nepotis editionem pertinentia, quaeque doctiſſimi Boſii, municipis noſtri, de Nepote merita teſtatiſſima facerent: retulit de his Epiſtolis Belius Vir Cl. ad Fiſcherum, multa ſibi amicitia, et propter inſignem humanitatem, et propter doctrinam conſumatiſſimam, iuncto, deditque inſpiciendas petenti; quod, qui in eo eſſet, hominum vere doctorum amorem, eorumque memoriae conſervandae ſtudium, bene noſſet, quodque idem Vir doctisſimus, repetita paullo ante Boſiana Nepotis editione, egregie iuventutis commodis, uti ſemper ſolet, conſuluerat. Ex hoc igitur Epiſtolarum Volumine, ſepoſitis tantiſper iis, quae Flavium Ioſephum ſpectarent, et alios libros bonos veterum, nunc *Fiſcheri* V. Cl. cura prodeunt eximiae epiſtolae XIII. a *Scheffero, Conringio, Graevio, Io.*

Io. Sauberto, Bangerto, I. Moth, Io. Vorſtio, Brummero, et *Nic. Heinſio,* ad *Boſium* ſuper Cornelio ſcriptae. *Boſius* enim principes elegantis doctrinae viros ſuae aetatis vehementer per litteras hortatus fuit, ut opes collectas ad novam Nepotis editionem mitterent. Eminent vero inter has epiſtolas praecipue Schefferianae, in quibus variae animadverſiones proponuntur. Sic pag. 10. ſcribit Schefferus: *inter alia id quoque parum circumſpecte puto factum, quod cuivis vitae binos titulos praefixerint. Sunt enim revera tituli, non initia vitarum ſingularum,* e. g. Miltiades, Cimonis filius, Athenienſis; Themiſtocles, Neocli filius, Athenienſis, *et deinceps.* In ep. 2. quae obſervationes quasdam in Cornelium habet, idem de *Boeclero* ſcribit: *Eſt neſcio quibus cauſis mihi iratior factus, licet ego eum ſemper ſumme coluerim atque ſuſpexerim. Quod tibi privatim indico, non moerore quodam, niſi quem concipio ex reputatione ingenii ad ſuſpiciones, et propterea amiciſſimis etiam ſubinde infenſi, quod in eo viro plerique omnes mirantur.* Pag. 29. *Graevius* Ioannis Pearſoni Vindiciis epiſtolarum Ignatii *vix doctius quicquam a non paucis annis ſolem adſpexiſſe* iudicat. Pag. 33. ubi ſimul quaedam de ſublatis ex Academia Helmeſtadienſi pennalismi ineptiis commemorantur, Cellarius *acerrimus morum Cenſor, et male feriatis vel ſolo nomine formidabilis* appellatur a *Sauberto.* Pag. 45. graviſſime queritur *Frid. Brummerus* de neglectu liberalioris doctrinae. *Saepe,* ait, *angor et doleo, eo rem hodie rediiſſe, ut literae, quas vocant humaniores, cuivis paene ſordeant, ludibrio habeantur, a multis etiam ut peſtis quaedam ſtudiorum vitentur. O tempora! o mores!* Haec ſi de illis temporibus Brummerus dicere potuit, quae Reineſii, Heinſiorum, Gronoviorum, Graevii, Bigotii, Boſii, Barthii, Schefferi, Conringii, Daumii, aliorum, nomina et merita illuſtrabant, quid tandem de noſtris dicamus, quibus acerbiſſimae hominum doctorum, et humaniorum inprimis litterarum amantium, querelae audiuntur?

 Verum

Verum de his ſatis. Non enim dubitamus, gratum et iucundum hoc Cl. *Fiſcheri* munuſculum, tanquam editionis eius Cornelianae corollarium quoddam, viris doctis fore. Bene, ait *Muretus*, in epiſtolarum aliqua: ſi vaſcula quaedam, quibus viri docti uſi erant, et alia, quae in eorum ſupellectile ac frivolis fuerant, mortuis ipſis cupidos emtores invenerunt, multo magis eorum, quamlibet tenues et exiles epiſtolae, in pretio eſſe debent.

NOVA LITTERARIA.

Curarunt inde a pluribus annis bibliopolae Amſtelaedamenſes, Schroederus et Morterius iunior, ut *Hiſtoria et Commentarii Regiae Scientiarum Academiae Pariſinae*, commodiore forma, et minore pretio, quam archetypum, emi poſſent a doctrinae ſolidioris ſtudioſis. Adiunxerunt ante paucos annos novam opportunitatem hanc, ut *Indicem univerſalem rerum omnium, in Opere egregio, a primis inde eius initiis tractatarum*, ederent. Huius Indicis *Tomi tres priores* ad A. 1734. pertingunt; *Quartus*, qui hoc ipſo tempore excuditur, annos reliquos, deſinendo in anno LI. Seculi huius, complectetur. Atque in eo concinnando, non ſolum accurata diligentia, Auctor, quisquis fuerit, verſatus eſt, ſed hoc in primis prudenter inſtituit, quod Indicem ſuum non minus Pariſinae Commentariorum Editioni, quae quaternis prodiit, quam Batāvicae, de qua diximus, duodenis procuſae, accommodavit. Sed iidem illi librarii nunc maxime dant operam, ut novo beneficio litterarum amantes ſibi obſtringant. Nam cum animadverterint, Editionem ſuam *XCIX. Voluminibus* abſolvi, (non numeratis qui Indicem continent,) ceperunt conſilium addendi *Centeſimi,* quod *primam Centuriam* illuſtris huius Operis claudat, inſerviatque non modo

do eorum usibus, qui Commentarios hos in museo servant, verum omnium quos scientiae artiumque intelligentia delectat. Harum enim progressus, formata ex scriptis XCIX. illorum Voluminum imagine concinna, C. hoc Volumine coniunctim exhibebuntur, habebuntque in illo singulae doctrinae partes sectionem suam, in quam ex tanto campo, tamquam in acervum, referentur unius generis dissertationes. Itaque, cum haec primae Commentariorum Centuriae separatim condendae ratio inita fuerit a librariis, admonendos duxerunt eos, qui forte nonnullis pertinentibus ad eam Voluminibus adhuc careant, ut in iis sibi comparandis ne cessent, quod illa ipsa ratio mox sit obstitura, quo minus Volumina sigillatim vendantur. Ii autem, qui a voluminosa Centuria illa abhorrentes, sumtus in ea emenda ullos collocare noluerunt, nunc commodiore via, et ad formam novi operis, recentioribus Voluminibus, si libuerit, potientur. Omnia quippe Volumina Historiae et Commentariorum regiae huius Academiae, quae Batavi librarii publicabunt, praescriptum habebunt *Centuriae Secundae* nomen, indeque a *Tomo Primo*, velut novum opus, numerabuntur. Primos adeo Tomos, Anni MDCCLII. Historiam et Scripta complexos, spes est, Octobri mense huius Anni in lucem prodituros.

Leida d. 15. Febr. MDCCLX.

Academiae Lugduno Batavae Professores, qui legati Stolpiani administrationi praesunt, cum praestitutus a Testatore ordo iubeat, cummaxime argumentum ex Ethica Christiana petitum ad publicam disquisitionem offerri, decreverunt hanc proponere quaestionem:

Quanto perfectiorem principiis, incitamentis, et finibus, reddiderit Ethicam divina revelatio?

Rogan-

Rogantur itaque eruditi et pii homines, quibus volupe fuerit ſuam in hac materia diligentiam in bonum publicum exercere, velint, quas meditaturi ſunt, diſſertationes, Belgico vel latino ſermone exarare; ante diem 1. Iulii anni ſequentis MDCCLXI. Leidam transmittere, H. D. Gaubio, Medic. Profeſſ. inſtituti Stolpiani h. t. Actuario, inſcriptas, absque ulla eius impenſa huc vehendas, adſcriptoque Symbolo eas diſtinguere, et Schedulam addere obſignatam, in cuius fronte idem Symbolum, intus nomen Auctoris, habeatur.

Enimvero non niſi illorum, qui his ſe conditionibus adſtrinxerint, ratio habebitur, quum d. 13. Octobr. eiusdem anni, ex more, a Curatoribus victor decernetur, cui numisma aureum ducentorum et quinquaginta florenorum noſtrae monetae in praemium tribuatur.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiae

Calendis Martii Anno MDCCLX.

Pars II.

DISSERTATION SUR L'ANCIENNE INSCRIPTION de la Maiſon-Carrée de Nismes, etc.

i. e.

DE INSCRIPTIONE ANTIQUA DOMUS QUADRATAE, quae Nemauſi ſupereſt, Diſſertatio SEGUIERII, Academiae Regiae Nemauſienſis, Bononienſis item, Panormitanae et Veronenſis, Socii; cum Academiis autem Scientiarum Pariſienſi, Toloſana, et Monſpesſulana, epiſtolarum commercio coniuncti.

Lutetiae Pariſiorum, apud Tiliardum, 1759. pag. 53. octonis, cum tabula Inſcriptionem in aere exaratam reddente.

Nemauſus, clara Galliae Narbonenſis trans Rhodanum urbs, quae hodie quoque pulchre floret, et diſertum nuper rerum ſuarum hiſtoricum nacta eſt *Menardum*, cum plurimas Romanae magnificentiae reliquias ſervat, tum in his longe elegantiſſimum monumentum illud, quod *Domum Quadratam (la Maiſon-Carrée)* vocant incolae. Periſtylium quidem aedis, qua aditus in illam patet, ſex columnas generis Corinthiaci oſtendit, quarum extrema ſubgrundatio et corona in frontiſpicio, ſumma arte exor-

exornata sunt. Sed zophorus huius frontis nihil anaglyptici operis habet, nihil ornamentorum, quae in reliquis lateribus spectantur: contra per omnem sui ambitum foraminula permulta, quorum etiam non pauca in parte epistylii videas.

Nomen aedificii hodiernum a figura petitum est: primaevum certe nonnisi per coniecturas adsequi licet. Harum nonnullas Cl. Auctor refellit ante, quam verum aedis usum doceat. Neque enim Capitolium Nemausi illud fuit, cuius nominis arcem ibi exstitisse, (ut in aliis etiam, praeter Romanam, urbibus,) vel superstes hodieque vox *Capduel* indicat; nec domus consularis, nec praetorium. Alii interpretantur Basilicam illam, quam Spartianus ait *Hadrianum in honorem Plotinae, opere mirabili, apud Nemausum exstruxisse.* Verum falli et hos, Casaubonus iam ad Spart. aliique agnoverunt. Nulla enim hic ambulacra, porticus, pergulae, sedes nullae, Basilicis alioqui propriae. Sagaciores ergo existimant, sacellum alicuius dei, vel templum esse Domum hanc Quadratam. Addunt coniectando, illud Iovi Capitolino, aut Marti, imo Plotinae sacrum fuisse. Putant etiam, se Spartiani loco, in Hadriano, et alio Dionis in excerptis Xiphilini adiutos, annum aedificati templi constituere posse. Postremam sententiae huius partem ita impugnat Auctor, ut neget, *Basilicam* apud Spartianum designare aedem iudiciis et negotiationibus faciendis idoneam, cum illa: *in honorem*, de templis dici profecto possint, de Basilicis non item; sed potius templum splendidius intelligat, quo sensu Basilicae nomen non multo post Spartiani aetatem apud Christianos frequentari coeperit *). Cum hac explicatione conspirare etiam Dionem,

*) Hanc interpretationem veremur ut multi recipiant. Quis enim credat, Spartianum, relicta vulgarissima vocis significatione, eam intendisse, quae medio demum Seculo IV. in Ecclesia Christ. usurpata fuerit? Deinde illud: *in honorem*, quod angit adeo Auctorem, parum nobis habere vide-

nem, qui *templum* Plotinae ab Hadriano aedificatum narret; quod ſine dubio idem ſit cum *Baſilica* apud Spartianum, ſubleſtae ceterum fidei ſcriptorem. (Nobis alterutrum horum probatur: aut falſam eſſe Spartiani relationem; aut nomini Plotinae templum ſimul et baſilicam ſacratam fuiſſe, ſed utramque prorſus periiſſe.) Fuit etiam ante hos CC. annos, qui confirmaturus, aedem noſtram eſſe Baſilicam Spartiani, Inſcriptionem, ut putabat, vetuſtam attulit, *Poldo d'Albenas* in Antiquit. Nemauſi, Francogallice ſcriptis. At illam recte abiecerunt cum Caſaubono et Grutero plures; velut aliam quoque, quae tradit, ab Antonino Pio hanc aedem ſacratam fuiſſe Hadriano.

Iam itaque cum templum eſſe aedem noſtram dubitari vix poſſit, ſupereſt ut quaeramus, cui deo vel heroi dedicatum fuerit. At inſcriptio adeſt nulla; ergo non niſi hariolationi locus erit? Minime. Vidit enim iam magnus *Peireſcius*, Inſcriptionem templi ex foraminulis in fronte conſpicuis poſſe reſtitui. Sic alia huiusmodi in monumentis antiquis foramina interpretatus eſt, auctore *Gaſſendo*, in vita illius, pag. 86. ut illa in templo quodam Aſſiſii, ex quibus haec verba eliciebat: IOVI. OPT. MAX. Sic ſperavit, (Gaſſendi haec ſunt), ſe interpretaturum ſeriem quandam foraminum Nemauſenſis Baſilicae, quam Quadratam Domum vocant, ubi ectypum obtinuiſſet. Sed ectypum hoc ad Peireſcium non perveniſſe credibile eſt. Satis autem apparet, foramina illa in zophoro et parte epiſtylii, eſſe veſtigia litterarum aenearum, quibus templa et aedificia auguſta inſcribebantur. In his forulis haerebant anſulae illae ferreae, quae unamquamque litteram, cum qua iunctae erant, muro affigebant. Ea ratio a Romanis rarius obſervata eſt. Nam vulgo litteras dimidia ſui parte lapidi inſculpebant, ut adeo circumfuſo canaliculo quodam conti-

T 2

videtur difficultatis. Nam ſi Baſilica ab Hadriano exſtructa, Plotinae nomine inſignita fuit, quid impedit, quo minus in huius honorem conditam dicas, quamvis phraſi inſolentiore.

continerentur, qui, abstractis etiam per hostes barbaros litteris, earum figuram monstraret. Hic autem postquam periere litterae Inscriptionis, quae muro impositae epistomiis quibusdam suffixae erant, praeter foramina residui mansit nihil. Et haec ipsa licet formam litterarum, quae illis annexae fuerant, prodere possint, varias tamen, de quibus mox dicetur, difficultates obiiciunt.

Eas vincere iam ante annos fere triginta tentaverat Seguierius noster. Sed parum prospere tum successit labor non accurate institutus. Ante paucos vero annos in hanc patriam suam redux, sollicite inquisitionem illam resumsit. Ac posteaquam magistratus Nemausi, hoc illius et Menardi, quem supra laudavimus, precibus dederat, ut inspicere propius et commodissime zophorum et epistylium liceret Nostro, statim hic operam dedit, ut quam fieri posset exactissimam foraminum omnium, qua numerum, positum, et conformationem eorum, designationem teneret. Quo facto, cum curiosius intueretur foramina epistylii, reperit eorum habitus eiusmodi, qui responderent epistomiis litterarum I, T, V, propriis, quae litterae saepius videbantur eo loco repetitae esse. Quid multa? prodit repente vox IVVENTVTIS, omnesque litterarum in ea ductus rite conveniunt subiectis foraminibus. Haec autem vox continuo Seguierium deduxit ad vocem PRINCIPI, quacum illam coniunctam esse frequenter in numis et inscriptionibus, apud omnes constat. Nec mora, iisdem veri indiciis legit PRINCIPIBVS, ac sensim singula Inscriptionis verba, nisi quod aliquantulum impediretur foraminulis nonnullis superfluis, quae infra explicabimus. Vidit etiam post singulas voces et sigla punctum esse positum; neque iam dubium erat, lecta olim in templo haec fuisse, in zophoro quidem, uno versu:

C. CAESARI. AVGVSTI. F. COS.

L. CAESARI. AVGVSTI. F. COS. DESIGNATO

in epistylio autem:

PRINCIPIBVS. IVVENTVTIS

Horum

Horum Principum historiam breviter tradit Seguierius a pag. 28—33. unde nihil repetendum existimamus, praeterquam hoc, fuisse illos Agrippae filios ex Iulia Caesaris Augusti filia, adoptatos ab Augusto, et variis ornatos honoribus, sed immatura morte exstinctos, Caium quidem A. DCCLV. V. C. a. d. 20. Aug. Massiliae; Lucium vero A. DCCLVII. a. d. 21. Febr. in Lycia. Exstat adhuc decretum lapidi insculptum, quo civitas Pisana manibus utriusque Principis annua sacrificia fieri iussit, illustratum illud a Norisio in Cenotaphiis Pisanis. Vrbes etiam Hispaniae plures, et ipsa Corinthus, vivis illis numos dicarunt; sed Nemausus, grato in Augustum et Agrippam animo, templum hoc, quod inspicimus, magnificum. Consulis nomen, quod Caio tribuitur in Inscriptione, ostendit, eam non ante Calendas Ianuarias A. DCCLIV. nec post Augustum mensem A. DCCLV. positam fuisse. Videtur enim omnino templum superstitibus adhuc his Principibus exstructum. Non quod abest in Inscript. vox DIVVS: is enim titulus perfecta demum Principum apotheosi, illis decernebatur; sed quia honoris Consularis mentio iniecta est, quod secus fit in Inscriptionibus votivis, quae Principibus quasi diis sacrantur; quippe quae dignitatum nomina tacent. Ita in ipsa Caii urna haec duntaxat leguntur, (apud Gruterum, CCXXXV, 4.)

OSSA
C. CAESARIS
AVGVSTI. F
PRINCIPIS. IVVENTVTIS

Ceterum vivo Caio et Lucio templum dedicatum fuisse, nemo miretur, nisi qui nesciat forte, et ipsum patrem eorum Augustum, cum inter vivos adhuc ageret, templis et vario cultus genere donatum fuisse. Quanquam noluit ille mox sibi templa poni, nisi adiuncto Romae nomine. Illi Narbonenses altare dedicarunt in foro, estque hodienum apud illos Inscriptio, memoriam et modum cultus indicans. Nemausus etiam SEX VIROS AVGVSTALES habe-

 bat,

bat, ſacra Auguſti curantes, et in collegium coactos, quod Inſcriptio a Maſſipo, Advocato Regio, ſervata: IIIIII VIRI. CORPORATI. NEMAVSENSES, docet. A Patre ergo ad filios quoque, licet ſuperſtites, cultum hunc manaſſe credibile eſt, quando vel Proconſulibus templa et feſta dicabant Graeci.

Nunc de litterarum, quibus haec Nemauſenſis inſcriptio olim conſtitit, materia, de ratione earum in murum affigendarum, deque aliis huius generis, ſuperaddamus pauca. Nihil omnino in aevi Auguſtei monumentis aere frequentius. Ex eo ſtatuae, variae templorum partes, utenſilia, pondera, menſurae, arma, alia plurima fiebant. Sed in diverſos uſus, diverſo etiam modo praeparabatur. Nam ſtatuis aut laminis, quibus litterae inſcribendae erant, adhibebatur aes orichalco mixtum. Talem temperaturam litteras Inſcriptionum compoſuiſſe, veriſimile eſt. Ex his certe Nemauſenſibus, quae ſupereſt, particula epiſtomii cuiusdam, cum numis coloniae illius eiusdem fere metalli eſt. Videntur autem litterae ſigillatim in protypo formatae fuiſſe, epiſtomiis continuo adhaerentibus, neque tamen eadem omnes proportione; qualia in hoc templo analogiae vitia plura ſunt. Peccavit etiam in eo artifex, non tam quod in epiſtylio inſcriptionis partem poſuit, quam quod ligamentis illius innexuit voces, quas, cum earum capax non eſſet zophorus, ſaepenumero complanatis ligamentis commodius editas fuiſſe conſtat, ut ecce Viennae in veteri aedificio, quod hodie *Notre Dame de la Vie* adpellant, ſupparem noſtrae foraminum ſeriem oſtendente. Sed ad hanc revertamur. Ex aereis illius litteris nonnullae colore ſubrubido et aerugine ambitum atque figuram ſuam adeo diſtincte deſcripſerunt, ut cognoſci ab Auctore propius adſtante, poſt reſeratam iam Inſcriptionem, potuerint. Omnes vero plumbi ope ſolidatae ſunt, non liquidi tamen, ſed, quod videtur Noſtro aptius, in laminulas diviſi. In foraminum locis deſignandis multum erravit artifex:



artifex: alia enim altius conſtituit, alia profundius, quam ſtatus litterarum poſcebat; iterum alia iuſto latius a ſe invicem diremit, alia nimium coarctavit: quorum loco omnium nova ponenda erant. Atque haec foraminum multitudo, quorum pars tantum praeſtabat uſum, plurimum ſine dubio obfuit illis, qui ante haec tempora interpretari conarentur hos forulos, ad eam rationem quam praeiverat Peireſcius. Quodſi a voce poſtrema, IVVENTVTIS, cui nullum ſubiectum eſt foramen ineptum, indagandi initium feciſſent, multo rēs expeditior futura erat. Oſtendit ergo Seguierius, commorando in ſingulis Alphabeti litteris, quas Inſcriptio complectitur, quot quaeque earum epiſtomia, quot foramina, et horum quidem alia recte, alia praeter neceſſitatem exſtantia, habeat. Quae diligens diſputatio pag. 47—50. legitur. Comparat denique cum litteris in Domo Quadrata, alias eiusdem generis repertas in faſtigio aedificii item ſplendidi, cuius ante paucos annos reliquiae ad Fontem Nemauſi effoſſae ſunt. Aeneae ſunt et iſtae, atque epiſtomiis ſtabilitae, ſed incluſae canaliculis, nec per omnia ſimili modo cum noſtris affixae. Ipſa Inſcriptionis reſidua ne coniecturis quidem ſufficiunt. Nam primae voces: RES PVBLICA NEMAVSESIVM, et illae linea altera: IMPERATORIS CAESARIS AVGVSTI, mancum omni ex parte ſenſum offerunt. Dies forte pleniora docuerit.

Haec de libello Cl. Seguierii, quem curioſam in his rebus operam poſuiſſe vehementer probamus, cupimusque illum plura in eodem campo, pari felicitate, moliri. Tabula autem, quam adiungi curavit, accurata eſt, et ad fidem exegeſi Auctoris faciendam plane accommodata. Nam in duas partes diſtincta, utraque zophorum et epiſtylium monſtrat; altera quidem ſolis foraminulis conſpicua, altera litteris in eadem foramina impoſitis et aptatis. Cuius adſpectu ne omnino careant lectores, rarioris certe et eruditis oculis dignae, partem Inſcriptionis, et reſpondentium huic parti foraminum, cum ex zophoro, tum ex epiſtylio, delineari iuſſimus. TAB. I.

CONTRA

CONTRA INSIGNEM SUPERFICIEI OCEANI, ET marium cum eo communicantium, inaequalitatem, a V. Cl. HENRICO KUEHNIO P. P. Mathem. Gedan. assertam, Observationes IOSEPHI STEPLING, e Soc. Iesu, Caesareo Regio Fac. Philos. et Art. Directore in Universit. Pragensi.

Misit ad nos, pro sua humanitate atque erga nos benevolentia, *Steplingius* V. Cl. observationes istas plenas bonae frugis, doctrinaeque reconditae, ut, si e re litterarum videretur, docto orbi, insertae his Actis nostris, hoc magis innotescerent, dareturque adeo opportunitas hominibus doctis, super quaestione proposita quid tandem sentiendum sit decernendi. Nos igitur, lectis non sine voluptate Viri Clarissimi observationibus, credidimus operae pretium facturos nos, atque rem gratissimam Lectoribus, si, breviculae epitomes loco, quidquid est Steplingianarum de quaestione maximi momenti meditationum, id omne huc transferremus: quod et doctissimi Viri praeclaram doctrinam maximi facimus; et verendum fuit, ne paucae plagulae, paucis visae, litterarum incommodo mox interciderent. Rogamus autem Virum Cl. ut pergat de his Actis nostris, deque bomis litteris in universum, praeclare, ut adhuc solitus est, atque egregie mereri. Sunt autem, de quaestione dicta, Steplingii observationes his verbis propositae.

Sunt, qui oceani superficiem non horizontalem continuam, sed mare unum altero altius, unum alterum versus inclinatum esse, et quidem insigniter, contendunt. Inter Veteres Eratosthenes, et Aegyptii geometrae, mare rubrum supra mediterraneum, Ionium a sinu Corinthiaco supra Aegeum in sinu Saronico, attolli affirmabant. Et *Plinius* quidem lib. 6. cap. 29. mare rubrum tribus cubitis Aegypto altius compertum fuisse ait, quae quidem exigua est quantitas. Quantum autem Ionium supra Aegeum attollatur

tollatur iudicio geometrarum veterum, non reperio. Caeterum quousque fidendum sit veterum libellationibus, (si tamen vera sunt, quae de iis narrantur) iudicent ii, qui norunt, quam caute, quamque accuratis instrumentis, ne error irrepat, libellationes sint instituendae. *Varenius* quoque lib. 1. Geograph. general. cap. 13. Propos. 5ta sequentia refert: „Oceanus Germanicus, inquit, qui est Atlantici „pars, inter Frisiam et Hollandiam se effundens, efficit si„num, qui etsi parvus sit respectu celebrium sinuum ma„ris, tamen et ipse dicitur mare, alluitque Hollandiae em„porium celeberrimum Amstelodamum. Non procul inde „abest lacus Harlemensis, qui etiam mare Harlemense di„citur, huius altitudo non est minor altitudine sinus illius „Belgici, quem diximus, et mittit ramum ad urbem Lei„dam, ubi in varias fossas divaricatur. Quoniam itaque nec „lacus hic, neque sinus ille Hollandici maris, inundant ad„iacentes agros, (de naturali constitutione loquor, non ubi „tempestatibus urgentur, propter quas aggeres facti sunt,) „patet inde, quod non sint altiores, quam agri Hollandiae. „At vero Oceanum Germanicum esse altiorem quam ter„ras hasce, experti sunt Leidenses, cum suscepissent fos„sam, seu alveum, ex urbe sua ad Oceani Germanici litto„ra, prope Cattorum vicum perducere, (distantia est duo„rum milliarium,) ut recepto per alveum hunc mari pos„sent navigationem instituere in Oceanum Germanicum, „et hinc in varias terrae regiones. Verum enim vero cum „magnam iam alvei partem perfecissent, desistere coacti „sunt, quoniam tum demum per observationem cognitum „est, Oceani Germanici aquam esse altiorem, quam agrum „inter Leidam et littus Oceani istius: unde locus ille, ubi „fodere desierunt, dicitur Act malle Gat. Oceanus itaque „germanicus est aliquantum altior, quam sinus ille Hollan„dicus.“ Non ergo insignis est, (si tamen est,) differentia inter maris Germanici, et sinus Hollandici altitudinem. Pater *Cabaeus* lib. 1. meteorolog. textu 9. Quaest. 2da: „praeterea, ait, observavi ego, et alii etiam fortasse ante-

„me obſervarunt, mare Liguſticum aquas habere longe ele-„vatiores, quam habeat ſinus Adriaticus, quod ſic probo: „dum quis Genua Mediolanum petit, incipit ſtatim aſcen-„dere a mari per alveum torrentis Ponce Vere, per 5. „milliaria, aſcendit autem placide, ita, ut vix ſentiat ſe aſcen-„dere. Tum per alia 7. milliaria aſcendit usque ad ſum-„mitatem iugi vulgo La Bocchetta, et via eſt quidem ac-„clivis, ſed non invia — — —. Inde deſcenditur per-„petuo Papiam verſus Venetiam usque; quilibet autem „aequus rerum aeſtimator, ſi ſtet in iugo alla Bocchetta, „non minus iudicabit deſcendi illis 12. milliaribus, quibus „deſcenditur ad mare Liguſticum, quam quibus Papiam „verſus deſcenditur; quare in eadem elevatione fere erit „mare Liguſticum, et Seravalle; at quantum inde deſcen-„ditur Tortonam, quantum inde Papiam, quantum inde Ve-„netias? tantum ergo aqua maris Veneti depreſſior erit „mari Liguſtico.“ Subiungit tamen, ſe optare, ut haec accuratius omnino obſerventur, atque explorentur. Et non abs re: quod enim mare Adriaticum Liguſtico humi-lius apparuerit, potuit ex opticis rationibus proficiſci. Et Pater *Ricciolus* lib. 1. cap. 16. Geograph. refor. ſibi a Pa-tribus noſtris narratum fuiſſe dicit, ex rupibus Iſthmi Pa-namici deſpectanti utrumque mare, videri illud ad littora nominis Dei altius, quam ad Panamae. Poſſet praeterea adiici, multis indiciis cognitum eſſe, mare Balticum littora ſua ſucceſſive deſerere, et iis denudatis recedere, prout evincere conatur Clar. *Celſius*, quondam Aſtronomiae Pro-feſſor Upſalienſis, in actis Regiae Suecicae Scien. Acade-miae 1743, ubi praenominatus Auctor decrementa maris plurium annorum inter ſeſe comparans, ſtatuit ſaeculare decrementum medium altitudinis maris Baltici eſſe 45. di-gitorum. Qui aquam in nutritione plantarum figi, et in partes firmas commutari ſentiunt, huic cauſae fortaſſe de-crementum iſtud attribuere poterunt. Nam hac ratione non omnis aqua e mari ſub forma vaporum educta, et in pluvias reſoluta, in mare revertitur; ſed parte eius, quae

figitur,

figitur, tellus augmentum capit, Oceanus detrimentum. Alii Oceanum per hiatus in fundo eius vel littorum parte aquis immersa patentes dilabi, et terrae viscera, ac quasdam veluti venas, solo aere vel halitu fartas replere, autumabunt. Alii vero, (ad quod hic mihi animus advertendus), his de imminutis Oceani aquis, captis observationibus, fluxum Oceani fluminis instar a septentrione aequatorem versus stabilient. Verum non magis certa est haec explicatio, quam reliquae recensitae. Istud certissimum, flumen hoc grande, si quod est, cum tam lentum sit, ut intra annum semi digito tantum deficiat, etsi ei exigua admodum aqua, comparatione facta cum defluente, per fluvios advehatur; lentissimum plane esse, atque tarditate sua fluvios omnes superare. Quare superficiem Oceani huius descendentis paene horizontalem, atque eius prope polum elevationem seu altitudinem supra mare Atlanticum, et Aethiopicum, prope lineam minime insignem esse oportet. Accedit, hanc Celsii, et aliorum Suecorum opinionem, de altitudine maris Baltici deficiente, in dubium vocari a *Ioanne Browallio*, itidem Sueco, ac quondam Episcopo et Procancellario in civitate Abo. Caeterum, cum Oceani deficientis exemplum, aut opiniones de eo conceptas attulerim, et crescentis seu potius altius altiusque assurgentis afferre possem; sed limites scriptionis meae excederem. Qui volet, legat *Eustachii Manfredi* de aucta maris altitudine opusculum, quod habetur Commentariorum Bononiensis Scientiarum Instituti Tomo 2do, Parte altera.

Inter ea ergo, quae allata hucusque sunt, nihil occurrit, quod certo insignem in marium altitudine differentiam demonstret.

Efficacius hanc differentiam stabilire Vir doctissimus, *Henricus Kühnius*, in Athenaeo Gedanensi Mathematum Professor, adnititur, tum in suis de origine fontium meditationibus, Burdigalae Anno 1741. impressis, et dein in vernaculam ab Auctore translatis; tum in solutione dubiorum Hydraulicorum et Aerometricorum, quae inserta est Actis

Eruditorum novis Lipſienſibus Anni 1742. Totum, quod in hunc finem ingenioſiſſimus Vir affert, huc redit: 1) cum notum ſit, in eodem fluvio libramentum unum idemque non eſſe, ſed varium omnino, atque modo fluvii ſuperficiem magis, modo minus ad horizontem inclinari, concipit mediam aliquam inclinationem, quae nempe aeque a maxima deficiat, atque minimam excedat. Et hanc poſſe adſumi pro fluvii totius libramento ſtatuit. 2) fluviis paſſim idem eſſe libramentum medium cenſet, idque tale, ut in ſingulos centenos pedes ſuperficies fluviorum modice rapidorum pede dimidio infra lineam horizontalem veram, in magis rapidis integro deprimatur. Referat A B fluvium, vel eius partem, iuxta medium libramentum, per A ducta cogitetur linea horizontalis vera FA. Sint intervalla AI, IK, KL aequalia, et ex I, K, L ducantur IH, KG, LM perpendiculares ad AF; et erit HI depreſſio puncti I infra lineam horizontalem AF per A ductam, GK puncti K depreſſio infra eandem etc. quodſi iam intervalla AI, IK, KL ſingula ſint centum pedum, tum Clariſſimo Kühnio HI in fluviis modice rapidis eſt pedis dimidii, GK unius, ML ſeſqui alterius: in magis rapidis IH eſt unius pedis, KG duorum, LM trium. Rationes, quibus permotus, quantitatem hanc depreſſionis aſſumit, eſt auctoritas Illuſtris Wolffii, qui, (ut loquitur Clar. Auctor §. 902. et 920. Elem. Mech. Lat. pro aqua in rotam directam Oberſchlächtiges Waſſerrad deducenda,) iubet aquam ex flumine in idem flumen deduci, ita, ut aquae in canali fluenti pro ſingulis 100. pedibus relinquatur declivitas unius quartae partis, aut dimidiae pedis unius, ne aqua minus ſegniter fluat, et ut omne praecipitium aquae 10. pluriumve pedum intra canalis longitudinem, (quae per experientiam intra 600. et 100. pedes eſſe ſolet,) acquiſitum impendatur in rotam agitandam etc. Is certe haec non ex ſuo ingenio ſcripſit, ſed procul dubio ex practicorum libris, de Molendinorum exſtructione agentibus, transſcripſit. Hucusque Vir doctiſſimus in ſolutione ſua dubiorum Hydraulicorum,

et

et Aerometricorum, citata. Subiungit dein exempla declivitatis aliquot fluviorum minorum, et minime insignium, quam declivitatem ex molendinis ad ripas constructis deductam talem esse ait, ut longitudo fluvii ad depressionem infra lineam horizontalem veram sit ut 50. ad 1. 3) his ita positis et praemissis, in suis de origine fontium meditationibus, inquirit in depressionem ostiorum fluminum infra origines, et scaturigines, easque depressiones inter se in fluviis, quorum vicinae sunt scaturigines, comparans infert, maria insigniter inaequalis esse altitudinis. Nempe referant rectae A B, A E duos fluvios, quorum fere eadem sit origo A, sitque iter, quod fluvius AB percurrit, antequam in mare ad B sese effundat, notabiliter longius itinere fluvii AE in mare ad E sese effundentis. Producatur linea horizontalis A F usque in N, ubi ei normalis ex E ducta occurrat: ducantur etiam lineae horizontales BC, DE; et erunt BC, DE, parallelae ipsi FN; quare FB aequalis est ipsi AC, et NE aequalis ipsi AD; est autem AC maior, quam AD; ergo et FB maior, quam NE, et quidem eo maior, quo fluvii AB maior est longitudo; igitur B ostium fluvii AB magis depressum est infra lineam horizontalem ductam per communem originem fluviorum AB, AE, quam sit E ostium fluvii AE; consequenter etiam mare ad B humilius est mari ad E, et quidem insigniter, si differentia longitudinum fluviorum AB et AE sit insignis, est enim differentia altitudinum seu depressionum, differentiae longitudinum fere proportionalis. Hac ratiocinandi methodo collegit Vir praestantissimus, Oceanum ad Odiam, in regno Siam, tribus quadrantibus milliaris germanici humiliorem esse Oceano, qui alluit littora Bengalensia: mare Caspium ad ostia Wolgae semialtero milliari humilius sinu Finnico ad ora Newae, et haec duobus milliaribus cum tribus quadrantibus altiora loco habente eandem cum ostiis Newae longitudinem geographicam, sed in mari mediterraneo ad Moream sito: mare Caspium ad civitatem Ferebath altius sinu Persico ad Bassoram 13100. pedibus geo-

metricis

metricis, (quorum 20000. milliare germanicum continet,) Oceanum Atlanticum ad Philadelphiam Americae tribus quadrantibus milliaris germanici altiorem mari ad ostia fluminis Sancti Laurentii: mare pacificum ad Limam 58600. geometricis pedibus, et ad littora occidentalia Isthmi Panamici 47600. pedibus altius Atlantico prope ostia fluvii Amazonum: idem mare Pacificum ad eadem littora 14800. geometricis pedibus altius littoribus orientalibus Isthmi sub latitudinis borealis gradu 7mo. Et haec adduxisse ex ingeniosis Clarissimi Kühnii meditationibus sufficiat.

Nunc, pace Viri Clarissimi, reflexiones quasdam meas super punctis propositis attexam. Et quidem, quod attinet ad primum, videtur mihi, quod, si pro fluvii totius libramento, medium inter maximam et minimam declivitatem assumatur, in excessu peccetur: fluvii enim, cum adhuc modici sunt, atque loco suo natali vicini, plerumque per montanum et valde declive solum labuntur, adeoque rapido cursu, et navium impatiente, convolvuntur. Ast ubi planiora attigerint, ad quandam motus mediocritatem sese componunt, etiamsi cursus velocitas ubique non prorsus sit constans, et sibi similis, sed ex. gr. maior ubi alveus contractior, minor ubi latior, et fluvius in statu manente. Et in magnis quidem, et longis fluminibus, spatium, quod placidiore motu percurrunt, multo maius est illo, per quod rapidi et furentes praecipitantur. Atque haec est ratio, quod media declivitas superficiei inter maximam illam, quam habent, cum per montana, et solum natale ruunt, atque inter eam, quam habent, cum lentius per planities incedunt, nimia sit pro totius fluvii libramento. Sit ex. gr. fluvius, qui a scaturigine sua rapide satis per montana 20. milliarium itinere decurrat, ita, ut in singulos 50. pedes depressio sit unius pedis: sit vero longitudo itineris, quod per planiora decurrens fluvius emetitur, 100. milliarium, et sit depressio fere $\frac{1}{4}$ pedis in centenos longitudinis: et expriment $\frac{1}{50}$ et $\frac{1}{400}$ declivitates, maximam et minimam, seu rationes lapsuum ad longitudines; media

media igitur declivitas, quaeſita inter $\frac{1}{50}$ ſeu $\frac{8}{400}$ et $\frac{1}{400}$ media proportionali Arithmetica, erit $\frac{9}{800}$. Videamus nunc, poſito $\frac{9}{800}$ libramento totius fluvii 120. milliaribus germanicis ſeu 2400000. pedibus longi, quot pedibus oſtium fluvii origine depreſſius ſit. Itaque fiat, ut 800. ad 9, ſic 2400000. ad 4tum proportionalem 27000; poſita ergo declivitate media $\frac{9}{800}$, erit oſtium origine 27000. pedibus humilius, quae nimia eſt depreſſio, et erronea. Nam fluvii depreſſio per viginti illa milliaria, quibus praecipiti magis curſu fertur, calculo inito invenitur eſſe 8000. pedum, eſt enim 50. ad 1, uti 20. milliaria ſeu 400000. ad 8000: et lapſus totus competens 100. milliaribus fluxus placidioris ſunt 10000. pedes, nam eſt 400. ad 1. ſicut 100. milliaria, ſeu 2000000. pedes ad 5000; unde additis 8000, et 5000, lapſus totius fluvii eſt 13000. pedum, qui lapſus a priore deficit pedibus 14000. Alterum, quod Vir Clariſſimus defendit, eſt, fluviis modice rapidis eam eſſe declivitatem mediam, ut in 100. pedes longitudinis fluvii, lapſus ſit $\frac{1}{2}$ pedis, quia nempe Ill. *Wolfius* tantum requirit lapſum aquae, quae in rotam directam dirigitur, idque, ut doctiſſimus Kühnius putat, ex mente practicorum. Ita autem Baro de *Wolf* Mech. §. 902. Editionis quae prodiit Halae Magdeburgicae 1733. loquitur: *Et cum aquae fluentes ſucceſſive cadant, a latice, ſeu origine earundem non niſi exigua declivitas, nempe, quam ſufficere experientia loquitur, ad diſtantiam* 100. *pedum minimam* $\frac{1}{4}$ *unius pedis, ad ſummum dimidii concedenda.* Et §. 920: *ut declivitas in praecipitium mutari poſſit, aqua per alveum aut canalem ex ligno conſtructum deducatur ad rotam, et diſtantiae* 100. *pedum concedatur declivitas* $\frac{1}{4}$ *unius pedis, ne aqua nimis ſegniter fluat.* Utrum vero iſta Auctor ex mente practicorum locutus fuerit, neſcio. Sane de nulla alia re hic agitur, quam ne aqua per canalem, quo in rotam dirigitur, nimium ſegnis deſcendat; quam vero in diverſas abeant ſententias Auctores etiam practici, diverſaſque lapſus quantitates aſſignent, quo aqua per canalem vel aquae ductum

ductum defluat, videre est ex tabella Patris *Riccioli* Geograph. reform. lib. 6. cap. 24. *Leo Baptista*, *Albertus*, *Daniel Barbarus* in Vitru: *Fromondus*, *Aleottus*, *Scamozzius*, in canalibus, et fluviis, spatio decurrendo passuum 1000. volunt competere lapsum minimum unius pedis, maximum pedum 6. Architecti Romani, Philandri tempore, ut aqua moveatur, pro pedibus 600. requirunt digitum unum. Periti quidam Ferrarienses apud Cabaeum, pro canalibus et fluviis, in passus 250. requirunt lapsus quantitatem unius digiti. *Ioannes Baptista Barraterus* cum recentioribus, ut eos vocat Ricciolus, pro canalibus et pluviis in pedes 600. volunt concedi digitos 4. Periti in scripturis, pro Pado, et Rheno, ut idem Ricciolus loquitur, pro torrente et amne turbido, in pedes mille, digitos duos cum $\frac{2}{5}$ digiti. Verum quidem est, a Vitruvio, et Claromontio, in pedes 100. pedis $\frac{1}{2}$ lapsum, imo maiorem adhuc a Paladio exigi: sed plures longe sunt Auctores, qui multo minorem lapsum sufficere asserant, ut ex allegatis, et Ricciolo loco citato, manifestum fit. Et cap. 1. Theatri Machinarum molarium, (qui liber sermone vernaculo conscriptus totus practicus est, ac iura molaria potissimum Saxonica continet,) dicitur, quod lapsus (**Rausche**), qui datur fossae molari (**dem Mühlgraben**), supra molam pro aquae affluxu, et infra pro eiusdem defluxu, sit ordinario talis, ut 20. perticis decempedalibus detur depressio 2. digitorum, imo reperiri multa molendina in campestribus regionibus, ubi 20. perticarum depressio uno digito maior non sit. De reliquo provide agi, si 20. perticis, seu 100. ulnis, lapsus 4. digitorum concedatur iis in locis, in quibus fundo alvei artificialis hyeme multa glacies adhaerere solet. Et hic quidem loquitur praedictus liber de Molendinis rotis retrogradis instructis (**von unterschlächtigen Mühlen**): capite vero 8vo, ubi agit de molendinis rotis directis praeditis, pro affluxu et defluxu 100. pedibus longitudinis etiam unum tantummodo digitum lapsus dari asseritur. Et D. *Bellidor* in praeclarissimo opere Architecturae Hydraulicae Parte 1. lib. 4. cap.

cap. 4. refert, in Galliis, ad pagum Arcueil, esse aquae ductum subterraneum longitudinis 7000. hexapedarum, cui in singulas 200. hexapedas sit lapsus 6. digitorum: et ad Rocquancourt esse aquae ductum longitudinis 17000. hexapedarum, quo aqua Versalias deducitur, cuius totius lapsus sit tantum 3. pedum. Reprobat etiam hic in theoria mathematica et praxi mechanica plurimum versatus Auctor, regulam Vitruvii, in 100. pedes pedis dimidii lapsum praescribentem, quod, ut ipse ait, diversis tentaminibus compertum est, longitudini 1200. hexapedarum sufficere lapsum 2. pedibus haud maiorem, si nempe canalis angulosus non sit, nec scabro et inaequali fundo: concluditque, solo, quod aqua percurrit, aequabili existente, securissime 100. hexapedis 2. digitorum lapsum tribui; posse etiam aquae ductum per 100. hexapedas fieri penitus horizontalem, modo in fine lapsus sit 2. digitorum, ita ut aquae ductus totus hac ratione gradatim humilior fiat. Verum etsi, ut ex dictis patet, pro affluxu et defluxu aquae, etiam in molendinis, tanta magnitudine lapsus, quantam quidem Clar. Kühnius requirit, opus non sit: tamen perlibenter et ultra concedo, fluvios illos, secundum quos molendina rotis directis constructa sunt, maiori etiam lapsus quantitate gaudere. Sed enim hi fluvii exigui sunt, et perbreves, imo nec fluvii, sed rivi, amnes, aut torrentes, vel etiam fluviorum magnorum initia. Nam, si Auctori Theatri Machinarum molarium ante citati credimus, molendina rotis directis, ut loquitur in Prolegomenis, construuntur ad parvos rivos et amnes in locis montanis, ubi aquae lapsus est magnus. Et vero talem lapsum ratio structurae molendini directi exigit, ut ne canalis, vel alveus artificialis, quo aqua in rotam adducitur, et abducitur, in nimiam longitudinem excurrat. Non video ergo, qui Clar. Kühnius, ab his rivis et fluviolis, ad fluvios et flumina conclusionem deducat: neque percipio, quomodo ex lapsu rivorum et fluviorum prope origines suas, deducat lapsum medium totius alicuius fluvii, qui sit dimidii pedis, si fluvius modice

 rapidus;

rapidus; et unius pedis, si magis rapidus sit. non enim comparat maximam declivitatem, seu lapsum maximum, quem habent fluvii fere prope origines, et latices, cum minima declivitate et lapsu. Et licet hanc comparationem institueret accuratissime, tamen falsam inde atque erroneam sequi posse mediam lapsus quantitatem, in reflexionibus ad punctum primum ostendi. Unde ratio longitudinis ad altitudinem lapsus, quam exhibet Clar. Kühnius, media fortasse est pro quibusdam amnibus et rivis, aut brevis cursus fluviis, fluviorumque initiis. Dein etiam Vir iste doctissimus unam eandemque fluviis omnibus modice rapidis, item magis rapidis unam et eandem lapsus quantitatem convenire censet; neque tamen vel solidioribus rationibus, vel observationibus, opinionem suam firmat. Ne vero quis putet, me solo contradicendi pruritu, aut negativis argumentis adductum fuisse ad inficiandum Cl. Kühnii systema, observationes in medium nunc adducturus sum, easque triplicis generis. Primo collectas ex libellationibus, secundo ex aestu marino fluvios adficiente, tertio ex altitudinibus Barometricis. Libellationes expendamus.

Pater *Ricciolus* Geograph. reform. lib. 6. cap. 11. ait: Padi declivitatem a stellata ad maris superficiem, intervallo 67. milliarium Italicorum, non esse maiorem pedibus 13. unciis 3; quae declivitas distributa in milliaria singula non est nisi unciarum duarum, et $\frac{2}{3}$ partis unciae pro quovis milliari: atque subiungit, videri posse hunc fluvium futurum nimis lentum, et quasi stagnante aqua vix mobilem, aut certe cum illius velocitate non consentire tam modicam declivitatem, nullam tamen revera in hoc esse repugnantiam. Moveri enim eum ob molem aquarum, et impetum impressum a tot fluminibus et torrentibus tam brevi tractu in ipsum se exonerantibus; idque iam *Plinium* lib. 3. cap. 16. notasse. Ex eodem Ricciolo, pro prima diversione Rheni Italici in Padum grandem ab Ecclesia Vigarani ad Padum lacus obscuri per intervallum 7$\frac{2}{3}$ milliarium, declivitas est 16. pedum 7. unciarum. Pro secunda diversione Rheni

Rheni, ab Ecclefia eadem in alveo turris fundi recta ad Volani Padum contra oftium Mafiorum Vallis Sanctae Martinae, per intervallum 8 $\frac{1}{10}$ milliarium, declivitas eft 8. pedum 2. unciarum. Declivitates pro reliquis diverfionibus, aliaque declivitatum exempla, vide loco citato; quae declivitates nunquam funt dimidii pedis per intervallum pedum 100, verum femper minores, idque libellationibus, publica etiam auctoritate et diligenter inftitutis, compertum fuit. In definienda Padi declivitate ante allata, videtur Ricciolus ufus fuiffe milliaribus et pedibus Bononienfibus: in diverfionibus Rheni, Ferrarienfibus. Habet autem milliare Bononienfe perticas 500. Bononienfes, fingulas decempedales: Ferrarienfe autem perticas 333. et $\frac{1}{3}$ fingulas pedum 10. Ferrarienfium, quod difcimus ex cap. 8. lib. 2di Geograph. citatae. D. *Picard* accuratiffimis libellationibus deprehendit, Sequanae lapfum medium, et declivitatem a Valvint ad Seve, locum amoenum Parifios inter et Verfalias, effe pedis unius in 1000. hexapedas: vide Rélation de plufieurs Nivellemens faits par ordre de fa Majefté par M. *Picard*, quae inferta eft operibus adoptatis a regia Academia Scientiarum. Idem D. Picard, ut in citato opufculo refertur, factis libella exactiffimis obfervationibus, Ligeris declivitatem, ab ingreffu canalis ad Brivadurum (Briare) Aureliam (Orleans) usque, comperit pedum effe 91: diftantia inter Aureliam et Brivadurum eft 14. leucarum, iuxta tabulam Galliae Domini de l'Isle, quondam Geographi Academiae regiae; et leucae tribuendo 2280. hexapedas, quod fecit D. *de l'Isle* in tabula fua, erit diftantia in pedibus 191520, quare 2104. pedibus pedis unius concedenda eft declivitas. Rurfus declivitatem eiusdem fluvii a Pouilly ad ingreffum canalis prope Brivadurum fere per undecim leucas iuxta citatam tabulam via recta, ex inftitutis tentaminibus, Picardus ftatuit 96. pedum: itaque pedibus 1567. conveniens declivitas, non confideratis flexuris, pedem unum nequaquam excedit. Notandum, me minutiarum hic rationem non habuiffe, quod earum negle-

ctus in praesenti negotio nihil officit, ut consideranti patet. D. *de la Condamine*, in Relatione historica itineris sui secundum longitudinem fluvii Maragnon, seu Amazonum, peracti, quae inserta est Historiae Acad. Reg. Paris. Anni 1745. refert, Chuchungae mercurium fuisse 16. lineis demissiorem, ac erat in littore maris; itaque Chuchunga supra maris superficiem eminet 235. hexapedis, iuxta regulam, quam experimentis conformem fuisse inferius dicam. Chuchunga autem, ait, se per fluvium quendam minorem in fluvium Amazonum descendisse. Assumamus itaque altitudinem loci, ubi Maragnon navigiorum patiens esse occipit, 235. hexapedis esse elevatum, (quamvis verisimiliter humilior sit, cum Clar. Condaminius in eum Chuchunga per fluvium, uti diximus, descenderit,) longitudo Maragnonis, ut Auctor dicit, est 1000. leucarum, seu 500. milliarium germanicorum circiter. Verum ne minimam ei longitudinem tribuere videar, velut recta procurrentem considero, atque a flexibus praescindo, ac iuxta tabulam geographicam Auctoris, in quam flumen istud coniecit, ei tribuo tantum 500. milliaria marina, seu nautica, (quorum nempe 20. componunt gradum, et quodlibet est 2850. hexapedarum, seu 17100. pedum, retenta superiore gradus quantitate:) igitur longitudo fluvii Maragnon mihi est 8550000. pedum, et lapsus totalis quantitas a termino unde navigabilis existit 235. hexapedarum, seu 1410. pedum. quare, si hi pedes per assumptam longitudinem fluvii iusta quidem minorem distribuantur aequaliter, 6063. pedibus neglecta minutia lapsus unius pedis conveniet. Et ex relatione Domini *Bouguer*, lib. de fig. terrae, Sect. 3. §. 7. habetur, fluvium Smaragdorum, qui a montanis Cordilleras in mare Pacificum devolvitur, (cum Maragnon orientem versus, et in Aethiopicum descendat,) ea esse praeditum declivitate, ut in uno quidem loco 483. hexap. responderit quantitas lapsus pedum trium 4. digitorum, et in alio hexap. 540, seu recta progrediendo 370. quantitas lapsus 3. pedum 11. digitorum; quae quantitates libella investigatae fuerunt.

Velo-

Velocitas in loco ultimo erat ea, qua 20. hexapedae tempore 21. minuti secundi percurruntur. Recte igitur Clar. *Vallerius*, in sua Hydrologia, amnibus in 1000. pedes, lapsus pedem unum ad summum 3. tribuit: torrentibus vero, (ita rapidiora flumina vocat,) in mille pedes, lapsus pedes quatuor aut sex adsignat. Et haec de fluviorum declivitatibus, libellando potissimum deprehensis, sufficiant.

Ad aestum marinum, quatenus fluvios adficit, gradum facimus. Ex intumescentia, quam fluvii ob aestum maris patiuntur, etiam de fluviorum declivitate coniectura fieri potest. Itaque secundum relationem *Hirii*, in Praefat. ad Tract. D. Mariotte de motu aquarum, Sequana aestum sentit usque ad pontem Arcus (Pont de l'Arche), ubi Evre fluvius eum ingreditur; licet Pater noster *Ricciolus* Geograph. reform. lib. 10. cap. 7. dicat, tantum Rothomagum usque aestum sentiri. Sunt autem a Portu gratiae usque ad pontem praedictum 18. circiter leucae Francicae communes, iuxta Mappam Galliae ante nominatam; et *Ricciolus* cap. 4. lib. cit. aestus altitudinem in ore Sequanae, et in ripa boreali, dicit esse 12. pedum, in australi 18. Assumamus 18. pedes distribuendos in 18. leucas, et conveniret uni leucae lapsus unius pedis. Ricciolus autem hic pedibus a Romano antiquo non multum diversis utitur. Thamesis in Anglia aestum sentit ad 50. vel 60. milliaria Bononiensia pedum 5000, qui aestus in ore Thamesis est 30. pedum. Quodsi declivitas in singulos centenos pedes sit saltem pedis dimidii, ut vult Clar. Kühnius, esset declivitas Thamesis per 50. milliaria Bononiensia 1250. pedum; et tot quoque pedum in ostiis Thamesis aestum esse oporteret, quo in distantia 50. milliarium adhuc sentiatur. In Tago ultra 4. leucas aestus procurrit, qui est ad oram Lusitanicam 18. pedum; itaque posita leuca aequali 10000. pedibus, erit pedibus 2222. danda quantitas lapsus unius pedis. In Albi mare germanicum petente aestus 24. milliaribus supra Hamburgum percipitur. Quare, quam modica sit flumen istud declivitate, per se patet; tametsi sta-

 tuamus,

tuamus, aeſtum in oſtio Albis ad 20. pedum altitudinem attolli. Scaldis ultra 20. milliaria aeſtus tempore intumeſcit, qui aeſtus ad oram Belgicam eſt 15, 18, aut 20. pedum. In flumine Sancti Laurentii, in longitudinem per 400. milliaria maris fluxus aſcendit; et licet in oſtiis ſumatur eſſe 60. pedum, qualis eſt in freto Magellanico, tamen, quam exiguus ſit huius fluminis lapſus, manifeſte cognoſcitur. Magnitudines et menſuras hic allegatas, ex Riccioli ſaepe citati Geographia reformata exſcripſi. Ex hucusque dictis ſatis ſuperque colligitur, quam ſit fluviorum declivitas in 100. pedum longitudinem multo minor, ac eſt pes dimidius, quamque in diverſis fluviis ea diverſa ſit. Dixi, diverſorum fluviorum diverſos eſſe lapſus: meo iudicio, ex fluviis communes origines habentibus ille declivitate maiore praeditus eſt, cuius origo ab oſtiis ſuis, per quae ſeſe in mare exonerat, minore intervallo diſtat, ſi, quod bene notandum, recta uterque ad mare decurrat. Sit DF linea horizontalis vera, quae tranſiens per oſtia D unius fluvii, tranſeat etiam per F fluvii alterius oſtia. Sit origo fluviorum communis A, et diſtantia AD oſtii D a communi latice minor, quam diſtantia oſtii F. Per A ducatur linea horizontalis BC, quae erit parallela ad DF: ſint BD, AE, FC, ad DF perpendiculares; erunt ergo inter ſe aequales, ſeu lapſus integri fluviorum aequales. At, ſi AG fiat aequalis ipſi AH, et ex G et H in BC ducantur normales GK, HL, erit GK maior, quam HL, hoc eſt lapſus in priore fluvio maior, quam in poſteriore, ſi eadem utrobique longitudo oſtia verſus recta excurrens aſſumatur. Et vero narrat Clar. *Bouguer*, lib. de fig. terrae, omnes fere fluvios ex Andibus, ſeu montanis tractibus Cordilleras dictis, in mare Pacificum defluentes, inſtar torrentium magno impetu ferri, excepto fluvio Quajaquil, qui non procul ab oſtiis ſuis tardiore curſu incedat, quod alveus eius montanis praedictis fere parallelus eſt. Notum vero eſt, ex altera parte montanorum Cordilleras, quae nempe orientem reſpicit, etiam quidem fluvios oriri, qui

in

in mare defluant, ſed nequaquam inſtar torrentium, quia cum oſtia eorum a laticibus ingenti diſtent intervallo, declivitate minore gaudeant quam illi, qui in mare Pacificum deſcendunt. Non tamen ſequitur, ex fluviis eandem etiam habentibus originem, illum ſemper velociorem eſſe, cuius oſtia latici ſunt viciniora. Nam ſi multos habeat flexus, curſumque anguiformem, fieri poterit, ut aliis etiam, quorum quidem oſtia a latice communi abeunt magis, ſed quae a fluviis recta petuntur, lentius moveatur. Clar. Kühnius, inter media detegendi genuinam figuram terrae, optimum cenſet libellationes, quibus lapſus fluminum communem originem, ſeu latices eiusdem altitudinis, aut notae ſpectata altitudine differentiae habentes, inveſtigantur. Sed cum fluminis eiusdem lapſus ſecundum totam fluminis longitudinem unus idemque non ſit, vel libellationes ſecundum totam fluvii longitudinem inſtitui deberent; vel in locis maximi lapſus, minimique, ut inde medius lapſus fluvii eruatur toti longitudini applicandus. Verum, primum perdifficile eſt, atque nonnunquam ob locorum conſtitutionem impoſſibile: alterum incertum eſt, et dubium, ex quo erroneus etiam totius fluvii lapſus conſequi poteſt, et communiter conſequeretur, uti oſtenſum eſt.

Eſt et alia non contemnenda obſervatio, quae repugnare videtur illi inſigniter inaequali telluris ſuperficiei, et marium ſupra maria elevationi, videlicet altitudo mercurii in Barometro. Notum enim eſt, et innumeris obſervationibus in Germania, Italia, Gallia, Anglia, Suecia, imo et America captis, comprobatum, altitudinem columnae mercurialis in Barometro imminui, ſi illud in locum altiorem transferatur: igitur, ſi tam inſignis eſſet etiam locorum, (quae non in vertice montis alicuius, ſed in vallibus reſpective, et campeſtri ſolo iacent,) ſupra horizontalem ſuperficiem per unum aliquem locorum ductam elevationis differentia, eum utique manifeſtaret Barometrum, eſſentque mediae eius altitudines inſigniter etiam diverſae, imo tota ſcalae quantitate differentes, quod tamen experientiae contrarium

trarium eſt. Afferam hoc loco aliquas mediarum mercurii Barometrici altitudinum obſervationes, quo veritas afferti mei ſtabiliatur. Marchio *Poleni* Paduae ſtatuit mediam altitudinem Barometri eſſe 29, 70, haec media altitudo deducta eſt ex obſervationibus per ſex continuos annos inſtitutis, quae habentur in Transact. Philoſ. Anni 1731. Gallicae verſionis a D. *Brémond* factae. Notandum, me hic uti digitis Anglicanis, et digiti partibus decimalibus. Eſt autem pes Londinenſis ad Pariſienſem ut 15. ad 16. quam proxime. Pariſiis media altitudo eſt 27. et ½ digit. Pariſ. adeoque Londinenſium 29, 33. Cowentrii, in Comitatu Warwickenſi in Anglia, erat Anno 1707. et Anno 170⅞. maxima altitudo mercurii 29, 85. quae collecta eſt ex obſervatione 8. menſium. Per eosdem menſes factis obſervationibus in Upminſter, maxima altitudo deprehenſa eſt 29. 84: minima in priori loco 29. 05, in ſecundo 29. 01; igitur media Cowentrii 29. 45, in Ulpminſter 29. 425. Media altitudo Barometri Halae Saxonum eſt fere 28. 4; colligitur ex obſervationibus 9. menſium. Wittembergae 29.45: Neapoli 29.65: Upſalae in Suecia 29. 325: Bygdeae 29. 50. fere. Hae mediae mercurii Barometrici altitudines deductae ſunt ex mediis altitudinibus in ſingulos menſes annotatis, quae habentur in Transactionibus Philoſ. Anni 1734. In iisdem Transactionibus, eodem anno, refertur, Torneae eſſe mediam elevationem mercurii 29. 57, latitudo loci eſt 65°, 50′. In Transact. Anni 1733. adducuntur obſervationes, ex quibus concluditur, mediam altitudinem Barometri Petroburgi annis 1724, et 25. fuiſſe 29. 44 circiter. Clar. *Krafft*, ut habetur in Commentariis Academiae Imperialis, quae Petropoli eſt, ex obſervationibus 12. annorum a ſe habitis in eadem urbe, et in elevatione 30. pedum Londinenſium ſupra ſuperficiem maris Baltici, didicit altitudinem mediam eſſe 29. 43. In Aſtracan, ad mare Caſpium, media altitudo mercurii etiam circiter 29. digitos Londinenſes comprehendit. Vide Hiſtoire de l'Académie Royale des Sciences et belles Lettres de

Berlin

Berlin Année 1746. In Francia, ad littora maris, media altitudo mercurii fere 28. digitos Parisienses efficit, ut passim in Historia Acad. Reg. Scient. refertur. Et in Historia huius Academiae Anni 1744. narratur, Dominum Boûguer ad littus maris Pacifici in Peruvia altitudinem mercurii reperisse 28. digitorum, et unius lineae pedis regii, seu 30. circiter digitorum Londinensium, eumque praeterea observasse, scalam variationis tres lineas non excedere. Pragae, ex observationibus a me 1752. aliisque habitis, media mercurii altitudo est 27. digitorum, 5. fere linearum Paris. seu 29. 133. Londinens. Et quamvis libenter admittam Clar. Kühnio, non posse in locis valde dissitis, et seiunctis, ex altitudine Barometrica tuto colligi loci unius supra alterum elevationem, seu certum numerum hexapedarum, ex. gr. quo unius loci altitudo alia alterius maior est: tamen istud etiam verissimum est, si locus unus esset supra alterum insigniter, ex. gr. quadrante, vel dimidio milliari etc. elevatus, id per notabilem differentiam altitudinum mercurialium proditum iri. D. *le Monnier*, in Notis ad gallicam versionem Lectiorum Physicae experimentalis Clar. *Cotes*, ait, Dominum Cassini de Thury in vertice montis Puy de Domme invenisse altitudinem mercurii 23. digitorum 9. et dimidiae lineae, seu fere 25. 3. Londinens. Et in monte Canigou, uno ex Pyrenaeis, 20. digitorum, duarum et dimidiae lineae, seu 21. 5. Londin. circiter. Certe hae altitudines minores sunt omnibus aliis hic recensitis. Dici quidem potest, D. Cassini experimentum fecisse, cum aeris densitas esset vehementer immutata, seu mercurius in maxima depressione: verum demus rem ita se habere, ergo ut habeatur in his montibus media altitudo mercurii, addenda erit quantitas unius digiti, (cum tota variationis scala in zona temperata ut plurimum sit duorum digitorum, imo in montibus excelsis minor,) et tamen haec addita altitudo mercurialis in montibus nominatis ad altitudines medias aliorum locorum hic notatas necdum pertingit. Idem D. Cassini geometrice altitudinem montis

Puy de Domme ſupra hortum R.R. P.P. Minimorum inquirens, reperit eſſe 3360. pedum regiorum: in horto R.R. P.P. Minimorum columnae mercurialis longitudo erat 27. digitorum ½ lineae. Si ponamus gradus terreſtris magnitudinem mediam 57010. hexapedarum, decimae quintae parti gradus, ſeu ſic dicto milliari germanico, convenient pedes regii 22804, ſeu numero rotundo 22800, et calculis ſubductis patebit, verticem montis Puy de Domme non eſſe integro quadrante milliaris altiorem horto praedicto, et tamen inter altitudines Barometri utriusque loci inſigne eſt diſcrimen. Vertex montis Canigou ſupra mare, (ad cuius littus mercurii altitudo erat 28. digitorum pedis Pariſ. dimidiae lineae,) attollitur 8646. pedibus regiis, ſeu plus quam tertia milliaris parte; et differentia altitudinum mercurialium ſunt 8. digiti 1. linea. Hoc a mercurii Barometrici altitudine petitum argumentum Clar. Kühnii ſententiae oppoſitum fuerat ab Auctore dubiorum Hydraulicorum et aerometricorum, ſed obiter, nec eo, quod habet, robore explicatum. Reſpondit Clar. Kühnius in Actis Erudit. ſupra cit. ſub litera C. Atmoſphaeram ſuperne nequaquam ad libellam componi; tantae itaque fere altitudinis columnam atmoſphaericam conſiſtere ſuper loco elevatiori in ſuperficie telluris conſtituto, quantae ſuper humiliori, ac minus elevato: aerem vero loco humiliori eſſe craſſiorem, et gravioribus vaporibus impletum, ac radiis ſolis etiam reflexis feriri, adeoque valde elaſticum effici. In loco altiori non ita: adeoque evenire, ut mercurius barometricus humiliori in loco prematur aeque, atque in elevatiori. Verum non ſatis perſpicio, qui radii ſolis reflexi in columna humiliori atmoſphaerae ad maiorem eius preſſionem conferre quidquam poſſint, cum elaſticitatem eius quidem incaleſcere incipientis augeant, quam tamen, quia ſuperne ſaltem concluſa columna non eſt, non in preſſionem, ſed ſui dilatationem, et occupandum maius ſpatium, impendit. Dein demus haec ita eſſe, uti vult Clar. Kühnius, erit hoc ipſo preſſio atmoſphaerae

in

in tractibus telluris humilioribus insigniter maior, quam in altioribus, quod iuxta Clar. Kühnium atmosphaera incumbens locis terraqueis minus elevatis densior spissiorque est, crassisque scatet vaporibus, atque etiam maiore elatere, quo in mercurium barometricum agat, ob radios solis reflexos, gaudet; quare vel ex ipso ratiocinio Clar. Viri sequitur, esse altitudinem mercurii in tractibus illis, quos tam insigniter diversae elevationis esse statuit, pariter insigniter diversam, multoque magis differre debere, quam observata sit, reque ipsa differat in montibus altissimis, et profundissimis vallibus. Verum enim vero, demus etiam illationem Clar. Kühnii, videlicet, tractus elevatos illos premi tanto fere pondere atmosphaerico, quanto depressos et humiles, ex praemissis incertissimis inferri recte: tamen ex ea sequetur, in omnibus montibus, et vallibus saltem montibus vicinis, altitudinis barometricae discrimen nullum esse debere, vel saltem perquam exiguum, quod certe est contra communem experientiam. Denique si dicat Clar. Vir se locutum esse non de montibus exigue diffusis, sed spatiosis terrae tractibus; oppono sequentes observationes. Clar. *Bouguer* in Histor. Acad. reg. Scient. Anni 1744. refert, vallem, quae duabus seriebus montium Cordilleras dictorum includitur, et Provinciam Quito comprehendit, in latitudine ad 6. leucas circiter extendi, et in longitudine a Borea ad Austrum ultra leucas 100. Cum series hae montium praealtorum sibi valde vicinae sint, efficitur, ut vallis, quam concludunt, supra maris Pacifici superficiem plurimum elevata sit; quae elevatio etiam inde manifeste elucet, quod vertices montium Cordilleras minus eminent supra vallem hanc, quam supra marina littora. Hac itaque in valle, (quae solum vallis est respectu culminum altissimorum montium eam utrinque stipantium,) et nominatim in urbe Provinciae Quitensis principe eiusdem nominis, mercurius ultra 20. digitos una solum linea ascendit, cum in littore maris Pacifici, ut iam alias dixi, octavum et vigesimum teneat altitudinis digitum. In ver-

tice, (quod hic adiicere lubet,) Pichinchae adſiti montis, mercurius una linea infra 16. digitum haeſit. Itaque ſi alii etiam tractus tam elevata gauderent ſuperficie, imo longius elata, ut vult Clar. Kühnius, Barometrum elevationem iſtam utique ſua depresſione, eaque inſigni, manifeſtam faceret. Neque dici poteſt, his tractibus imminentem atmoſphaeram cum proportione altiorem eſſe atmoſphaera tractibus humilioribus incumbente. Quaero enim, cur non etiam altior ſit atmoſphaera valli memoratae, ſeu Provinciae Quitenſi incumbens? Eſt autem iuxta Domini Bouguer dimenſiones geometricas, quae libro de fig. terrae Sec. 3tia §. 7mo habentur, altitudo magni fori urbis Quito ſupra mare Pacificum 1466. hexapedarum, verticis autem Pichinchae 2476. et ſumendo, ut ante pro longitudine milliaris germanici 3800. hexaped. 4. ped. Quito paulo ultra tertiam partem milliaris germanici altior eſt littoribus maris, ſeu Oceani ſuperficie. Quid ſi, ut vult Clar. Kühnius, regio aliqua milliari integro, ſemialtero, aut duobus ſupra aliam, aut mare adiacens, elevata eſſet, quantum in ea mercurium deprimi oporteret? Veriſimile autem eſt, Provinciam Quito omnium toto orbe terrarum eſſe altisſimam, ſeu loco editisſimo collocatam. Praeterea Pariſienſes Academici iam alias laudati deprehendere, in America ſub zona torrida aeris atmoſphaerici denſitates decreſcere in proportione geometrica, dum locorum altitudines augentur in Arithmetica. Regulam etiam, inveniendi differentiam altitudinum locorum ex differentia altitudinum mercurii in Barometro, quae ſuppoſitis proportionibus his datur, experimentis conformem invenerunt. Quae, qua ratione cum opinione Clar. Kühnii conciliari posſint, non video, cum iuxta hunc, ex altitudine mercurii in Barometro, nil de elevatione locorum ſtatui posſit.

Denique, cum doctisſimus hic Vir mare Pacificum, ut ſupra dictum fuit, multo altius Aethiopico ſtatuat, totum fretum Magellanicum, Oceanum Aethiopicum verſus, ipſi declive eſt. Refert autem Pater *Ricciolus* Geograph. reform.

lib. I.

lib. 1. cap. 15. fluxum ab Aethiopico Oceano in hoc freto ad occasum procedere usque ad 70. leucas, at a Pacifico tantum per 30. leucas circiter, quod aegre cohaeret cum illa totius freti inclinatione Aethiopicum Oceanum versus. Mare etiam Mediterraneum in Oceanum Atlanticum propendere vult Kühnius, cum tamen Pater *de Chales* lib. 1. de Navig. Prop. 5. dicat, Oceanum in Mediterraneum influere, legendo littus Barbariae, ita, ut in toto illo tractu mare feratur in Orientem, secundum littorum extensionem: post Tunetanum sinum, seu Promontorium bonum, descendere versus insulam Gerbe; exinde ad Tripolim Barbariae; tum ad Aegyptum ferri; reflecti dein in septentrionem; tandem inter Cyprum, et Caramaniam, Occidentem petere, sicut et in Italiae oris, et ad Provinciae et Hispaniae littora. Non video autem, qui aquae maris Mediterranei, saltem illae, quae Africam alluunt, in ortum decurrere possint, si Mediterraneum in occasum declive est, et quidem ea declivitate, quae insignis saltem in longiori intervallo existat. Denique philosophico vaticinio Clar. Kühnii, quod in solutione sua dubiorum proposuit, fore videlicet, ut gradus ad aequatorem, tum per Academicos Paris. mensurandi, aequales gradui ad Polum deprehendantur, eventus non respondit; siquidem illi gradus hoc notabiliter minores inventi fuerunt. Statuit praeterea, urbem Quito ostiis fluvii Amazonum 6. milliaribus germanicis altiorem esse: quod, qua ratione cum veritate cohaereat, ex dictis superius diiudicet Lector.

MAIESTAS HIERARCHIAE ECCLESIASTICAE, A summi Pontificis regali sacerdotio, Cardinalium eminentissima purpura, Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum sacratiore principatu, Praesulum minorum sublimi dignitate, Ecclesiarum Cathedralium illustrissimo splendore, Collegiatarum insigni decore, Parochialium pietate et zelo, totiusque venerabilis cleri

ri pulcherrimo ordine ac disciplina commendata, ex dogmatibus theologicis, sacris canonum institutis, historia ecclesiastica et civili proposita, Auctore R. P. ADRIANO DAUDE, S.I.S.S. Theologiae Doctore, et in celeberrima Universitate Wirceburgensi Historiarum Professore Publ. et Ord. PARS I.

Alph. 2. plag. 5. in 4.

Maiestas Hierarchiae Ecclesiasticae, a cleri regularis antiquissimo instituto, coenobitarum altissima contemplatione, ordinum monasticorum et militarium piissima actione, asceteriorum, vitam mixtam profitentium, ordinatissima charitate, nec non religionum votiva sanctimonia, et admirabili varietate exornata, aucta, et propagata, per lucubrationem historico-theologicam commonstrata, Auctore R. P. ADRIANO DAUDE, S. I. — PARS II.

Alph. 2. in 4.

Bambergae, apud Martin. Göbhardt, 1760.

Ex ipso libri titulo, satis lepido, et cui vix alium similem invenias, Auctoris cum ingenium, argutiis et acuminibus consectandis maxime intentum, tum tumidum, maculosum, fucatum, et quibuscunque pigmentis oblitum scribendi genus, apparere arbitramur. Atque haec ludum iocumque esse dixeris, si ipsum librum evolvas, si assiduum allegoriarum studium videas, si comparationes illas, tumido ore prolatas, observes, si undique flosculos e Patrum scriptis tanta copia collectos spectes, ut hic liber non immerito Anthologia quaedam Patristica adpellari possit. Proposuit sibi vero Auctor in scribendo hoc libro nihil aliud, quam ut sanctitatem Hierarchiae Pontificiae clarissime ostenderet. Inde, initio disputationis a pontifice capto, de cuiusvis Ecclesiae ordinis munere, potestate, digni-

dignitate, et ornamentis exponit. Ipse quidem *Daudius* A. 1755. diem extremum obiit, sed hunc librum, *ad Tagi usque littora, ubi care emitur, nec sine admiratione legitur, celebratissimum,* ut bibliopola nos in praefatione docet, iam A. 45. et 46. huius Seculi, cum Theologiae Doctor crearetur, edidit. Bibliopola vero, ne rempublicam ecclesiasticam, ut ait, et litterariam, utilissimo opere fraudaret, atque ut votis inquirentium satisfaceret, dignum eum iudicavit quem iterum typis committeret.

De instituti ratione Auctor in praefatione ad priorem partem disputat, ibique suam de origine et vera indole Hierarchiae ecclesiasticae sententiam proponit. Singularis, ait, et maxima Dei sapientia et maiestas ex aptissimo rerum creatarum ordine elucet, eademque in imperiis monarchicis et Hierarchia caelesti conspicitur. Haec Hierarchia perfecta est, omnibusque numeris absoluta. Umbram tamen illius spectamus in Synagoga, sed perfectam imaginem in Ecclesia Christiana, quae multis nominibus Synagogam, naturam, et politica imperia antecellit. *Nam ordine naturae eo praestantior est, quo sublimior gratia, quam natura. Neque politicus status hic in comparationem, aut in prototypon Ecclesiae huius venire ausit, eo quod regale sacerdotium, regnis mundi venerabilius, tantum omni dynastarum dignitati antestet, quantum anima corpori, caelestia terrenis. Salomonis equidem regis gloriam, sapientiam, et habitacula servorum, et maxime ministrantium ordines, cum regina Saba olim intueretur, ita protinus dicitur defixa stupore haesisse, ut ultra spiritum non haberet. Quot vero Reges, regiosque legatos ex ultimis orbis oris, Abyssina, Iaponia, Aethiopia, aliisque barbaris nationibus, in unam summam cogere necesse foret, si eorum numerum inire vellemus, qui Romam, hasque remotissimas terras Europae, per longinqua maria et sexcenta pericula obivere,* etc. Denique admirationem licet habeat regius thronus ob gemmas et aurum, terrenarum tamen rerum administrationem reges sortitos esse. Verum sacerdotes de caelestibus negotiis pronunciare. Quare in montibus aeternis,

nis, ſive inter angelos, altius quoddam exemplar, ac ſublimiorem formam inſpiciendam eſſe, ad cuius normam Eccleſia inſtituta. Atque hoc exemplar e Dionyſio Areopagita, et Guilielmo Pariſienſi, quorum allegoriis valde delectari A. videtur, proponit. Haec de praefatione, e qua unum addamus. Pag. 10. ubi id agit, ut Romanam Hierarchiam minime ad civilis imperii formam compoſitam eſſe oſtendat, aliquo modo Ill. *Maſcovii* noſtri aſſenſum prae ſe ferre videtur. *Quemadmodum*, ſcribit, *et quoad formam regimen Eccleſiaſticum multum a civili differre fatetur Cl. Maſcovius, in erudita differt.* de Primatibus et metropolitanis, *fol.* 3. *ubi provocat ad Antonium Pagium in Critica Annalium Baronii circa A.* 745. *n.* 5. Nonne vero, aliam eſſe *Maſcovii*, aliam *Daudii* mentem, luce meridiana clarius eſt? Imitatus eſt Auctor hic, ut in aliis locis, ſodales ſuos, maximam qui operam in argumentis *κατ' ἄνθρωπον*, ut vocant, inveniendis collocant. Nunc propius accedamus.

Prima pars in novem capita diviſa eſt, quorum *primum, Hierarchia Eccleſiae* inſcriptum, in tres Sectiones diſpeſcitur. In prima de Hierarchiae eiusque capitis inſtitutione exponitur. Chriſtum praecipuum et primum Eccleſiae caput viſibile fuiſſe: huic e terris ad patrem aſcendenti vicarium aliquem ſuccedere debuiſſe: vicariam hanc poteſtatem non datam eſſe magiſtratui civili: his *commiſſum gladium iuſtitiae, non illud mandatum, ut ad altiorem finem beatitudinis populum deducerent, Sanctuarium contingerent, in clavem ſcientiae ac ſacrum thuribulum involarent, et controverſiarum fidei diribitores eſſent.* Neque hunc primatum omnes Apoſtolos a Chriſto accepiſſe, ſed unum Petrum, qui Pontificium omni ex parte impleviſſet. Huic ſucceſſiſſe Epiſcopum Romanum, non illum, qui ſubſtitutus, ſed qui electus fuiſſet. Electionem ab initiis Eccleſiae penes Clerum et populum, licet diverſa ratione, fuiſſe: a quarto usque ad octavum ſeculum ſe Pontificum huic electioni Imperatores immiſcuiſſe: a ſeculo octavo varias electio-

electionum viciſſitudines numerari: tandem hoc ius totum ad Cardinalium Collegium perveniſſe. Varia hic adduntur de conſecratione vel coronatione, atque ſede Pontificis, omnia vero dudum notis, dudum excuſſis argumentis ſuffulciuntur: v. g. *Imperator bonus eſt intra, non ſupra eccleſiam; ut in ordine naturali innumerabiles radii ad unum ſolem, in corpore membra ad unum caput, et in optime conſtituta republica complures gentes ad unum duntaxat Monarcham, reſpiciunt: ita neceſſe eſt, ut fideles ad Hierarcham unum pertineant. Ubi unitas, ibi perfectio, reliqui numeri perfectionem non habent, ſed diviſionem. Petrum Evangeliſtae primum appellant, pro Petro Chriſtus oravit, pro Petro didrachma ſolvit*, etc. Centies haec dicta, ſed et centies refutata ſunt. Sectio ſecunda proponit Hierarchiae ac capitis Eccleſiae ſacram maieſtatem, ſive eminens imperium. Duplicem eſſe verbi maieſtatis vim, illudque et perſonae, cui inſit, dignitatem virtutemque, et eminens ſummumque imperium indicare: utrumque de Pontifice et Eccleſia dici poſſe. Qua occaſione Auctor ſatis lepidam comparationem pontificis cum capite humano inſtituit, et quatuor huius virtutes, conformitatem, ordinem, ſenſuum plenitudinem, et vim in omnia membra influentem, optime illi convenire docet, ſimulque totus in laudes Pontificis effunditur. Maxima omnium virtutum prototypa in ſede apoſtolica effulſiſſe: ipſum Chriſtum non ſine prodigio ſaepius denotaſſe eos, qui digniores prae ceteris fuiſſent, ut, velut pontifices impolluti et a peccatoribus ſegregati, Papali ſolio imponerentur: virtutem et ſcientiam eſſe duplicem oculum in ſupremo hoc capite Eccleſiae: Sedis Apoſtolicae complures Praeſules numerari, qui ſapientiae oracula fuiſſent, qui, velut ſol, in templo Dei aeternum refulgerent. Hic Noſter in laudes Benedicti XIV. excurrit, atque paucis interiectis ad eos pergit, qui umbram potius, quam radios ſedi Apoſtolicae offuderint. Verum non mirandum eſſe, inter Pontifices 250. paucos malae notae fuiſſe, cum minor duodecim Apoſtolorum numerus ſacrilegum proditorem

rem comprehenderit. Tranſit deinde ad primatum Petri, illumque tam certum atque extra omnem dubitationem poſitum eſſe putat, ut neque Lutheranae, neque Reformatae Eccleſiae cives, illum negare audeant. Quorum teſtimoniis quomodo utatur, age uno exemplo oſtendamus Grotii, qui, quoniam de ſcripta a Petro Romae epiſtola dicit: *de Babylone diſſident veteres et novi interpretes; veteres Romam interpretantur, ubi Petrum fuiſſe nemo verus Chriſtianus dubitabit;* laudatur ab Auctore, quaſi teſtis, Petrum romanam Eccleſiam erexiſſe. Refutatur porro Calvinus, aliique, quibus haec maieſtas minus probetur, multaque de poteſtate Pontificis diſputantur. Hic repetitur illud decantatum Bernardi: *tu quis es? tu Sacerdos Magnus, Pontifex ſummus, Princeps Epiſcoporum,* etc. Nullibi locorum terra marique inveniri Chriſtianum, qui a Pontificis imperio eximatur: Petrum a Chriſto totius orbis terrarum imperium accepiſſe: ſolum Pontificem pleno iure homines anathemate, ſacramento, aut nuncupatis votis obſtrictos reſolvere aut illigare: ſolum indulgentias poenasve diſpenſare. Pontificis eſſe evellere ubique et plantare, quemcunque Chriſtianum de quocunque crimine corripere: penes hunc eſſe diſpoſitionem totius eccleſiaſtici ordinis, beneficiorum ac dignitatum: ſolum pontificem patres ex toto orbe convocare, convocatis, tanquam iudicem, praeeſſe, iudicata confirmare, atque ius Canonizationis Sanctorum habere. Denique multis oſtendere conatur, quantum Pontificis imperium monarcharum maieſtatem et dominatum antecellat. In tertia Sectione agitur de regali ſacerdotio pontificis, ſive regia magnificentia. Producuntur teſtimonia Ieremiae I, 10. et Ieſaiae LX. quibus ſplendorem et magnificentiam Eccleſiae indicari Noſter docet. Praecipua vero ornamenta Pontificiae dignitatis coronam triplicem, unctionem, et coronationem regum, Pallium, et Patrimonium Petri eſſe, oſtendit. Atque haec Auctor, ut eſt valde acutus, iam ab Eſaia cap. LXI. *et darem eis coronam pro cinere* etc. praedicta eſſe monet. Coronam Pontificis indi-

cari

cari Exod. XXXVIII, 36. coronam summi sacerdotis in Vet. Test. simillimam esse coronae Pontificis; atque licet ante Nicolaum I. nullum coronationis exemplum exstaret, antiquissimum tamen hunc morem esse. Unctionem regum et inaugurationem e veteris regum Iudae initiatorum ritu acceptam: primum inter eos, quos antistites supremi coronassent, referri Iustinum Orientis Imperatorem: hac coronatione a Graecis totum imperium in Carolum M. translatum fuisse; neque tamen inde sententiam Gudelini confirmari, Carolum, illiusque successores, imperium in beneficium clientelare, aut feudum a Pontificibus accepisse: hac tamen coronatione non meram aliquam ceremoniam, sed vere publicam et solennem imperatoriae dignitatis et maiestatis collationem factam esse. Hac coronatione constitui Imperatores Advocatos et Defensores fidei, atque ius provincias imperio avulsas recuperandi accipere. Hic complura adducuntur laudanturque exempla regum et principum, maxima qui veneratione Pontificem prosecuti sint. *Longum esset,* ait Auctor, *enarrare, quoties et quot Augusti vertices summorum Ecclesiae Sacerdotum pedibus acclines affuderint sese, ac venerabundi prostraverint, tum ut affectum suum testarentur in Christi Vicarium, tum ut signum aliquod subiectionis ac obedientiae erga Ecclesiae caput ederent, ac publice profiterentur, quanti eam facerent doctrinam, quam a magistra sua Ecclesia Romana didicissent.* Finem huic Sectioni imponit satis copiosa enumeratio largitionum, quibus Imperatores et reges pontificiam potestatem auxerunt, variorumque opinionibus de Constantini M. donatione excussis, sequitur catalogus regnorum provinciarumque romanae Ecclesiae donatarum. Caput *secundum* inscriptum est: *sacrum Collegium eminentissimorum Cardinalium.* Magnam esse Cardinalium ordinis in Hierarchia dignitatem: de eorum origine atque auctore varias esse variorum sententias: nomen Cardinalatus non tantum in romana, sed in aliis quoque Ecclesiis olim viguisse. Tum de modo creandi

 Cardi-

Cardinales, de numero eorum, de multiplici officio, de congregationibus, quibus Pontificem in gravissimis negotiis adiuvant, de dotibus eorum qui eliguntur, de honoribus, praerogativis, et insignibus differitur, addito catalogo Cardinalium, qui A. 1744. vixerunt. Cardinales a Nostro appellantur *cardines et clarissima Ecclesiae lumina, templi Dei bases, firmamentum et columina Christianae reipublicae, sal terrae, lucernae positae super candelabrum, magistri Ecclesiasticae disciplinae, pacis interpretes inter dissidentes orbis vertices* etc. Laudandi enim *Daudius* neque modum, neque finem novit. Ubique ampullae, ubique declamatoria vox, quae neque sanioribus pontificiae doctrinae cultoribus semper probabitur. Caput *tertium* continet *Latinos et Graecos Patriarchas.* Inquiritur origo Patriarchici nominis; officium Patriarcharum, unde, et a quo acceptum sit, exponitur; numerus Patriarchalium Ecclesiarum, Patriarchatus Romanus, Alexandrinae Ecclesiae ortus, progressus, interitus, variae vicissitudines in Patriarcharum Antiochenorum successione, et Constantinopolitani Patriarchatus primordia, ac controversiae cum Romana sede, commemorantur. Tum de Hierosolymitanae Ecclesiae fatis, de caussis, cur pro Orientalibus Ecclesiis Roma adhuc Patriarchas designet, de aliis quibusdam Patriarchatibus Orientis et Occidentis, ut Aquileiensi, Gradensi, et Veneto, de iurisdictione Patriarcharum, agitur. Subiungitur catalogus Patriarcharum, qui A. 1744. vixerunt. Caput *quartum, Primates, Metropolitae,* sive *Archi-Episcopi* inscriptum, in duas sectiones dispescitur. Prior complectitur Primatum ac Archiepiscoporum institutionem, officium, et potestatem: altera Archiepiscopos et Archiepiscopatus Germaniae. Inde Auctor de prima institutione Metropoleon ecclesiasticarum Germaniae, de origine et iurisdictione Archiepiscopatus Moguntini, de Archiepiscopis Trevirensibus, de Coloniensium Metropolitarum potestate ac praerogativis, de Salisburgensium Archiepiscoporum fundatione, de Archiepisco-

episcopatu Pragensi, Viennensi, Vesontino, Magdeburgensi, et Bremensi, disputat. Fortasse, quae de originibus antiquissimorum Archiepiscopatuum dicuntur, non ita demonstrata sunt, quin multa contra dici possint. Caput *quintum, Hierarchicus Principatus Episcoporum,* in tres sectiones dividitur, quarum in prima de institutione, officio, ac dignitate Episcopali agitur. Originem Episcoporum Noster derivat e Psalmo Davidis, ubi de proditore Iuda dicitur: *Episcopatum eius accipiat alter.* Apostolos vero non solum Episcopos fuisse, sed totius orbis sacrum principatum obtinuisse, idem Davides testari videtur: *Pro patribus nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram.* Transit deinde A. ad Apostolorum successores, in quibus diversos gradus considerandos esse monet. *Nam in Petro tria sunt,* ait, *ratio Capitis, Apostolatus, Episcopatus, omnia sibi invicem accidentaria: duo in reliquis, Apostolatus et Episcopatus: Petrus, qua Caput, maior est Apostolis; qua Apostolus, par; qua Episcopus inferior: ut caput, quid non potest etiam in Apostolos? ut Apostolus, quid non valet, quod illi in omnes fideles? ut Episcopus, privato gregi ius dicit* etc. Porro iurisdictio, varia officia, honoresque praecipui Episcoporum, quibus hos Imperatores et reges prosecuti, enarrantur. Munera Episcopalia quinque commemorat: quod sint mediatores inter Deum et populum, quod singularibus ritibus et insignibus utantur, etiam in missarum celebratione, quod sint patres Sacerdotum et Ministrorum, adeoque superiores Presbyteris, quod doceant doctoresque instituant, quod ligandi ac solvendi potestatem in utroque foro habeant Episcopi, *qui, ut ex altiore loco lux per domum dispergitur, ita in primariis urbium sedibus toti dioecesi praelucent, super candelabrum Ecclesiae positi Antistites.* Haec omnia uberius ab Auctore explicantur, quam ut repeti possint. Adduntur deinceps varia de controversiis propter investituram exortis inter Caesares, reges, et Episcopos. Sectio altera de Episcopis Germaniae exponit. In tribus primis seculis obscuriora quaedam initia

fuiſſe Eccleſiarum per Germaniam: Carolum M. Epiſcopos nominaſſe quidem et dotaſſe, non vero vi iuris maieſtatici inſtituiſſe: ſub hoc Imperatore Epiſcopos cum Sacerdotio dominationem politicam coniunxiſſe: ſub Ludovico Pio plures Praeſulum in ordinem Principum cooptatos fuiſſe, ab Ottone M. multis ditionibus auctos, atque a reliquis etiam Imperatoribus principali dignitate ornatos. Non pauca hoc loco de Eccleſiarum Teutonicarum ſtatu, a Conſtantino M. usque ad Carolum M. de incrementis Eccleſiarum per Vindeliciam et Boioariam, de Epiſcopatibus a S. Bonifacio per Franconiam, Hasſiam, et Thuringiam erectis, de Epiſcopatuum per Saxoniam origine, diſputantur. In Sectione tertia Noſter praecipuos Epiſcopatus Germaniae recenſet. Caput *ſextum*, *Praeſules minores* ſiſtit, ſive Chorepiſcopos, Vicarios Epiſcopos, Abbates, Abbacomites, Archidiaconos, Archipresbyteros, aliosque Praepoſitos. Valde in hoc capite Auctor, ut ſemper, ingenio ſuo indulſit. *Sive*, ait, *Eccleſiam in muliere illa ſtellis coronata* (Apocal. XII, 1.) *agnoſcas, Praepoſiti minores quoque velut minora ſidera in hanc coronam veniunt: ſive Hierarchiam ipſi caelo tot ignibus colluſtrato compares, negare non poteris, quod et Praelati illae* ſtellae (Baruch. III.) *ſint*, *quae* dederunt lumen *(licet minus)* in cuſtodiis ſuis, et laetatae ſunt: vocatae ſunt, et dixerunt, adſumus; et luxerunt ei cum iucunditate, qui fecit illas. *Antiſtites hi, inquam, fuerunt, quorum officiis ac ſtudiis Eccleſia a vitiis et erroribus toties vindicata, toties defenſa fuit, dum* ſtellae iſtae manentes in ordine ſuo *Hierarchico*, et curſu ſuo adverſus Siſaram *(Eccleſiae hoſtes)* pugnaverunt, (Iudic. V.). Caput *ſeptimum*, *Sacroſanctae Eccleſiae* inſcriptum, tresque in ſectiones diviſum, Eccleſias Cathedrales, Collegiatas, et Parochiales proponit. Hic Auctor de Canonicis Capitularibus, Domicellaribus, Scholaſtico, Cantore, Sacriſta, Cuſtode, Parocho, differit. In capite *octavo* de Presbyteris et Miniſtris, Sacerdotibus, Diaconis, Hypodiaconis, Acolythis, Exorciſtis, Lectoribus, Oſtiariis, prima tonſura initiatis, agitur. Caput *ultimum*

mum inſcribitur *Apologia brevis Syſtematis noſtri de Maieſtate Hierarchiae Eccleſiaſticae.* Nam, quemadmodum olim Danieli religioni fuiſſet, Suſannae integritatem defendere, ſic ſe Hierarchiae Eccleſiaſticae, Sponſae Chriſti, defenſionem contra accuſationem *Puffendorfii*, cuius liber ſub Monzambani nomine innotuit, ſuſcepturum eſſe profitetur. Verum in paucis his plagulis, quas ſe *pauculis horis* conſcripſiſſe teſtatur, et quibus heroem illum totum proſternere minatur, nihil novi aut magni momenti invenire meminimus, praeter declamatorias figuras. Haec de Parte prima: veniamus ad alteram, in cuius argumento recenſendo ideo breviores erimus, quoniam ſatis lectores de Auctoris ingenio ex iis, quae modo commemoravimus, iudicare poſſe arbitramur.

In praefatione Noſter tabulam, diſſertationi praefixam, explicat et defendit, maieſtatem Hierarchiae Eccleſiaſticae cum horto comparat, reprehendit imaginem, quam *Boehmerus* Tomo III. *Iuris Eccleſ. Proteſt.* praefixit, et maxima commoda, e monaſtica diſciplina in rempublicam redundantia, extollit. Caput *primum* complectitur religioſorum ordinum prima initia, et colonias ſacras. Nos ſumma capitum argumenta adſcribimus. An religioſi ſtatus initia omni ex parte perfecta et abſoluta fuerint? quae in veteri lege adumbrationes religioſorum praeceſſerint? quae religioſi ſtatus fundamenta fuerint in primitiva Eccleſia? ſub quibus auctoribus ac coenobiarchis coli coeperit religio in Oriente? quando monaſtici ſtatus cultura in Occidentem? quando in Galliam, Africam, Hiſpaniam, Angliam, Germaniam, translata ſit? quaenam fuerint exercitia veterum monachorum? quis uſus operum manualium extiterit in monaſteriis? quando monaſticus ſtatus cum clericalibus officiis ſit coniunctus? quaenam domicilia olim religioſi incoluerint? quae fuerit olim veſtimentorum ac tonſurae ratio? quae dormitoria religioſorum? quae fuerint veterum monachorum leges ac regulae? qui fuerint adverſarii ſtatus monaſtici? Huc refertur ab Auctore primum

mum *coluber ille tortuosus, spiris suis Anachoretarum Paradisum pessumdare conans*, Ethnici, Saraceni, Donatistae, Circumcelliones, Ariani, Iconomachi, atque ipsi etiam Orthodoxi. Vetustiora omnia illa instituta esse lectoribus suis persuadere studet, quam alii credunt, aut veritatis ratio exigit, eorumque sanctitatem contra *Boehmerum*, aliosque, magno ardore et tumida oratione, argumentis e Conciliis Evangelicis repetitis, defendit. Quale, ut e multis unum eligamus, hoc videtur? *Iulianus, pro cassis minis in monachos vibratis, sandapilam a Christo, fabri filio, qua inglorium eius cadaver efferretur, accepit.* — *Carolus Magnus, a liberalitate! Regularibus praestita Maximus, munifica manu tot Ecclesias, tot monasteria posuit, ut, licet calami tacerent, lapides clamarent.* Caput *secundum* inscribitur *Hierarchicus ordo ad nexus Regularium.* Hic exponit Noster de dignitate et dotibus Abbatum, de iure eos eligendi, de confirmatione, benedictione, insignibus, officio. et iurisdictione eorundem, de Generalibus ordinum, de reliquis inferioribus Regularium praesidibus, de Professis, de voto obedientiae, de voto paupertatis, et proprietariorum poenis, de paupertate veterum Eremitarum, de controversiis propter paupertatem ortis, de clausura, de solemnitate votorum, de Apostatis, de Novitiis, Candidatis, Oblatis, Donatis, et Conversis. In Sectione altera huius capitis, iterum comparatione horti allata, Hierarchiae Regularis cum communi Ecclesiae systemate coniunctio demonstratur. Inde commemorantur complures, qui e religiosis ordinibus ad Pontificis, Cardinalis, Episcopi, aliasque dignitates pervenerint, multisque ornamenta et emolumenta enumerantur, quae universae Hierarchiae ecclesiasticae monastica instituta adferant. Caput *tertium* antiquitatem, originem, ac institutum regularium ordinum, qui vitam contemplativam sequuntur, proponit. Quare historia et instituta Canonicorum Regularium, ordinis S. Basilii, et Hieronymi, monachorum Antonii, Macarii, Pachomii, Benedicti, aliorumque ordinum, ex institutionibus Benedicti viven-

viventium, commemorantur. Caput *sextum* sistit religiosos vitae activae cultores, sive servitiis xenodochiorum addictos, religiosos de redemptione captivorum nuncupatos, seu Trinitarios, et crucesignatos. Atque hoc loco acriter Auctor Cruciatas defendit, et bono *Hubnero*, quod mireris, hunc honorem habet, ut illum *ab oculis animisque adolescentium amovendum* esse censeat. Utinam dudum, licet non hac de causa, amotus fuisset! Hisce additur historia religiosorum ordinum equestrium. Caput *quintum*, (est enim confusio quaedam capitum inter se commissa,) habet Religiosos vitam mixtam profitentes, sive Augustinianos, Carmelitas, Dominicanos, Franciscanos, ordines mendicantes, et Iesuitas. Ultimum huius partis locum occupat *Propempticon ad Religionis ac Asceseos sacrae adversarium.* Hic *Daudius* manum cum *Boehmero* conserit, qui in *Iure Eccles. Protest.* non satis honorifice de monasteriis et Iesuitis senserat. Se acerbius quidem agere cum illo voluisse scribit, sed, mutato consilio, *cum Iessaeo pugile arma seposuisse, et non nisi quinque capita congessisse, velut quinque limpidissimos lapides, queis illa gigantaea quaecunque contra sacrum Dei populum suscepta molitio deiiceretur.* Inde in laudes suorum excurrit, eosque incredibili quodam praeconio extollit. Modo illos *increatae Monadi perpetua obsequia deferre, cultores Dei, Therapeutas, caelestis aulae milites, et regis aeterni asseclas in domo Domini esse* dicit; modo coenobia *monasteria afflictorum, et egenorum asyla* appellat; modo Iesuitas *religiosos operarios, qui ligonibus, rastris, ac sarculis, terram purgarent loliis, nocivas animantes horto* eiicerent, *et malignam assilientium vim fortioribus animis prohiberent.* Quid tu ad haec, Olysippo? Utinam autem vera essent, quae p. 463. scribit, atque utinam omnes idem sentirent! —*precibus non ferro, piis adhortationibus non poenis, rationum pondere non vi, agimus contra eos, quos non ego, sed tu ipse, putative haereticos dicis —: pro te tuisque, ex instituto nostro, quot septimanis preces statas ad Deum enixe fundimus, ut ille vos nobiscum in unum ovile congreget.*

Aa Pulcher-

Pulcherrimum, si vera dicuntur, hunc locum toto in opere censemus.

Caeterum diligentiae quidem laude minime Auctorem defraudamus, omniaque, quae Ecclesia Romana de Hierarchia sentiat, in hunc librum, quasi in compendium, redacta collectaque esse, fatemur. Verum acuminis, et animi a partium studio abhorrentis, laudem eidem negamus. Istud vero eo magis laudandum, quo dignius est quod reliqui imitentur, et quo rarius haec virtus in Pontific. German. scriptis conspicitur, quod nimirum omni convicio contumeliaque in aliarum doctrinarum cultores abstinuerit. Atque hoc etiam in praefatione profitetur: quem locum aliorum causa adscribimus: *Imbelle nimis genus armorum est convicium, et licet accipitrum sit rostro et unguibus pugnare, non tamen filiorum eius Ecclesiae, quae in sacris paginis toties nomen columbae obtinet, quaeque sine felle sua se integritate, mansuetudine, ac veritate, satis tuetur.*

THESAURUS RERUM SUEVICARUM, SEU Dissertationum Selectarum VOLUMEN IV. de rebus et antiquitatibus Civitatum Imperialium in Suevia, cum Supplemento ad Bibliothecam Scriptorum rerum Suevicarum, et repertorio universali, cura et studio IO. REINHARDI WEGELINI, I. U. L. Cons. et Syndici primarii in lib. S.R.I. civitate Lindav.

Lindaviae, sumtibus Iac. Ottonis, 1760. Alph. 4. fol.

Felicem ad finem perduxit Venerabilis Senex operam, certissimum ad patriae emolumentum bono consilio susceptam, ultimumque Thesauri Suevici Volumen exhibuit. Non dubitamus profecto, quin historiae Suevicae hac Cel. *Wegelini* diligentia multum omnino lucis inferatur, multa obscura illustrentur, ambigua et dubia explicentur,

centur, atque vera magis confirmentur. Nam etsi, ut ipse fatetur, res antiquioris et medii aevi, unde civitates imperiales origines et natales suos repetunt, tanto in scriptorum dissensu, rerumque varietate, nondum satis illustratae, sed subobscurae maxime sint, hoc tamen exemplum si reliquae Sueviae civitates imperiales sequantur, atque archiva et chartophylacia diligenter excutiant, et tabulas aliaque publica documenta curiose inspiciant, multum inde historiam utilitatis capturam esse arbitratur. Recte enim monet, origines et antiquitates civitatum Sueviae imperialium, a *Munstero, Crusio, Limnaeo, Knichenio, Zeilero, Knipschildio, Sagittario*, non e chartis et documentis antiquis, aliisve fide dignis testimoniis, sed e traditionibus, chronicis, et annalibus civium imperitorum, atque anilibus fabulis, haustas et traditas esse. Iam quartum hoc Volumen complectitur commentationes XXX. quarum aliae iam editae sunt, aliae vero nunc primum e scriniis in lucem producuntur. Illas, singulari studio et diligentia elaboratas, sed hinc inde dispersas, hoc modo Vir Cel. ab interitu vindicare voluit. Ipsae commentationes hae sunt: I. Stricturae Antiquitatum Augustanarum, disputatione publica, sub praesidio *Conr. Sam. Schurzfleisch* propositae a *M. Esaia Weidio*, Augustano, Viteberg. 1704. II. *Marci Welseri*, Duumviri Augustani, antiquorum, quae Augustae Vindelic. extant, monumentorum supplementum, ab ipso Auctore collectum, ac primum 1726. ex codice Welseriano a M. Iac. Bruckero, in Schelhornii Amoenit. Litter. T. V. editum, posteaque ipsiusmet Bruckeri Miscellaneis Hist. Philos. Lit. Crit. P. III. Obs. IV. insertum. III. De tabula Peutingeriana dissert. publica M. *Io. Georg. Lotteri*, Lips. 1732. IV. *Iacobi Bruckeri* Observatio de Advocatis S. R. I. lib. Civitatis Augustae Vindel. supplementi loco ad ea, quae de Advocatis Augustanis in Historia Regiminis Augustani dicta sunt, cum catalogo emendato Advocatorum August. b. *David. Langenmantelii.* In Miscell. Hist. Phil. Lit. Critic.

P. II. Obſ. XIV. V. De iure ſtatutario Ill. Reip. Auguſtanae, ſpecıatım de codice antiquo, dicto Stadtbuch, A. 1276. conſcripto, Diſſ. *Io. Gottfr. Moreili*, Auguſt. ſub moderamine *Georg. Frid. Deinlini*, Altorf. 1743. cum appendice documentorum et ſummariorum codicis Auguſtani, una cum notis *Bruckeri* in *Beytraegen zur Critiſchen Hiſtorie der deutſchen Sprach.* P. XVI. Art. III. VI. *Iac. Bruckeri Nachricht von dem Augſpurgiſch-geſchriebenen deutſchen Recht, das unter dem Namen des* Stadtbuchs *im Iahr 1216. zuſammen getragen, und von Kayſer Rudolph dem Erſten bekraefftiget worden iſt, cum ſpecimine Gloſſarii Auguſtani,* in libro modo laudato. VII. Auguſta ex anguſtiis graviſſimarum calamitatum liberata, ex antiquiori hiſtoria Auguſtana. In programmate M. *Gottfr. Hecking*, Rector. et Biblioth. Aug. Vindel. 1754. VIII. De Iuribus civitatum imperialium, praeſertim de Iuribus et privilegiis lib. imperialis Civitatis Auguſtae Vindel. Diſſ. inaug. *Io. Thomae Ritteri*, Auguſtani, ſub moderamine *Io. Guil. Dietmari*, Ienae 1754. IX. *Kurtze doch gründliche Ausführung, daſſ die Stadt VLM nicht erſt A. 1346. unter Kayſer Ludovico Bavaro zur Reichs-Immedietaet gelanget*, Auctore *Ludov. Barthol. Hertenſtein.* In W. F. Piſtorii Amoenit. Hiſt. Iurid. P. V. X. De diplomate ſuppoſititio, quo Ulmam villam regalem a Carolo M. anno 813. coenobio Augienſi donatam eſſe aſſeritur; addita brevi perantiquae Ulmenſis immedietatis probatione: Diſſ. Inaug. *Lud. Alb. Haechel*, ſub praeſidio *Chriſt. Gottl. Buderi*, Ienae, 1755. XI. *H. Conringii*, et *W. E. Tenzelii*, cenſura diplomatis Caroli M. Imp. quod in gratiam Benedictini Augiae cognomento divitis monaſterii in dioeceſi Conſtant. A. 813. condidiſſe fingitur. In Tenzelii Vindic. Hiſt. pro H. Conringii cenſura Diplom. Lindav. Append. III. XII. De Ulma per Lotharium Saxonem A. 1129. obſeſſa, occupata, deſtructa, et per Cunradum Suevum A. 1140. reſtaurata atque amplificata, Specimen hiſtoriae

patriae

patriae *Lud. Barth. Hertenſtein*, Ulmae in 4. et in vernacula *in auserleſenen Arbeiten der Gelehrten im Reich*, P. I. T. VI. XIII. De diſſidiis ex electione Lotharii Saxonis Imp. Germaniam turbantibus, et nata inde A. 1134. Ulmae, per Henricum Magnanimum, Bavariae ducem, everſione, diſſ. *Fr. Dominici Haeberlin*, Goettingae 1745. XIV. De Iure Advocatiae in civitatem Ulmenſem, *Ludov. Barth. Hertenſtein*, in Senckenb. Medit. de univ. iure et hiſt. Faſc. II. Med. V. XV. Diſſertatio hiſtorica, ſiſtens vitam, itinera, et ſcripta F. Felicis Fabri, monachi praedicatorii conventus Ulmani, ad illuſtrandam hiſtoriam patriam, *Fr. Dominic. Haeberlin*, Goetting. 1742. XVI. *Kurtze doch gründliche Ausführung, daſſ die Reichs-Stadt* Nördlingen *in Schwaben nicht erſt A.* 1251, *zur Reichs-Immedietaet gelanget, wie bishero und jüngſthin von Tit. Herrn* Hofrath von Falckenſtein, *in der zweyten Nachleſe ſeiner* Antiquitatum Nordgavienſium, *davor gehalten worden*, Auctore *Dan. Eberh. Dolp*, I. U. L. C. P. Caeſ. et Conſil. Nordling. *Nördlingen* 1735. in 8. XVII. Commentatio politica rerum Halenſium, S. R. I. lib. urbis Halae, *Io. Petri Ludovici*, P. P. Ord. Halenſ. Halae Magd. 1719. XVIII. De Nummis antiquis Halenſibus, ſeu vulgo ſic dictis Haleris, ex *Chriſt. Schlegelii* Tr. de Nummis antiquis Gothan. et Cygneis. XIX. De Natali Memmingae, quantum quidem ille ex variis huius urbis denominationibus erui poteſt, *Io. Georg. Hermanni*, Lycei patrii Rector. merit. diſquiſitio. Haec nunc primum e MSC. prodit. Auctor duo diſſertationis ſuae fecit capita, quorum primo, quae omni auctoritate deſtitutae, nullisque argumentis confirmari poſſunt, ſententias recenſuit; altero ea, quae noſtris temporibus propiora, ideoque certiora ſunt, exhibuit. Nomen *Memmingae* ex ipſa rerum natura impoſitum eſſe ſuſpicatur. Eam enim multis hominibus, qui ob miram ſoli in amoeniſſima planitie fertilitatem ſe illuc contulerint, benignam quaſi matrem victum praeſtitiſſe.

tiſſe. Antiquam Germanorum vocem *Mamm*, matrem indicantem, uſitatiſſima illa Germaniae oppidis vicisque terminatione *ingen* addita, urbi nomen dediſſe. Hoc vero antiquam illam in diplomatibus Rudolphi I. Imperatoris, et Honorii III. Pontificis appellationem *Mammingen* extra dubium ponere, beneque hanc coniecturam confirmare. Auguſtam Druſi falſo pro Memminga haberi, nec Iuliomagi nomen cum Memmingae ſitu convenire; eam autem de Roſtro Nemaviae opinionem inter illas, quae a vero veritatis tramite aberrent, minus aberrare. Memmingam nec a Ptolomaeo, nec a Strabone, nec ab Antonino, nec a tabula Peutingeriana, proprio ipſi nunc nomine memorari. Polybium quidem, et Strabonem, Memmingae et Meningae mentionem facere: ſed illum inſulam Lotophagorum indicare, ab antiquis *μήνωγγα* appellatam. Ex ſeculi XIII. monumentis apparere, urbem ſub nomine *Mammingae*, quam *Memmingae*, notiorem fuiſſe. XX. De libera venatione, ſpeciatim Suevo-Memming. Diſſ. inaug. *Io. Guil. Sayleri a Pfersheim*, ſub praeſidio *Godofr. Dan. Hoffmanni*, Tubing. 1753. XXI. De Auſtraegis ordinum S. R. I. aliorumque Imp. membrorum, praecipue lib. S. R. I. civitatis Memmingenſis, Diſſ. iuridica *Melch. Egenolph. Sayleri a Pfersheim*, ſub moderamine *Io. Andr. Hoffmanni*, I. U. D. habita, Ienae 1750. XXII. Lindavia, in lacu Acronio, urbs Sueviae antiquiſſima, ex MSCto. Illuſtratur primum ab Auctore Anonymo locus Strabonis L. VII. pr. de inſula, qua Tiberius, navale cum Vindelicis praelium committens, pro receptaculo uſus ſit, quam Lindaviam fuiſſe arbitratur. Deinde commemorantur monumenta Romanae ſtationis, ſeu commorationis in hac inſula, ut turris quadrata, *murus Tiberii* dicta, et caſtellum. Poſt exponitur cauſa, cur nomen Lindaviae in Ptolomaeo, Strabone, aliisque ſcriptoribus non occurrat. Plurimas enim urbes, Romanorum tempore in Germania aedificatas, duobus nominibus inſignitas fuiſſe, uno a Romanis accepto,

accepto, altero ab ipsis sibi imposito. Porro de antiquitate Lindaviae, de templo S. Petri, summa vetustate conspicuo, de facie Lindaviae sec. IX. et X. de incendio Lindaviae, de conditoribus coenobii Lindaviensis, differitur. Credit vero, coenobium hoc sub initiis sec. IX. vel Caroli M. vel Ludovici filii aetate, in insula nondum fuisse exstructum, sed aliunde, una cum ossibus fundatorum, bipedalibus arculis inclusis, in hunc locum esse translatum, et tres istos Comites, quorum nomina prae se ferant loculi sepulchrales, illo sepulchro primum non esse conditos, sed ossa eorum alibi eruta, in singulas minores urnas recondita, et deinde in insula Lindaviensi, atque templo coenobiali, ibidem modo exstructo, sub uno eodemque lapide maiori fuisse collocata. Salvam igitur putat et integram manere praerogativam antiquitatis urbis prae Coenobio. XXIII. De Dominio maris Suevici, vulgo Lacus Bodamici, speciatim de iuribus primariis ac praerogativis lib. S. R. I. civitati Lindaviae in mari Suevico competentibus, Diss. inaug. *Io. Christoph. Wegelini*, sub praesidio *Christ. Gottl. Buderi*, Ienae 1742. XXIV. Campidona, urbs Algoiae antiquissima. Versio latina est scripti publici sub titulo: *Gründliche Ausführ- und Rettung des H. R. Reichs Stadt Kempten uralten Herkommens und Reichs-Immedietaet* etc. 1731. XXV. De Kauffburae lib. S.C.M. Sacrique Rom. Imp. Civitatis Iurisdictione criminali, per totum diffusa territorium, Diss. inaug. *Georg. Christ. Heideri*, sub moderamine *Henr. Brockes*, Ienae 1750. XXVI. De Natalibus Civitatis Imperialis Isnae in Algovia, ex MSCto. Multa primum ab Auctore de origine nominis Isnae disputantur, quam ab aqua seu fluviolo prope urbem scaturiente, et in chartis vetustissimis *Hysnia, Ysnina, Ysinia, Ysnach*, vulgo *Aach* dicto, repetendam esse censet. Notum enim illud Taciti: *prout aut fons, aut campus, aut nemus placuit, ita appellatae sunt civitates perquam multae.* Porro, Isnam veram suam originem nescire quidem, sed probabile videri,

deri, illam Romanorum ſtationibus deberi. Neque aliquid certi afferri poſſe, quae fuerit Isnae facies ſub Alemannorum, ſeu Suevorum, Francorumque dominatu. Tum de coenobio, de Advocatia dapiferorum de Waldpurg, de privilegiis Caeſareis, et denique de receptione Lindaviae in album et ordinem civitatum Imperialium exponitur. XXVII. De Suevorum priſcis in Germania ſedibus, exercitatio cyclica *Io. Petri Milleri*, in Ill. Ulmenſium Gymnaſ. habita, 1758. XXVIII. *C. A. Belii* Obſervationes hiſtoricae ad diſſertationem, volumini II. inſertam, de fatis ducatus Alemanniae et Sueviae, Lipſ. 1757. XXIX. Emendationes et ſupplementa ad diſſertationem *Fr. Domin. Haeberlini*, huic Volumini inſertam, de diſſidiis ex electione Lotharii Saxonis Imp. Germaniam turbantibus etc. Ex MSCto cum epiſtola Auctoris ad Coſ. *Wegelinum*. XXX. De Auſtraegis generatim, nec non de iure Auſtraegarum S. R. I. lib. civit. Ulmanae ſpeciatim, Diſſ. *Tobiae Lud. Kienlin*, ſub praeſidio *Fr. Dom. Haeberlin*, Helmſtad. 1759. Praeter has diſſertationes addidit Vir Cel. ſupplementum ad bibliothecam Scriptorum rerum Suevicarum, atque locupletiſſimum rerum, in quatuor huius Theſauri Voluminibus propoſitarum, indicem. Multum debet Suevia diligentiae optimi Senis, hiſtoriam patriae omni modo illuſtrare atque emendare ſtudentis. Atque haec cura eo maioris eſt aeſtimanda, quo gravius dudum viri docti queſti ſunt, maxime omnium Germaniae Provinciarum Sueviam bonorum hiſtoricorum inopia laborare.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiae

Calendis Aprilis Anno MDCCLX.

LES RUINES DES PLUS BEAUX MONUMENTS de la Grece, etc.

id eſt:

RELIQUIAE PRAESTANTISSIMORUM GRAECIAE veteris aedificiorum. Opus duarum Partium; quarum altera hiſtoriam horum monumentorum perſequitur, altera architectonicas illorum rationes. Auctore LE ROY, *Architecto, Regis Chriſtianiſſimi ſtipendiorum Romae olim alumno, Inſtituti Bononienſis Socio.*

Pariſiis, 1758. ap. Guerinum et alios: Amſtelaedami, apud Nealmum: Alph. 1. pl. 1. fol. chartae maximae, cum tabulis ex aere expreſſis in univerſum 60.

Quamquam nondum exſtincta eſt illa Regum Europae noſtrae ſapiens in litteras munificentia, qua patrum avorumque noſtrorum aetate curarunt, ut, miſſis in extremas orbis oras hominibus doctis, partim diſperſa naturae miracula undique colligerentur, alia obſervarentur commodius; partim quae de venerandae antiquitatis monumentis ſupereſſe paſſa eſt temporum iniquitas, ea velut ex naufragio adſervarentur, deſcriptione ſaltem diligentiore abhibita, ſiquidem ad religioſiores ſpectatores transferri non poſſent: quamquam igitur non deſunt vel

hodie providentiae huius regalis exempla, ut ecce hoc ipso tempore magnus Danorum Rex ablegat in Arabiam Felicem triumviros, qui eius regionis bona moresque incolarum accuratius cognoscant: tamen adeo non exspectat haec principalis liberalitatis auctoramenta privatorum quorundam in artes meliores amor, ut non petitis aliunde, quam ab animo suo, incitamentis, difficiles et sumtuosas istius generis peregrinationes suscipiant, ac multo denique sudore inventa atque explorata, ad publicam utilitatem laeti conferant. Ita generosus Britannorum, Gewoldi et Dalequini, labor, ingentes nobis Palmyrae atque Heliopolis veteris reliquias praebuit spectandas. Ita hic noster, quem merito et impense laudes, Francogallus, *le Roy*, ipsam artium omnium parentem terram ingressus, superstites illic splendidissimorum aedificiorum ruinas doctis et curiosis oculis lustravit, earumque contemplandarum copiam omnibus iam facit, qui Opere pulcherrimo, sed eodem tamen cariore, frui potuerint.

Inscriptum est perillustri Viro, Marinio, *(Mr. le Marquis de Marigny,)* Directori summo regiorum aedificiorum, hortorum item, artium et manufactorum opificiorum; cuius propensam in artes liberales, et studia inprimis sua, voluntatem laudat Auctor. In praefatione haec fere tradit. Restituto literarum et artium in Europa honore, earum exempla omnium perfectissima fuisse e Graecia repetita, et in his Architecturae quoque. Architectos quidem Sec. XV. illa, partim rudibus nonnullis delineationibus, quales adhuc in Codice Bibliothecae Barberinianae quodam spectentur, partim veterum Italiae aedificiorum, quippe quae ad leges Graecas constructa essent, forma adiutos, fuisse sectatos. Imo inventa quaedam magni illius Michaelis Angeli Buonarotae ostendere, aut illum ex discipulis suis misisse nonnullos in Graeciam, qui monumenta illic vetera designarent, aut certe horum aliquam adumbrationem tenuisse. Post haec Ludovicum XIV. cum in alias Orientis regiones, tum et in Graeciam misisse designa-

ſignatores, architecturae praecipue iuvandae intentos. Hos, quamvis non ſatisfecerint excelſo Regis animo, ſatis tamen profuiſſe nobis in eo, quod publice demonſtrarent loca Orientis monumentis egregiis inſignia, et levem adhuc ſtudioſorum hominum attentionem experta. Se quidem ait *Rex* noſter, (aut, ne ambiguitati locum demus, *le Roy*,) tum Architecturae penitius noſcendae cauſa, tum ut particulam aliquam praeclari illius, quod commemoravimus, conſilii regii expleret, excitatum praeterea elogiis, quibus veteres aedificia graeca mactaſſent, denique perſpecta narrationis, quam de illis Sponius Whelerusque inſtituiſſent, tenuitate, adieciſſe animum ineundo in Graeciam itineri, anno ſeculi LIII. cum Romae viveret in Academia artium Francica. Obtinuiſſe autem ſe non modo hunc favorem, ut liceret cum Illuſtriſſ. Donato, Seren. Reip. Venetae ad Imperatorem Turcarum Legato, eadem navi vehi, ſed etiam alium longe maiorem, ut commendatus Deſalerio Comiti, Chriſtianiſſ. Regis eadem in aula Legato, reciperetur ab eo ſub commune palatii tectum Conſtantinopoli, eiusque auctoritate fultus acciperet litteras commeatus a Sultano, quae hanc vim habuerint, ut liberrime diſcurrere per Graeciam, intueri aedificia vetera et metiri potuerit pro lubitu, adſcenſo vel ipſo faſtigio.

Iam horum deſcriptionem monumentorum in duas Partes diſpeſcuit. *Priore*, quam *Hiſtoricam* dicit, notitiam illorum ita promit, ut a quibus, quorum honori, quo denique tempore poſita, everſa, aut reſtaurata fuerint, doceat. His immiſcet narratiunculas de itinere ſuo, et varii generis diſputationes. *Poſterior Pars*, *Architectonicis* rationibus unice dicata, ichnographiam aedificiorum eorundem, frontes et tholos proponit, adiungit dimenſiones illorum, harumque proportiones diverſas, et inter ſe, et cum Romanis aedificiis quibusdam contendit; Architecturae porro apud Graecos progreſſus exponit, ſubinde et Perraltianos in Vitruvium commentarios emendat.

Ut autem intelligeretur, quo primum tempore Graeci Architectonicen colere coepiſſent; quae illius per idem tempus in Aegypto facies fuerit; quo ordine inventa artis praecipua ſibi ſucceſſerint; quantum a Graecis Romani mutuati ſint, partim ex generibus illorum, partim ex templorum forma; ac quae tandem aetas illam aedificandarum aedium ſacrarum novam rationem invexerit, quam hodie ſequimur: praefixa eſt Parti priori Diſſertatio *de Hiſtoria Architecturae Civilis*, qua ſingula haec explicantur. Fuit profecto diverſum admodum Aegyptiorum et Graecorum in expolienda Architectura ingenium. Aegyptiorum quidem grandia molimina admirabundi legimus; vix autem, a quibus illa initiis profecta ſint, perſpicimus. Illud obſervare licet ex Deſcriptione Aegyti Pocockiana, eos columnas ad ſimilitudinem trunci arboris effeciſſe, quibus baſis loco lapis rotundus eſſet, quadratus vero capituli vicem praeſtaret; tum effonnandis ex rupe columnis imitatos fere eſſe plurium arbuſculorum per vincula coniunctionem. Haec poſtrema, quamvis ſimplex re ipſa, ratio, magnum tamen quid, in operibus Aegyptiorum omnibus conſpicuum, oſtendit. Parum illi de perficienda Architectonice ſolliciti, a primis aedificandi tentaminibus continuo ad vaſti ingenii et laboris exſtructiones tranſierunt. Secus, et tardioribus paſſibus incedentes Graeci, poſitis ſemper ante oculos naturae legibus, et a ſimpliciſſimis conaminibus inchoando, pedetentim ad praeſtantiſſima *ἐυρήματα* delati ſunt. Ac quamvis magnifica iam et pene immenſa aedificia conſtruerent Aegyptii, Graecis adhuc vix nomen artis noſcentibus; tamen hos ſyſtematicae illius Architecturae, quae ab iis nomen ducit, auctores recte dixeris. Ipſa enim, mirum dictu, tuguria ſua adeo ſapienter compoſuerant, ut eorum formam in ſplendidiſſimis templis ſuis ſervare potuerint, eque iiſdem rudibus initiis, et extremae ſubgrundationis artificia, et modulus, et columnae, natae videantur. A Graecis Romani elegantiorem aedificandi rationem acceperunt: ipſi ad inveniendum

ſatis

satis apti non erant. Nam *genus compositum*, quod suo ingenio tribuunt, non optima est Ionici et Corinthiaci permixtio. Postquam autem sacris Christianis se addixissent, rursus a Graecis Architectis edocti sunt artem, formam templorum quadratam et rotundam coniungendi, et quasi suspendendi illa de immensis navis illorum arcubus. Haec admiranda ratio adhibita primum est ab Anthemio Trallensi et Isidoro Miletano, in exstruendo, iubente Iustiniano, S. Sophiae templo Constantinopoli; cuius aedis maiestatem nemo est quin stupeat. Eandem illius formam exeunte Seculo X. imitati sunt Veneti, in templo d. Marci aedificando. Atque ex hoc rursus petiisse nonnulla videtur is, qui templum Augustinianorum Romae exstruxit, laudandus tamen etiam proprii inventi caussa. Qua de re posteaquam singularia quaedam observasset Auctor, ostendit postremo, architecturae modos multum a coeli diversitate pendere, neque adeo eosdem ubivis locorum servari posse.

Nunc ipsum cum Nostro iter iucundissimum instituamus. Ad *Castrum Novum* (Castel-Nuovo) in littore Istriae cum appulisset, profectus Venetiis 5. Maii A. 1754, spectavit in urbe *Pola* duorum templorum eximias reliquias. Alterum paene integrum superest, et in zophoro hanc Inscript. ostendit:

ROMAE ET AVG. CAESARI DIVI F. PAT. PATR.
TRIB. POT.

Positum videtur Augusto a gratis incolis, quod mercaturam eorum, datis privilegiis, adiuvisset. Est autem ordinis Corinthici, et πρόστυλον, praeterea in singulis partibus suis elegantissimum. Alterius templi non longe a priori, nonnisi informes ruinae exstant. Mox littora Graeciae, et in his tot nobilitata rebus gestis clarissimorum hominum loca navigando praeteriit Noster. *Montes Acroceraunios* (hodie *montes chimaerae* dicuntur,) latrones, Macedonum propago, insederunt, aspernantes ferociter Turcarum imperium. In littore Attico, e regione *Insulae Longae*,

 (olim

(olim *Cranae* vel *Helena* audiebat,) portum ingressus est, qui ducebat ad planitiem collibus septam, invenitque in Xenophontis de Reditibus libello, hunc locum, qui hodieque *Thoricos* adpellatur, antiquis temporibus *Thoricion* fuisse cognominatum. Ibi ad radices *montis Laurii* pauculas templi ruinas reperit; sed illas tanto digniores adspectu, quod ultimae antiquitatis signa haberent impressa, columnis v. c. basi carentibus. Cum Legatis Venetorum ad Turcas, (peculiari nomine *Bailos* vocant,) non liceat portum Constantinopolitanum suis ingredi navigiis, quod insidias huius Reipublicae, cui optimas Archipelagi insulas extorserunt, metuunt Turcae; ab duabus triremibus Turcicis ex portu inde Tenedio deductus est cum suis Noster. Traiicientes autem fretum, quod Europam ab Asia disiungit, salutabantur a castellis in utroque littore sitis, explosis globis plumbeis, qui ipsa navigia proxime accedebant.

Sed iam Constantinopolin ostendat nobis *Le Roy*, ad quam appulit d. 13. Septembris. Dicit eam situs amoenitate omnes, quae sint ubique terrarum urbes, vincere, dein ita positam esse, ut insigni orbis parti imperare non difficulter possit. Interiora tamen eius adspectu iucunda non esse. Se quidem comitem fuisse Legato prodeunti in conspectum Sultani, qui paucis mensibus post e vivis excesserit. Inter motus hanc mortem consecutos reliquisse se urbem, ac primum Delum insulam frequenter invisisse, tectam quasi marmoreis aedificiorum reliquiis, et in his Apollinei templi; tum vero venisse Athenas, ubi humaniter se exceperit Leosonus, qui eo loco mercatorum Francogallorum curam gerat, *Consulem* vocant; esse etiam se monitum a praefecto arcis Turca, ne ea parte plateae incederet, quam foeminae Turcae aut Graecae sibi viam delegissent. Eidem significandum a se fuisse, quo tempore fastigium templi Minervae conscendere vellet, ut is mulierculas in areis arcis deambulantes, a conspectu eius, pro more regionis, removere posset.

Praefatur autem pauca Noster de ortu Athenarum, docens, Atticam, et Graeciam omnem ante heroum aetatem,

tem,

tem, qui eo ex Aegypto Lybiaque venerunt, suos habuisse incolas; deinde vulgata quaedam de exstructione urbis illius addit, et de arcis, monumentorum sedis locupletis, nominibus. Eam primum aetatem persequitur, qua urbs nonnisi rupe arcis continebatur, observatque, reliquias monumentorum illic superstites non esse antiquiores Persica in Graeciam expeditione. Supersunt tamen plurima ex pulcherrimo templo Minervae, quod Ictinis et Callicratis arte posuit Pericles: *Parthenon* dicitur, et item *Hecatompedon*. E medio rupis, quam arx insidet, omnem planitiem Athenarum spectat, et e longinquo conspicitur. Neque solum perbello marmore, sed etiam proportionum elegantia, et operis anaglyptici artificio, eminet. Plura de eo Sponius et Whelerus, quibus datum erat ornamenta eius integra mirari. Sed A. 1677. Morosino, Imperatore Veneto, Athenas obsidente, globus ignivomus templo incumbens, potiorem eius partem disturbavit. Non procul ab eo *Erechthei* templum surgit, ex cuius rationibus Ionicis cognoscas, esse ante Adriani tempora conditum. Duplex autem est, hoc est, non unum haerens alteri, quod Sponius putabat, sed alterum altero sublimius. Cui usui destinatum fuerit parvum illud aedificium, cum templo coniunctum, exornatumque Caryatidibus, arte summa, ut templum universum, perfectis, non tradit Pausanias.

Transit Auctor ad celeberrima illa *Propylaea*, primum omnium a se agnita. Nam Sponius templum fuisse credebat; Fanellus cum plerisque armamentarium Lycurgi; Whelerus autem, quamvis idem coniectando adsecutus sit quod Noster, nihil tamen attulit quo sententiam suam firmaret. At Noster ex vestigiis quinque portarum, quas ibi adfuisse Harpocration testis est; ex marmoris magnitudine, laudata a Pausania; denique ex duplici eoque elegantissimo acropodio, cui institisse existimat statuas equestres Pausaniae commemoratas, probe colligit, esse has propylaeorum reliquias.

Hinc

Hinc deducimur ad *theatrum Bacchi* Athenis, cuius graduum magna pars arce fulcitur, more Graeco, a Romanis in splendidiorem mutato. Proxime illi visitur porticus Eumenis quasi umbra quaedam, deambulationibus et conciliis Philosophorum clari. Rupi arcis impressum est monumentum quoddam, tribus quadratis columnis constans, et in zophoro haec verba monstrans:

ΘΡΑΣΥΛΛΟΣ ΘΡΑΣΥΛΛΟΥ ΔΕΚΕΛΕΥΣ ΑΝΕΘΗΚΕΝ
ΧΟΡΗΓΩΝ ΝΙΧΗΣΑΣ ΑΝΔΡΑΣΙΝ ΙΠΠΟΘΟΩΝΤΙΔΙ ΦΥΛΗΙ
ΕΥΙΟΣ ΧΑΛΚΙΔΕΥΣ ΗΥΛΕΙ ΝΕΑΙΧΜΟΣ ΗΡΧΕΝ
ΚΑΡΚΙΔΑΜΟΣ ΣΩΤΟΣ ΕΔΙΔΑΣΚΕΝ.

Ex his divinat *le Roy*, monumentum istud a Thrasyllo, victore athletici certaminis, positum fuisse, impetrata nimirum illi venia, ut nomen suum, porro tribus, quae cum ipso vicisset, Archontis qui tum urbem regebat, denique Poetae et Musici, qui se carminibus et modulationibus vel excitassent, vel praedicassent victorem, inscriberet. Eodem fere loco adparet hemicyclium excavatum ex quadrato marmore, et ad enclima succisum, quale *Vitruvius IX*, 9. Berosum Chaldaeum invenisse narrat.

Haec igitur sunt monumenta intra primos Athenarum cancellos, hoc est locum arcis, conspicua; quam peripheriam sicuti Tab. III. delineaverat Noster, ita nunc incrementa urbis et ambitum hodiernum ita describit Tabula IX, ut uno obtutu plurium seculorum mutationes, v. c. profectas a Theseo, Themistocle, Hadriano, simul et monumenta extra arcis terminos collocata, conspicias. Quantum quisque horum urbis parentum ad eam amplificandam et roborandam contulerit, tradit Auctor recte; sed quis ea nesciat? Hodie prope mare habitationes nullae sunt, metu piratarum. Arx viginti tormentis bellicis, sed pretii nullius, militum vero numerosa manu defenditur. Incolarum 14. vel 15. millia sunt, quorum Turcae vix decimam partem efficiunt, neque tamen minus Graecos opprimunt. Horum sacra Archiepiscopus regit, Patriarchae

Con-

Conſtantin. parens. Pontificiorum pauciſſimos illic reperias; Iudaeos omnino nullos. Cauſſam per iocum praetendunt hanc incolae, intelligere Iudaeos, ſe illis in mercatura facienda callidiores eſſe. Dialectus Athenienſium ad veterem Graecam propius accedit. Forma ſunt plerumque egregia, robuſti et longaevi, quod ex coeli ingenio provenire videtur. Sed urbs tamen hodie incommode ſita eſt, utpote Euro numquam pervia. Etiam mellis uſus, Hymettii praeſertim illius, ſanitatem incolarum adiuverit. Ceterum eos iugi impatientes eſſe, vel ſeditio A. 1754. ab iis excitata oſtendit.

Venimus ad longe clariſſimum *Iovis Olympii* templum, illud tot Principum et Architectorum celebratum a Scriptoribus opus, cuius ipſae ruinae admirationem excitant. Hae particulam duntaxat frontis, quae Adriano debetur, ſpectandam praebent, praecedentis murum, quo templi ambitus circumſcribebatur, ſiſtuntque columnas generis Corinthiaci eximias. Male autem Sponius quatuor ſtadia peripheriae, quae traduntur a Pauſania, de interiore ambitu cellae, non de muro, quod debebat, cepit. At huius templi reliquiae hodie locum miniſtrant Turcis, in quo proventus hortorum publice vendant, ſuntque in parte muri ſuperiore vites ita plantatae, ut earum palmites arctius iungantur, aeſtumque ſolis a tranſeuntibus arceant.

Antiquiſſimum, quod adhuc ſuperat Athenis, monumentum, ſine dubio eſt *templum Theſei*, quod incolume ad noſtram aetatem pervenit. Hoc quidem Cimon, inventis in Scyro inſula oſſibus Theſei, et Athenas deportatis, honori illius dicavit, decimo poſt pugnam Salaminiam anno. Superſunt hodieque in exterioribus templi partibus ſculpturae plurimae, quibus egregia herois illius facta proponuntur. Ex his illas, quas temporum iniuria truncatas ad nos transmiſit, eas item quas Pauſanias commemorat, praebentes certamen Athenienſium cum Amazonibus, et Centaurorum cum Lapithis, quamvis mutilas

et ipſas, ſed operis ingenioſi exempla, Tabula VI. Partis poſterioris protulit Auctor.

In vicinia huius templi ſuperſunt ruinae quaedam *Odei*, cantilenarii illius, Periclis non ſolum iuſſu, ſed etiam arte exſtructi, aptiſſime quidem ad ſonos muſicos percipiendos. Ipſe certaminum muſicorum in Panathenaeis illic inſtituendorum rector nominatus eſt, primusque praemia distribuit Muſicis. Erat autem Odeum hac pulchritudine ſpectabile, ut non videatur nihil contuliſſe ad laudandum ob exornatas ſplendide Athenas Periclem. In obſidione urbis Syllana primum vitiatum eſt, reſtitutum poſtea ab Ariobarzane Philopatore, quod evictum dedit *Belleius*, Commentariorum Acad. Reg. Inſcript. Tomo XXIII. Situm eſt medium inter arcem et mare, in colle Piraeeum reſpiciente, conſpicua ad dextram rupe, Areopagi ſede nobiliſſima.

Succedit monumentum parvum, quod *Laternam Demoſthenis* adpellant. Perſuaſerunt enim ſibi Athenarum incolae, eſſe hunc eundem locum, in quem ſe receperit Demoſthenes, male habitus a populo ob elocutionis aſperitatem. Sed multa ſunt cum hac opinione pugnantia. Interiora monumenti altiora ſunt ipſa platea; cum tamen ſatis conſtet, ſeceſſum Demoſthenis fuiſſe ſubterraneum; deinde vix quinque pedes latum. Maxime vero adverſatur Inſcriptio, referens ortum aedificii ad primos regni Alexandri M. annos, nimirum ad annum II. Olympiadis CXI. quo tempore Demoſthenes, ſumma iam eloquentiae laude florens, Athenis diſceſſit. Atque eadem Inſcriptio, eſt autem haec, impreſſa fronti epiſtylii,

ΛΥΣΙΚΡΑΤΗΣ ΛΥΣΙΘΕΙΔΟΥ ΚΙΚΥΝΝΕΥΣ ΕΧΟΡΗΓΕΙ
ΑΧΑΜΑΝΤΙΣ ΠΑΙΔΩΝ ΕΝΙΚΑ ΘΕΩΝ ΗΥΛΕΙ
ΛΙΣΙΑΔΗΣ ΑΘΗΝΑΙΟΣ ΕΔΙΔΑΣΚΕΝ ΕΥΑΙΝΕΤΟΣ ΗΡΧΕ

docere videtur, monumentum hoc athletarum e tribu Achamantide victorum honori fuiſſe dicatum, et conſecratum Herculis nomine. Hodie tegitur fere ignobili domo, quae

quae Capucinis hospitium praebet. Ceterum eadem in tabula, quae hanc Lateruam ostendit, adiunxit Auctor saltationis quoddam graecae genus, quod ipse spectavit, creditque derivatum esse ex eo, cuius auctor exstitit Theseus, labyrinthi sinus illo exprimens: frequentabatur autem potissimum Delo in insula, *Gruis* nomine celebratum. Albanorum, pauperrimorum ex Graeciae incolis, vestitum proxime accedere putat ad eum, quem gestaverint olim Graeci heroes. Feminas autem eorum aliquanto locupletiores, narrat, appensis corpori numis aureis et argenteis in ornamentum uti; quod ipsum sit moris antiquissimi.

Inde convertit se ad turrim illam marmoream octogonon, Andronici Cyrrhestis opus, descriptum a *Vitruvio* I, 6. quam possis *Turrim Ventorum* dicere. Huius nos Scriptoris verba non repetimus; sed illud, omissum ab eo, observatum a Nostro, addimus, in turri hac, flatus ventorum octo diversos indicante, adparere vestigia divisi a Graecis *Schematis* in partes XXIV. Totidem enim frusta marmorea, magnitudine inter se simillima, tegunt turrim; totidem insuper capita exacte marmorum horum lateribus extremis respondent. Deinde horologii etiam vicem praestabat Atheniensibus haec turris; imo curaverat architectus, ut octo ventorum imagines, figura et adiunctis suis symbolicis, venti cuiusque naturam declararent. Architectonicae tamen turris rationes laude parum dignae sunt. Dicit hic quoque Auctor de stulta quadam monachorum Turcicorum secta, qui torquendo se in gyrum ad sonos fistulae, omnem rerum circumstantium sensum amittunt, atque tum demum opinantur sibi communionem cum divino numine patere.

Athenis relictis, divertit A. ad promontorium *Sunium*, ex quo prominentes XVII. Columnae templi Minervae, nomen illi recentiore aetate fecerunt promontorii columnarum, *le Cap-Colonne.* Templum ipsum ab Atheniensibus illis Minervae et Thesei templis parum differt, eademque forte cum illis aetate constructum est. Quae res dedi-

 cando

cando illi occaſionem dederit, ignoramus; niſi velis coniecturam ducere ex argumento operis anaglyptici circa ruinas illius reperti, quod feminam ſiſtit ſedentem cum infante, levantes ambo brachium, reſpicientesque cum horrore quodam praecipitantem ſe de alta rupe hominem nudum.

Iam portus Athenarum diligentius deſcribit *le Roy*, praemiſſa generali ſitus illorum tabula, deinde ſubiunctis ſpecialibus. *Phalereus* quidem, antiquiſſimus eorum, hodie duntaxat *Porto* dicitur, neque amplius niſi naviculis portandis ſatis profundus eſt. Quae autem Pauſanias tradit, in littore eius diis ignotis conſecrata fuiſſe altaria, ea non diverſa fuiſſe autumat Noſter a cultu dei ignoti, quem S. Paulus exprobravit Athenienſibus. Sed hic portus cum longe minor eſſet quam potentia urbis poſtularet, Themiſtocles *Piraeeum* condidit, eumque triplicem. Iuxta ſpatioſiſſimum ex his videtur ſibi Auctor Themiſtoclis et Cimonis ſepulchra, ex indiciis duarum turrium caducarum, reperiſſe. Contra, dubium pronunciat eſſe, quod referant Venetae, duos illos leones marmoreos, qui ante portam armamentarii ſui viſuntur, ex aditu Piraeei eſſe translatos. *Munychius* portus homonymon vicum adiunctum habet, eiusque ſitu opportuno facile olim contra Athenienſium ipſorum impetum defenſus eſt.

A pagina tandem 32. ea denique tractat Auctor monumenta Athenarum, quae imperantibus urbi Romanis aedificata ſunt. In his reliqua antiquitate vincit *Templum Auguſti;* proſtylon ne fuerit, an amphiproſtylon, definiri nequit. Satis autem patet, Athenienſes tum peritiores fuiſſe adulandi, (nam Dei nomen tribuunt Auguſto in Inſcriptione,) quam Architecturae. Hoc templum aetate ſequitur monumentum illud, quod *Caio Iulio Antiocho Philopappo* poſitum eſt, in colle dicto Muſaeum, a poeta celebri, qui verſus illic ſuos cantabat, ibidemque mortuus, et, ſi fides habenda Pauſaniae, ſepultus eſt; quod tamen poſtremum, Inſcriptio apud Sponium, ad Phalereum portum

tum refert. Fuit autem Philopappus, quod docet Inſcriptio monumenti latina, COS. FRATER ARVALIS, et SVLLECTVS INTER PRAETORIOS ab Imperatore Traiano, cuius adeo, vel ipſius Philopappi, triumphus quidam cohoneſtatus hoc monumento videtur. Locus, in quo collocatum fuit, celſior eſt, atque hinc olim ſaepius coercendae urbis parti inſerviit.

Sed ut conſtaret inter poſteros, qui fuerint fines Athenarum antiquiores, quem poſtea illis ambitum dederit Hadrianus, conditum eſt monumentum illud, quod hodie *Arcum Theſei* adpellant, cuius tamen herois aetati vel architecturae in eo ſervatae rationes videntur repugnare. Leguntur autem in ea fronte, quae veterem urbem ſpectat, haec verba:

ΑΙ Δ ΕΙΣ ΑΘΗΝΑΙ ΘΗΣΕΩΣ Η ΠΡΙΝ ΠΟΛΙΣ

h. e. *Hae ſunt Athenae, Theſei primum urbs.* Oppoſita frons haec habet:

ΑΙ Δ ΕΙΣ ΑΔΡΙΑΝΟΥ ΚΟΥΧΙ ΘΗΣΕΩΣ ΠΟΛΙΣ

h. e. *Haec eſt Hadriani urbs, non Theſei.* Ad ſiniſtram huius arcus *Dianae Agroterae* templum ſpectatur, ſimplicis illud artificii, nonnulla tamen muſivi operis pulchra oſtentans exempla: nunc Graecae Eccleſiae ſacris, atque adeo *Petro Crucifixo,* dicatum eſt.

Etiam celeberrimi illius *Panthei Hadriani* exſtant reliquiae, quae, quam vere magnificentiam eius praedicaverit Pauſanias, ſatis declarant. Male Sponius, Whelerusque, columnas ſuperſtites ad porticum ſex ordinum, quorum quisque XX. columnis fuerit abſolutus, referunt, atque ita efficiunt CXX. illas columnas marmoris Phrygii, quas maxime eminuiſſe in hoc templo Pauſanias auctor eſt. Nam eas ipſius Panthei partem fuiſſe, ex poſitu inprimis illarum evincit Auctor, Parte Operis Secunda. Porticus vero templi videtur interior fuiſſe, ut in illo Iovis Olympii, ad cuius ſimilitudinem hoc Pantheon ea quoque in re acceſſiſſe putat Noſter, ut ampliſſimo circumeundi ſpatio clau-

deret illud murus, quo tanto augustiore adspectu esset. Hoc eodem consilio metienda est columnarum altitudo ingens: quarum propterea capitula propius intueri datum non fuit Auctori.

Stadii Atheniensis, quod totum ex marmore albo construi fecerat suis impensis Herodes Atticus, misella hodie facies est, quamvis forma illius universa dignosci adhuc possit. Inde autem cum Anchesmum montem ascendisset le Roy, fruiturus ibi laetissimo circumfusae regionis spectaculo, ad radices montis contemplatus est monumentum generis Ionici, cui inscripta verba docent, *Aquaeductum* eo loco ab *Hadriano* coeptum, consummatum fuisse et dedicatum ab *Antonino* filio. Manca ibi legitur Inscriptio; sed supplevit eam Auctor ex Codice quodam Bibliothecae Barberiniae Romae, indidemque speciem monumenti, qualis ante Sponii tempora fuit, proposuit. Codex, quem diximus, *Iuliani Giamberti de S. Gallo* nomen praefert, et annum 1464. describit etiam alia Athenarum monumenta, sed ea minus adcurate.

Nunc tandem, missis omnino *Athenis*, pedem ulterius per Graeciam proferamus. *Spartam* enim potissimum, tum et aliarum in transitu urbium, reliquias sibi spectandas duxerat Auctor. Itaque munitus armis et comitibus adversus latrones vicina Spartae colentes, septentrionem versus profectus est per silvam olivarum, Athenas fere circumdantem. Illic clarissima *Platonis Academia* erat, nullis illius hodie vestigiis reperiundis *). Inde *Picrodaphnis* montis, (hoc ei Graeci recentiores a lauro amara nomen fecerunt,) partem sinistram transgressus, pervenit *Eleusin*, nunc *Lessine* dicunt. In plurimis eximiorum per hanc urbem, (sed pagum iam rectius vocaveris,) templorum ruinis, agnovit etiam *Cereris* illud decantatum. Quod quamvis

*) Locum *Ciceronis* de Academia, (de Finib. B. et Mal. V, 1.) vitiose exscriptum pag. 38. recte iam alii viderunt legendum esse hoc modo: *cum autem venissemus in Academiae non sine caussa nobilitata spatia.*

vis tam male habitum ſit, ut adumbrari ab Auctore delineando non potuerit, tamen abunde pulchras ſplendoris priſtini reliquias conſervavit; in his ſuperiorem ex ſtatua deae partem. Ceterum, templum hoc ex antiquiſſimis Graeciae eſſe conſtat; planities autem urbi adiacens hodie quoque, velut olim, fertiliſſima eſt omnis Atticae regio. Mox *Megaram* venit Noſter, et ipſam nunc viliſſimo habitu, neque ullo monumento antiquo ſpectabilem. Inſcriptiones tamen permultas habet, quarum pleniſſimam collectionem inſtituit *Furmontius* maior, repoſitam poſt fata illius in Bibliotheca Regis Chriſtianiſſimi.

Hinc, tranſcenſis *Scironiis ſaxis*, *Corinthum* adiit. Ibi ex tanto monumentorum praeſtantiſſimorum numero unum ſupereſt templum, idemque ea columnarum craſſitie et ſoliditate, ut ad ultimam poſteritatem pertingere videatur poſſe. Brevitas columnarum, quae ſuperant XIV, conſtructio templi univerſi ex lapide, aliaeque aedificati illius rationes, hoc unum probant, eſſe illud longe antiquiſſimum. Corinthus ipſa tantopere vaſtata eſt, ut ex ſitu templi nulla de auctore et ortu eius coniectura fieri poſſit. Hodie urbs illa vix D. domus, easque diſperſas, complectitur.

Poſthaec *Spartam* conceſſit Noſter. Transeundae illi ante fuerunt ruinae urbis *Cleonae*, et fauces quaedam, quarum latus dextrum ducit ad Silvam Nemeam, in qua dicuntur columnae ſex egregiae conſpici, pars illae forſitan templi Iovis Nemeaei. Delatus in campos Argolicos, intellexit, hanc eſſe eorum magnitudinem et fertilitatem, ut mirum non ſit, primas, quae ex Aegypto in Graeciam venerint colonias, ſedem in illis fixiſſe. Vidit et adiacentem prope *Naupliam (Napoli di Romania)*, urbem munitiſſimam vel Venetarum antiquiore opera, ſed nullo monumento vetere inſignem. Spartam tendens, deprehendit Turcas duos nobiliores vinum bibere, ſecutos in eo proverbium vulgare dialecto Francica: *Turc ſine mange porc et beve vine.* Tranſcenſis poſtea montibus altiſſimis, qui-

undi-

undique, ſi a maritimo latere diſcedas, Spartam circumdant, acceſſit ad urbis huius ruinas. Deſcendens autem de monte Thornace, et traiecto Eurota, dextram verſus petens, Miſitram venit, ruderibus illis, quae diximus, ſiniſtrorſum relictis. Unde emendanda eſt *Furmontii* in Comment. Acad. Inſcript. T. VII. Part. Hiſtor. pag. 357. narratio, tradentis, ſe Miſitra egreſſum traieciſſe Eurotam, itaque Spartam perveniſſe. Nam quem ille Eurotam dicit, *Cnacion* eſt veteri nomine, hodierno *Triti*, rivulus exilis, ad occaſum urbis ſitus, cum Eurotas orientalem huius plagam occupet. Demonſtrat vero Auctor, ſuam ſitus Spartae deſcriptionem apprime convenire cum Polybiana illa relatione de duplici proelio prope hanc urbem inito a Philippo, ex quibus ambobus victor diſceſſit.

Monumentorum Spartae ſuperſtitum alia vitiata tantopere ſunt, ut dignoſci quidem qualia fuerint, neque tamen delineari poſſint, eademque artificium mediocre oſtendunt; alia non prorſus ruinam paſſa ſunt, digna quorum mentio nonnulla iniiciatur. Haec ſunt fere Theatrum et Dromos. Ea poſtremis tabulis Partis Prioris, h. e. XXVII. et XXVIII. viſuntur. *Theatrum* quidem in aedificiis Spartae pulcherrimum fuiſſe conſtat. Non eſt autem diſſimile illi, quod Baccho dicaverant Athenienſes. Hoc in theatro illuſtre illud animi imperterriti documentum edidere Lacedaemonii, audita pugnae Leuctricae calamitate. Viſus eſt ſibi Noſter reliquias ſepulchri Pauſaniae eodem in loco inveniſſe. Columnam autem ibidem conſtitutam, in qua inſcripta erant eorum, qui ad Thermopylas occubuerant, nomina, eam templum Miſitranum tenere hodie videri poſſit. Neque Braſidae cenotaphium, eodem in theatro poſitum, omnino periit. *Dromos,* ſeu ſtadium, in quo decurrebatur, plures adhuc ſervat Inſcriptiones, eorum in honorem, qui palmam curſus tulerunt. Eas a Furmontio collectas Bibliotheca regia cuſtodit. Obtulere ſe poſtea Auctori *Amyclae*, aliaque celebria circa Spartam loca. Huius autem urbis rudera, corruptis a Turcis aquae ductibus,

inculta

inculta plane iacent, atque eius in locum proxima succeffit *Misitra*, quam decem hominum millia, Graeci fere, habitant. Lustrata denique omni hac regione, Athenas revertit le Roy, atque inde in Italiam.

Claudit hanc priorem operis Partem Differtatio, ab Auctore in confeffu Academiae Scientiarum Parifinae A. 1757. lecta, de longitudine pedis Graeci, et de peripheriae terrae magnitudine ex fententia veterum. Nondum nobis ea felicitas in definiendo pede Graeco contigit, quae in Romano, cuius longitudinem Lucas Paetus extra controverfiam pofuit. Nam de pyramide illa Aegypti maxima, quae hodie quoque conftituendo pedi graeco infervire poffet, varia eft et difcrepans veterum narratio, Herodoto bafi eius 800. pedes, aliis plures vel pauciores, tribuentibus. Itaque longe certiorem explorandae menfurae illius Graecae rationem Nofter proponit, non intentatam Sponio. Templum Minervae, Athenis, ἑκατόμπεδον dictum fuiffe a pedum numero, vulgatum eft. Quod cum non minore accuratione, quam magnificentia, conftructum fuerit a populo Graeciae doctiffimo, non dubitat Nofter, pedis in eo obfervati modulum, quamvis Athenienfem duntaxat, in univerfum tamen Graecum adpellare. Docet igitur, pedes illos centum de latitudine templi exteriore capiendos effe, quam expertus eft effe 94. ped. 10. poll. Parifienfium; adeoque *longitudinem pedis Graeci effe* 11. *poll.* 4. *lin.* $5\frac{3}{5}$ *punct. pedis Francogallici.* Id ipfum confirmat egregie, primum oftendendo, hanc a fe propofitam longitudinem confpirare cum ea menfura bafis Pyramidis Aegyptiacae, quae fit partim inter veterum, partim inter recentiorum rationes media; deinde eundem modulum confentire veterum fcito, qui pedis Graeci ad Romanum proportionem ftatuunt 25 : 24. Mox in eo eft Auctor, ut evincat, 180000. illa ftadia, quibus περιφέρειαν terrae abfolvi credebant veteres, Aegyptia effe, non Graeca, adeoque omnium, quibus veteres utebantur, maxima. Quod fi re-

 ceperis,

ceperis, non maiorem hanc inter et Cassinianam ambitus terrae definitionem deprehendes diversitatem, quam $\frac{1}{2794}$.

In limine Partis posterioris legitur Disquisitio de indole principiorum architecturae civilis, quam sibi instituendam Auctor existimavit, ut caveret, ne vel contemtis regulis ingenio tantum suo obedirent Architecti, vel, quod est oppositum huic vitium, exemplis veterum servili imitatione adhaererent. Horum autem architectonices principiorum tres classes facit: primam eorum, quae reiici a nemine sano possunt, suntque adeo axiomata; alteram illorum, quae ingeniosiores populi unanimes amplexi sunt; tertiam regularum, quae quibusdam solum gentibus placuere, quod essent ex harum coelo, moribus, materia aedificandi, petitae. Haec genera, maximeque posteriora duo, ita persequitur, ut clarissime una ante alias eluceat principiorum a Graecis architectis delectorum praestantia. Describeremus inde plura, nisi longius iam in Opere hoc morari nos sentiremus.

Sed princeps dos huius Partis ista est, ut, examinatis superioribus illis monumentis ad regulas architectonicas, pateat habitus diversorum aedificandi generum ad se invicem, et ad monumenta Romana, deinde, quas mutationes Graeca illa genera subierint, appareat. Itaque accurata hic dimensio aedificiorum, Parte priore enarratorum, et partis cuiusque illorum descriptio, relatis singulis ad genus suum, cernitur. Ubi quidem maxime memoranda sunt, quae pag. 19. de genere Caryatidum observantur, ex unico quod superest illius exemplo in templo Erechthei. Praeterea de generum ipsorum initiis et progressibus eleganter et copiose, saepius et apte ad illustrandum Vitruvium, corrigendumque interpretem eius Perraltum, disputatur. Sed nihil attinet, paucula ex his observationibus decerpere. Nam libentius universas legent, comparatis, quibus carere non possunt, delineationibus, architecturae studiosi.

Lau-

Laudandi vero Auctoris non hunc demum locum capiemus, cum videamur eum satis ipsa recensionis continuitate laudasse. Scribendi genere puro utitur, neque ineleganti, inprimisque ad amoenitatem argumentis conciliandam idoneo. Requirant forsitan iure nonnulli Latinum potius sermonem in huius ingenii opere, quam Francogallicum. Nam illa perspicuae et concinnae narrationis lumina, quibus quasi illustrari aeterna Graecae Romanaeque antiquitatis monumenta debent, unde nisi a Latinis litteris exspectanda sunt? Sed tamen cum Architecto artis suae inter paucos peritissimo, Graecorumque et Romanorum librorum minime ignaro, non agemus severius. Confidimus certe, hos eius Commentarios non leviter commendaturos cum lectoribus omnibus, tum popularibus inprimis ipsius, doctae antiquitatis studium, quod horum hodie pars admodum tenuis, Francogallos volumus, accurate et sapienter tractare nobis quidem videtur. Est autem opus omne non solum charta et litterarum formis, sed lineis etiam ab Auctore ductis, dein beneficio laminarum aenearum expressis, adeo nitidum et comtum, vix ut illi pulchrior quaedam species tribui potuerit.

DE CAUSSA FRIGORIS TERRESTRIS QUAERENDA in Caelo frigido. Auctore IO. HENRICO WINCKLERO, Physices Prof. Lipsiensi.

Calorem, positum in certo motu igniculorum, quos calida continent, minui novimus, si vel igniculi isti ex corpore discedant, vel motus eorum desinat. Conclave calore privatur, collectis ex camino igniculis abeuntibus per apertas fores. Percussu obliquo candefacti ferri calor remittit, cessante malleo. Non aufugiunt igniculi. Repetitis enim ictibus mallei ferrum recandescit. In exploranda igitur caussa frigoris, quod in aere nostro generari sentimus, anquirendum est, hisne duobus modis re-

frigeretur aer, iique sufficiant excitando frigori vehementiori, quod interdum praeter ordinem nascitur?

Radii solares calefaciunt aerem nostrum pulsu, quo cientur igniculi hospitantes in vaporibus et materiis, quibus aer refertus est. Excitatus hic calor itaque decrescit cum remissione pulsuum solarium, qua fit, ut igniculi requiescant a motu. Oriundi ex calidioribus regionibus venti advehunt igniculos, qui, quando diffugiunt in loca minus calida, vim facti caloris secum auferunt. Nivales et glaciales particulae, materiaeque salinae, a Borea et Aquilone advectae ex aere, per quem disperguntur, in se recipiunt igniculos, utpote qui continue in loca nituntur, in quibus certa est igniculorum vacuitas. Itaque frigus oriri patet in aere nostro tum intermisso impetu solari, quo cieantur igniculi, tum his aufugientibus in data loca vacua.

Sed quaeritur de spatio, ubi aperiantur loca ista, in quae ingrediantur ex Atmosphaera nostra terraeque superficie et crusta igniculi tanta copia, ut extraordinarium frigus interdum existat? Percurramus cogitatione singularia, quae in frigore extraordinario attentos reddunt observatores explorandi studio occupatos. Non eadem vis est frigoris quotannis eodem tempore, in eadem Zona, eodemque climate. Inopinato accidit, ut existat frigus saeviens in locum, qui eodem anni tempore superioribus annis ab eiusmodi inclementia caeli immunis fuit. Superiore anno 1759. vergente Novembri, per tres dies Lipsiam afflixit acre frigus, quod, facta intermissione quatuordecim dierum, circa medium Decembrem rediit auctum maiori impetu, qui frigus, quod A. 1758, 1757, 1756. et 1755. in Thermometro Delisliano hora matutina octava notavi, compluribus gradibus superavit, quos subiecta tabula exhibet.

An.

			An.		
	1759	1758	1757	1756	1755
Nov.	gr.	gr.			
23	168	148	145½	153	vacat
24	168½	154¾	148	153	vacat
25	166½	151	144	153	vacat
Dec.					
12	166½	vacat	148	159	142½
13	169½	vacat	151⅔	158	146
14	168½	152	151	157½	146
15	168½	155	147½	153	148¼
16	163	145	148	151½	149½
h.8. 17	170½	146½	149¾	148	Pluvia
h.8½.—	172½				
18	176½	146	150	148	147

Fieri ſolet, quod uſu cognitum in Scriptiuncula de Caelo frigido indicavi, ut hieme, cum per diem caelo ſereno frigoris modum temperavit Sol, poſt eius diſceſſum ſtatim ingruat gelu acutum, licet ex regione frigidiori oriundus ventus, quem index ſignificat, admodum leniter ſpiret. Boreas, Aquilo, et Subſolanus, frigus afferre dicuntur. Quod vero non aeque vehemens eſt ſingulis annis, eodem menſe, eodemque die. Ita die 12. et 13. Decembris, anni praeteriti, Subſolanus flavit. Idem ſpiravit A. 1756. iisdem diebus Decembris. Et hoc anno atque anno 1758. die 14. Decembris Boreas agitavit aerem. Sed obſervati frigoris gradus multum inter ſe differunt. Non ſolum diebus hiemalibus nonnunquam extraordinarium frigus impetum facit in noſtrum aerem, ſed in ipſa aeſtate interdum diebus fervidis, ſpirante Favonio, cuius flatu vim frigoris hiemalis depelli novimus, conglaciato imbre grando gignitur.

Quam cauſſam eſſe putemus tum, cum grandinat, in aere, quae cohibeat efficientiam radiorum ſolarium, ef-

ficiatque hoc, ut ex humoribus natisque guttulis pluviis egrediatur tanta copia igniculorum, ut grana glacialia decidant? Nubi pluviae ſubiectus aer, cum caleat, haud praebet loca, in quae ex naſcentibus guttulis demigrent igniculi. Favonius appellit aerem ita plenum igniculis, ut deſint loca, in quae tranſeant igniculi guttularum. Similiter hac capacitate caret aer quietus, qui nubi pluviae ex reliquis plagis adiacet. Itaque ſequi videtur, ut aut in aerem, in quo guttae pluviae glaciantur, ex locis ſuperioribus materiae frigidae demittantur, aut locorum ſuperiorum Atmoſphaerae is ſit ſtatus, ut igniculis guttularum adſcenſus pateat. Utroque modo planum eſt, rationem frigoris, quo guttulae pluviae in glaciem vertuntur, repetendam eſſe ex Caelo frigido.

Inquiramus nunc in cauſſam frigoris vehementioris ſubito naſcentis poſt Solis occaſum, ſereno placidoque caelo, flante tamen vento frigido. Deſierunt radii ſolares agitare igniculos Atmoſphaerae, in qua frigus ingraveſcit. Sed haec remiſſio, quanquam eſt cauſſa decreſcentis caloris, tamen, cum annis ſuperioribus, iisdem diebus, quibus Sol verſatus eſt in eodem loco Eclipticae, et quibus ex eadem plaga caeli ſereni et quieti ſpiravit ventus, aeque acutum frigus non effecerit, haberi non poteſt pro ſola et unica cauſſa eius, quod in iſto frigore extraordinarium eſt atque praevalidum.

Non eſt quod exiſtimemus, oriri frigoris huius vim ex hoc, quod derepente vacuefacta ſint in cruſta terrae loca certa, in quae igniculi ex Atmoſphaera irruant. Evacuari haud poſſent loca iſta, niſi iis ipſis inſidentes igniculi commigrarent inde in loca terrae interiora. Hoc vero eſſe ingenium terrae, ut, qui ſuperficiem eius atque cruſtam complent, igniculis certis temporibus introrſum commeent, ex eo, quod de fundo marium et fluminum et terrae cavernis compertum habemus, colligi non poteſt. In fodinis metallicis nihil deprehenſum fuit, ex quo intelligatur, abire igniculos in loca interiora. Sub Pariſino Obſervato-

rio

rio, in hypogeis, liquor in thermometro aestate et hieme eundem fere gradum servat. In fundo marium et fluminum aqua non concrescit glacie. Quod tamen sine dubio fieret, si ex superficie et crusta terrae, cui maria et flumina incumbunt, in spatia terrae intestina igniculi se reciperent eo tempore, quo frigus acutum Atmosphaeram occupat.

Itaque frigoris acrioris origo in Caelo frigido quaerenda esse videtur. Ab oriente et septentrionibus spirantes venti afferunt quidem id, quod aerem nostrum calore privet. Sed quaeritur, quid hoc sit? Positum esse dicitur in particulis nivalibus, materiisque salinis, quas apportent venti isti. At vero cur accidit nonnunquam, ut, radiis solaribus temperato frigore, aerem serenum nec turbatum flatu Subsolani post Solis occasum e vestigio penetret frigus horribile? Simile observarunt Galli, *Bouguer* et de *la Condamine*, cum Hispano *Antonio de Ulloa*, in montibus Americanis, quorum catenam *Cordeliére* nominant. In iis nivium superficiem altiorem nubibus, affectam per diem radiis solaribus, liquescere viderunt, eandemque liquefactam gelari statim post obitum Solis. Hanc efficientiam frigoris ex ipso Caelo frigido prodire, neminem dubitaturum esse arbitror, qui cognita habeat, quae Galli de montibus illis et campis, ab urbe Quito ad Meridiem et Septentrionem excurrentibus, commemorarunt. In hisce campis perpetuum ver est, et ita temperatus calor, ut in Thermometro Reaumuriano liquorem ad 13. et 14. gradum supra punctum glaciale haerere perpetuo viderint. Ipsi vero montes ignibus abundant, qui perenni impetu agitantur, et frequenter furentes flammas et saxeas ignitasque moles eructant. Quo more ipse *Pichincha* olim saeviit. Quidni igitur Caelo frigido tribuamus vim, qua apud nos interdum existat frigus subitaneum atque acerbum in aere sereno, orbato viribus Solis? Sentimus interdum hieme penetrabile frigus, adiunctum spiranti Subsolano, qui idem annis superioribus, die quo Sol in eodem loco Eclipticae fuit,

fuit, coniunctus fuit cum frigore mitiori. Facilis esse videtur explicatio quaestionis de caussa huius discriminis, si Subsolani et reliquorum ventorum refrigerantium flatu modo maiorem, modo minorem copiam, materiarum frigidarum in aerem nostrum inferri ponamus. Sed qualia esse autumemus frigida illa corpuscula, quae Subsolanus importet? Num salina? Unde liquet, ex terris illis, quas peragravit, seiungi tantam salinarum partium copiam, quanta opus foret ad excitandum frigus, quo Hungaria, Polonia, Germania, aliaeque terrae cohorrescant? Glacies et nives, quibus Polo Arctico vicinae regiones abundant, satis forsitan materiarum suppeditent, quibus Aquilo et Boreas referciant Atmosphaeram nostram. Sed unde nascitur frigus illud septentrionale, quod adeo praevalet vi ad generandas nives, et conglaciandas aquas? Nonne tandem in Caelo frigido, quod terras polares tantum non attingit, quaerenda esse videatur prima caussa frigoris terrestris?

Haec vero cogitatio affert novam quaestionem, de ratione, qua Caelum frigidum Atmosphaerae terrestri frigus inducat? praebeatne tantum vias, per quas igniculi Atmosphaerae immixti diffundantur; an ex eo descendant materiae, quae mixtae cum Atmosphaera coerceant igniculorum potentiam? Quae quidem disquisitio in tanta est difficultate, ut tractanda sit in scriptione separata.

Des Herodotus IX. Bücher,

i. e.

HERODOTI HISTORIARUM LIBRI IX. E GRAECO in vernaculum sermonem translati a IO. EUSTACHIO GOLDHAGEN, Schol. Magdeburg. Rect.

Lemgoviae, in offic. Meyeria, Alph. 2. plag. 3. 1756. in 8vo.

Nuper

Nuper Thucidideae versionis mentionem fecimus, nunc Herodoteam indicabimus, quae, licet quod ad accuratam diligentiam et animadversiones attinet, illa longe inferior sit, superior tamen orationis elegantia nobis esse videtur. Atque haec virorum doctorum opera etsi non iniucunda nobis est, eamque et patriae nostrae honorificam esse, et civium commodis inservire, videmus: etiam tamen atque etiam videndum esse monemus, ne, si tali modo ignaviae hominum blandiamur, ipsa Graeca lingua, illa ingenuarum artium parens et altrix, quae iam iacere plurimisque sordere videtur, extinguatur. Quam editionem Cl. *Goldhagen* secutus sit, non indicavit, atque hoc silentio et sibi et lectoribus non bene consuluit. Iacobi Gronovii vero editionem, quae ipsi fortasse magno adiumento esse poterat, fere ignorasse videtur. Nam inter eos, quos Vir Cl. de Herodoto bene meritos esse commemorat, Gronovii nomen non occurrit. Ipse quidem ait se aliquoties Herodoti verba emendasse, et has in versione emendationes expressisse, sed nullum exemplum adferre voluit. Hoc suum consilium ut rigidioribus paullulum iudicibus sit probaturus vehementer veremur, etsi eum bonam sibi hoc modo defensionem paravisse non negamus. Nam, quoties non recte Herodoti verba intellexit et expressit, semper ostendenti haec peccata respondere poterit: ego hunc locum emendavi, atque ideo, diversam a vulgatis lectionem secutus, non aliter Graeca vertere potui. Verum nihil impedit, quo minus, quando versionem ab ipsa Herodoti oratione abhorrere invenimus, Nostrum peccasse, et male verba interpretatum esse, dicamus. Animadversiones Vir Cl. nullas adiecit, licet ipse aegre multis in locis lectorem illis carere fateatur. Addidit indicem, quo Mythologiae, antiquitatum, et Geographiae antiquae ignaris consulere studuit. Denique, cum orationis Herodoteae naturalis quaedam sit pulchritudo, quae, nullis pigmentis oblita, simplicitatem antiquissimorum temporum redoleat, illud se operam dedisse dicit, ut hanc in versione

pulchritudinem exprimeret, neque orationi Herodoti colores induceret, a quibus ipſe abhorruit. Quomodo promiſſis his ſteterit Noſter, deinceps videbimus. Nam, quia ſe magnam illis gratiam habiturum eſſe profitetur, qui accuratius hanc verſionem examinent, *librum ſeptimum* diligenter et ſedulo excuſſimus. Secuti vero ſumus editionem Francofurtenſem, A. 1608. a Gothofr. Iungermano adornatam.

Cap. 2. *ἔσαν γὰρ Δαρείῳ καὶ πρότερον ἢ βασιλεῦσαι τρεῖς παῖδες — καὶ βασιλεύσαντι ἕτεροι τέσσαρες*: hoc ultimum, poſteaquam iam regno potitus fuerat, omiſſum eſt. At hoc verbo omnis illa controverſia, inter liberos Darii orta, nititur. Cap. 6. *τήν τε ἔλασιν ἐξηγεόμενος*: nimium ſecure ſecutus eſt Noſter latinum interpretem, qui vertit: *et ad expeditionem illam pertinentia recenſet.* Ideo interpretatur: *und was ſonſt zu dieſem Feldzuge gehoerte.* Non bene hoc. Potius: *commemorans traductionem exercitus in Graeciam.* vid. cap. 9. *ζεύξας τὸν Ἑλλησπ. κ. λ.* et praecedentia attende. Cap. 9. *Γῆν τε τὴν Περσίδα ἀποδέξομεν τῷ Διὸς αἰθέρι ὁμουρέουσαν, — zeigen werden, daſs nur die Lufft das Reich Iupiters, Perſien umgraenze.* Primum ambiguum eſt, utrum Perſia, an aer, regnum Iovis dicatur: deinde aer regnum Iovis dici non poteſt: porro non commodus eſt ſenſus, *die Lufft nur umgraenzet dies Land:* denique *ἀποδέξομεν* hic nōn pro oſtendere, ſed pro facere, efficere, reddere, ſumendum eſt. Nos ſic vertimus: *und dem Perſiſchen Reiche gleiche Graenzen mit dem Himmel des Iupiters verſchaffen werden.* Simili ſententia ſaepe Latini ſcriptores de imperio Romano uſi ſunt. Cap. 10. *ὅς τά τε ἄλλα λέγων ἐπίκεο ἄριστα καὶ ἀληθέστατα, indem du nicht nur insgemein —.* Parum eleganter et provide ita Mardonius cum rege loqueretur. Quin potius: *indem du nicht nur andere vortreffliche —.* Ibid. *οὐκ ἐάσεις καταγελάσαι ἡμῖν, nicht zugeben willſt, daſs die Ionier uns verlaſſen.* Καταγελᾶν nunquam ſignificat deſerere, ſemper irridere, ludibrio et contemtui habere. Ibid. *καὶ γὰρ*

δεινὸν

δεινὸν ἂν εἴη πρῆγμα, non bene vertit, *denn es waere doch empfindlich* — potius: *Es waere unbillig, wenn wir andere, die uns nichts zuwieder gethan, bekrieget hätten, und uns doch an denen Griechen, welche uns beleidiget*—. Cap. 11. *ἐπεὰν δὲ παρατρίψωμεν ἄλλῳ χρυσῷ* — *wenn es aber gegen ander Gold gehalten wird:* nam et Valla vertit: *comparatum cum altero.* Non ſatisfaciunt vero haec Graeco. Stephanus ſolus verum vidit. Ibid. *δι' ὧν ἐσφάλησαν ἀναξίως ἑωυτῶν*, *um deſswillen ſind einige gantz anders, als man es von ihrer Macht haette vermuthen ſollen, zu Grunde gegangen.* Locus hic eſt: — *στρατὸς πολλὸς* — *διαφθείρεται* —*ἐπεάν σφι ὁ θεὸς φθονήσας φόβον ἐμβάλῃ ἢ βροντήν, δι' ὧν* —. Quid igitur eſt, quod intruſerit Noſter *einige?* aut *ἀναξίως ἑωυτῶν* non verterit, *auf eine ihnen ganz unanſtaendige Art?* Ibid. non exhauſit vim verborum *εὕρημα εὕρηκε*, vertens, *der hat ſeinen Zweck erlangt.* Vertere debebat, *er iſt durch einen bloſſen* (ſ. *blinden*) *Zufall glücklich.* vid. infra cap. 149. Cap. 14. *ὡς ὦν μεταδεδογμένῳ μοι μὴ στρατεύεσθαι* —: *Weil ich alſo entſchloſſen bin, den Griechiſchen Krieg zu unternehmen.* Nimis, ut ſaepius, hic Vir Cl. feſtinans, contrariam ſententiam expreſſit. Cap. 17. *ὥστε δόξει, ἐμὲ ὁρῶν, σὲ εἶναι, τῇ σῇ ἐσθῆτι τεκμαιρόμενον*, *daſs es mich für dich anſehen, und dich alſo bloſs an den Kleidern kennen ſollte.* Non opus hac *περιφράσει*. Melius ſic: *daſs es mich für dich anſehen, und ſolches aus deiner Kleidung ſchlüſſen ſollte.* Ibid. *μέχρι δὲ τούτου τῇ παρεούσῃ γνώμῃ χρήσομαι*, *alsdenn will ich der vorgetragenen Meinung Beyfall geben.* Unde haec interpretatio nata? Hercle! a Valla. *Tuae ſententiae acquieſcam.* Verte: *bis dahin aber will ich auf der gegenwaertigen Meinung beharren.* Cap. 29. *κέκτησό τε αὐτὸς τάπερ ἐκτήσαο, ἐπίστασό τε εἶναι αἰεὶ τοιοῦτος*: *Bleib du in dem Beſitze deſſen, was du beſitzeſt, und ſuche dich allezeit in dem Stande zu erhalten.* Falſo. ſenſus eſt: *und führe dich allezeit auf dieſe Art gegen uns auf.* Nihil apertius, ſi ſequentia attendas: Ὀυ γάρ τοι ταῦτα ποιέοντι — *μεταμελήσει.* Cap. 30. omiſit Noſter in verſione

ſione *διὰ ςαδίων πέντε, ὡς μάλιςα.* Cap. 37. *οὔτ' ἐπὶ νεφέων ἐόντων, αἰθρίης τε τὰ μάλιςα, die Sonne wurde unſichtbar nicht unter die Wolcken, ſondern bey vollkommen heller Lufft.* Potius ſic: *nicht bey trüben Wetter.* Cap. 38. *ὦ δέσποτα χρήσαις ἄν τι κ. λ.* eſt interrogative ſumendum. *Faciesne mihi illius copiam* etc. Ibid. *καὶ πρήξας τὰ νοέεις, νοςήσειας ὀπίσω, und thue, wenn du zurückkomſt, was dir gefaellt.* Vel ordo verborum Noſtrum verum ſenſum docere poterat. Verte: *wenn du deinen Anſchlag ausgeführet haſt, ſo komme (glücklich) zurück.* Cap. 41. *εἶχον δὲ χρυσέας ῥοιὰς καὶ οἱ ἐς τὴν γῆν τρέποντες τὰς λόγχας, καὶ μῆλα οἱ ἄγχιςα —*: Silberne *trugen auch die, welche ihre Lanzen gegen die Erde kehrten, und* güldne Aepfel, *die den Xerxes —.* Error eſt manifeſtus. Cap. 46. *τῷ ȣ̓ παραςήσεται πολλάκις καὶ οὐκὶ ἅπαξ τεθνάναι μᾶλλον βȣ́λεσθαι, ἢ ζῆν: daſs er nicht einigemahl in ſolche Umſtaende gerathen ſollte, daſs er nicht lieber ſterben als leben wollte.* Quid ſibi vult *einigemahl?* In Graeco eſt *πολλάκις κ. ȣ̓. ἅ. παρίςασθαι* eſt in mentem venire. Quare verte breviter: *daſs er nicht vielmahl ſich lieber den Tod als das Leben wünſchen ſollte.* Cap. 49. *ἀλλὰ παρὰ πᾶσαν τὴν ἤπειρον, παρ' ἣν δὴ κομίζεαι: ſondern dergleichen müſsten ſich allenthalben, wo du nur hinkommſt, finden.* Verte potius ſic: *ſondern dergleichen (Hafen) müſsten um das ganze feſte Land ſeyn, wo du hinzieheſt.* Ibid. *ὅσῳ ἂν προβαίνοις ἑκαςέρω, τὸ πρόσω αἰεὶ κλεπτόμενος, ie weiter du fortgeheſt, und niemals weiſst, was du noch vor dir haſt.* Nodum in ſcirpo quaerit Vir Clar. Cur non propriam et primam verborum vim admittamus, quam ſeries orationis etiam poſtulare videtur? Ibid. *εὐπρηξίης γὰρ ȣ̓κ ἐςὶ ἀνθρώποισιν ȣ̓δεμίη πληθώρη: denn ein glücklicher Fortgang in allen Unternehmungen befriediget die Menſchen niemals dergeſtalt, daſs ſie nicht immer weiter fortgehen wollten.* Quae ambages, et quam praeter neceſſitatem? Verte: *die Menſchen koennen des Glückes nicht ſatt werden.* Cap. 52. *Τῶν ἀπεφήναο γνωμέων σφάλλεαι κατὰ ταύτην δὴ μάλιςα: in keiner Sache betrügſt du dich mehr.*

Potius:

Potius: *am meiſten irreſt du unter denen von dir vorgetragenen Meinungen, in dieſer.* Cap. 57. ὀπίσω δὲ περὶ ἑωυτῦ τρέχων ἥξειν ἐς τὸν αὐτὸν χῶρον, *nachhero aber mit Furcht und Sorge in ſein Land zurucklaufen.* Omiſit Noſter illud περὶ ἑωυτῦ, et τρέχων explicuit per currere. Verum ex ſimili locutione apud Herodotum, neſcio in quo libro, τρέχειν περὶ ψυχῆς, hanc explicare poterat. Cap. 61. ubi Herodotus habitum et arma militum accuratiſſima diligentia commemorat, parum accuratum Noſtrum fuiſſe videmus. Sic hic omiſit, παρὰ τὸν δεξιὸν μηρὸν: in cap. 66. τόξα ἐπιχώρια expreſſit, non καλαμίνα, nec ibid. paullo poſt ἐπιχώρια. Cap. 82. κόσμον πλεῖστον παρείχοντο διὰ πάντων Πέρσαι, *die Perſer hielten unter allen andern die beſte Ordnung.* Eſt quidem κόσμος idem quod εὐταξία, verum hoc loco ſignificatio εὐπρεπείας nobis potior videtur. Statim Herodotus auri et argenti mentionem facit, et vid. quae in cap. 61. ſcripſit. Vertimus: *ſie machten den herrlichſten Aufzug.* Cap. 83. ἐπὶ τῇσι κεφαλῇσι εἶχον ἔνιοι αὐτέων καὶ χάλκεα καὶ σιδήρεα ἐξεληλαμένα ποιήματα, *nur daſs einige von ihnen Helme von Erz oder Eiſenblech trugen.* Non galeas indicare voluit Herodotus, quas cur χάλκεα ποιήματα appellaret? cur non potius, ut ſemper alias, dixiſſet κράνεα χάλκεα? Cap. 99. omiſit Noſter in verſione συστρατευόμενον αὐτῷ ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα. Cap. 108. Βησσοὶ δὲ τῶν Σατρέων εἰσὶ οἱ προφητεύοντες τῦ ἱρῦ: hic vel ipſe Vir Cl. emendavit, vel aliorum emendationes ſecutus eſt. Nam, ſi vulgatam lectionem interpretari voluit, cur vertit? *die Ausleger der Weiſſagung halten ſich in einer Höhle in dem Tempel auf.* Legit fortaſſe pro Βησσοὶ, βῆσσαι. Sed neque cur mutandum aliquid ſit intelligimus. Cap. 115. εἰ καὶ ἄριστον προείρητο ὅμοια τῷ δείπνῳ παρασκευάζειν. Non cepit Noſter ſenſum huius loci: nam non vertere debebat: *wenn den Abderiten anbefohlen waere, für ihn eine eben ſolche Mittags- oder Abendmahlzeit zuzubereiten,* ſed: *wenn ihnen anbefohlen würde, eine eben ſolche Mittags- als Abendmahlzeit zuzubereiten.* Verum totius loci

acumen non intellexisse videtur. Nam praecedentia: καὶ τῶν λοιπῶν σφι ἀπαμύνειν τῶν ἐπιόντων κακῶν τὰ ἡμίσεα, vertit: *von dem bevorstehenden Uebel die Hälffte abzuwenden;* sed sensus hic est: *Gleichwie die Goetter gegeben, dass Xerxes nur einmahl des Tages gegessen, so sollten sie auch von denen übrigen ihnen bevorstehenden Uebeln, die Hälffte abwenden.* Cap. 126. ἐπὶ τούτοισι (nempe, qui aqua et terra tradita se Persae dediderant,) οἱ Ἕλληνες ἔταμον ὅρκιον, οἱ τῷ βαρβάρῳ πόλεμον ἀειράμενοι: *Gegen iene machten die Griechen, welche sich mit dem Perser in ein Bündniss einliessen, ein Bündniss.* Quid est male vertere, si hoc non est? Ibid. omisit in versione: τὸ μὲν ὅρκιον ὧδε εἶχε τοῖς Ἕλλησι. Fatemur, salva loci perspicuitate, haec abesse posse. Sed cum Herodotus ita locutus, atque Vir Cl. se simplicitatem orationis Herodoteae esse expressurum professus sit, non erant omittenda. Cap. 127. Ἀλλὰ τοῦτο ΟΥ διὰ ταύτην τὴν αἰτίην δοκέω γενέσθαι: *aber das ist auch wohl um dieser Ursache willen geschehen.* Gravis lapsus, ex nimia festinatione ortus. Cap. 129. οὐκ ἂν δόρασι συμβουλεύοις ἡμῖν περὶ αὐτῆς μάχεσθαι, ἀλλὰ καὶ πελέκεσι. Videant et iudicent viri docti, an recte Noster interpretatus sit: *so würdest du uns rathen Gut und Blut für dieselbe aufzusetzen.* Cap. 135. Σοὶ δὲ τόδ' αὖτις ἔπος ἐρέω, ἀδάμαντι πελάσσας: *doch sag ich dir dieses Wort, der du zu dem unbeweglichen nahest.* *Probe fecisti*, ait ille apud poetam, *incertior multo factus sum.* Quid latinus interpres? immo peius: *hoc tibi fabor responsum, adamanti propinquans.* Iudicent alii, an recte coniiciamus, talem esse huius versus sensum, qualis est illius, apud Homerum saepe occurrentis: Ἀλλ' ἔκ τοι ἐρέω, τὸ δὲ καὶ τετελέσθαι ὀΐω. Cap. 137. τὸ οὔνομα μὲν ἦν Θεμιστοκλέης, παῖς δὲ Νεοκλέος ἐκαλέετο:. *Themistokles, der Sohn des Neokles.* Non indicare hoc voluit Herodotus, qui, ut alias, tum dixisset: Θεμιστοκλέης ὁ Νεοκλέος. Bene hoc iam monuit Stephanus contra Vallam, qui eodem modo, quo Noster, interpretatus est. Cap. 140. μεμφθεὶς τῶν στρατηγῶν τὴν γνώμην: *gab er denen Generalen einen*

nen Verweiſs. Primum non indicant hoc Graeca verba; deinde apparet e ſequentibus contrarium: Xerxem haec audientem ad duces ſatellites miſiſſe, qui iuberent, ut ſpeculatores ad ſe mitterentur. Verte: *er war mit dem Entſchluſſe der Generale nicht zufrieden.* Cap. 145. καὶ ἐδεμίην νομίζειν πόλιν Ἄργεος φιλιωτέρην: *und daſs ihm keine Freundſchafft angenehmer ſey, als die Freundſchafft der Stadt Argos.* Haec ſententia non elicitur, ſed extorquetur e Graeco. Verte: *daſs er von der Freundſchafft keiner Stadt mehr überzeugt ſey, als* etc. Cap. 146. ἐδέ τινα γνώμην περὶ αὐτέων ἀποφαίνομαι ἄλλην γε ἢ τήν — —: *genug ich mache* auch *das bekannt, was* —. Non ſatis accurate Vir Cl. verborum Graecorum vim ſecutus eſt. Cap. 147.. ἑνός τε τῶν προγόνων, *einer von ſeinen Nachkommen.* Talia verbo indicaſſe ſufficiat. Cap. 161. omiſſum eſt in verſione ἐπὶ τοσῦτο γὰρ λέγεται ἑλκύσαι τὴν σύστασιν. Cap. 162. οὗτοι μὲν οὕτω διεκρούσαντο τὲς Ἕλληνας, *ſo hintergingen ſie die Griechen.* Nobis hanc ſignificationem, pro fallere, nunquam occurrere meminimus, ſaepius vero pro repellere, ſummovere. Poſſes ita vertere: *Auf dieſe Art ſchafften ſie ſich die Griechen vom Halſe,* ſive, *hiermit fertigten ſie die Griechen ab.* Cap. 164. omiſit Noſter θεῦ σφε ἐποτρύναντος. Cap. 165. dedit quidem ἄλλους ἀνθρώπες, ſed neglexit καὶ μάλιστα Ἕλληνας. Cap. 167. πέμπειν κατὰ θάλασσαν πεζὸν στρατὸν φυλάζοντα τὴν ἐσβολὴν, *zu Lande eine Armee nach Theſſalien zu ſchicken, welche den Eingang am Meere bewahren ſollte.* Quomodo tandem fieri potuit, ut Vir Cl. in errorem induceretur, cum Herodotus ſtatim addat: ὡς δὲ συνελέχθη ὁ στρατὸς, ἔπλεε δι' Εὐρίπε — ἀποβὰς — τὰς νέας αὐτῦ καταλιπὼν — καὶ ἀπικέατο ἐς τὰ Τέμπεα ἐς τὴν ἐσβολὴν: et infra καταβάντες ἐπὶ τὰς νέας. Cap. 177. Πάμμων Σκύριος, *Thermus der Skyrier.* Nunc nobis aliquot loca occurrunt, in quibus omiſit Noſter quaedam, quae in verſione exprimere debuit. Sic cap. 183. omiſit γηοχέοντι περὶ Σηπιάδα: Cap. 193. κατ' ἃ (ἔρεα) Τρηχὶς πεπόλισται: Cap. 201.

οὗτοι

οὗτοι μὲν δὴ οὕτω διενειχάντο ποιήσειν: Cap. 207. *Ἐπιάλτης μὲν οὕτω ὕστερον τουτέων ἀπέθανε.* Cap. 212. *Φεύγοντες ἐπὶ τοῦ ὄρεος τὸν κόρυμβον, ἐπιστάμενοι ὡς ἐπὶ σφέας ὁρμήθησαν ἀρχήν*: *fliehen auf eine andre Huehe des Berges, in der gewissen Meinung, dass die Feinde auf sie lossgehen würden.* Non est in Graeco *andre Höhe*, et ultima falso Vir Cl. intellexit. Non dixit Herodotus *ὁρμήσονται*, sed *ὁρμήθησαν.* Cap. 216. *Θεσπιέες δὲ καὶ Θηβαῖοι κατέμειναν μοῦνοι παρὰ Λακεδαιμονίοισι*: *Die Thespier und Lacedaemonier blieben allein bey den Spartanern.* Verum haec hactenus. Nos quidem nescimus, casune inciderimus in librum, negligentius a Cl. *Goldhagen* habitum, an reliqui octo libri iisdem erroribus scateant. Sed si in his vertendis non maiorem diligentiam adhibuit, omnes intelligunt, non magnum huic labori pretium statuendum esse. Nam in hoc libro examinando eiusmodi peccata invenimus, ut aliquoties vix oculis nostris fidem haberemus.

IO. DANIELIS SCHOEPFLINI, CONSIL. REG. ac Franciae Historiogr. Vindiciae Typographicae.

Argentorati, apud Io. Gothofr. Bauer, 1760. plag. 22. quatern.

Cum maxima sit ad omnes vitae partes utilitas typographiae, cui bonae litterae non ornamenti modo plurimum debent, sed salutem etiam ac vitam propemodum ipsam, non mirum videri debet, plurimos de inventore et inventionis loco acerrime disputasse. Verum in omni hac disputatione viros doctos non satis accurate praeludia, primitias, et perfectionem artis attendisse, eaque invicem a se distinxisse, Cel. *Schoepflinus* arbitratur: primos inventores, originis verae conscios, lucro tantum, non gloriae intentos fuisse, plures per annos artem occultasse, illiusque perfectoribus occasionem dedisse inventionis gloriam sibi tribuendi. Accedere ambiguum verbi typographiae sensum,

ſum, diverſimode explicatum et adhibitum: alios libros ex tabulis ſolidis expreſſos, typographiae accenſuiſſe: alios veram typographiae indolem in matricibus collocaſſe: neglectum igitur definitionis valde *Gutenbergii* cauſae obfuiſſe, qui neque tabularum ſculptarum, neque fuſarum litterarum auctor fuerit. Denique *Gutenbergii* Argentorato Moguntiam reditum, *Genſfleiſchii* et *Gutenbergii* quaſi diverſorum permutationem, urbium, ubi *Gutenbergius* natus, et ubi artem inveniſſet, diverſitatem, litterarum fuſilium et ſculptarum confuſionem, valde incertas huius artis origines reddidiſſe. Cel. *Schoepflino* quidem ſemper ſuſpecta fuerunt fundamenta, quibus innixi Alſatici Scriptores typographicas Argentorato primitias tribuerunt; eidemque valde mirum viſum eſt, *Gutenbergio*, cui Europa hoc ſe beneficium debere profiteatur, *Mentelium* opponi, quem primarium typographiae Argentinenſis artificem, non primum, exiſtimavit. Tandem invenit Vir Cel. in turri quadam, cimelia Argentinenſia cuſtodiente, praeter omnem opinionem, codicem A. 1439. in in quo publice perſcripta ſunt Acta Senatus, et nomina teſtium, eorumque teſtimonia, in lite *Gutenbergio* mota, dicta, conſignata. Cum igitur omnis Argentinenſium cauſa in ſolo *Gutenbergio* vertatur, illiusque vita Argentorati acta origines typographicas contineat, accuratam et doctam Vir Cel. hiſtoriam vitae *Gutenbergii* ex publicis documentis contexuit.

Ioannes Gutenberg, ex equeſtri *Sorgenlochiorum* genere ortus, et Moguntiae natus fuit. Mortuo patre, in re familiari mediocri conſtitutus, Argentoratum circa A. 1430. migravit, ibique, cum Argentinenſibus ſociis, artis typographicae primitias clanculum tractavit. Nam quoniam ſe, modicis opibus inſtructum, artem ſolum perficere non poſſe vidit, paravit ſibi ſocios, qui ſe ope et pecunia adiuvarent. Inde vero nata fuit *Gutenbergio* lis illa, quae in chartis, a Cel. *Schoepflino* inventis et productis, perſcripta eſt. Petierat *Andreas Drizehenius*, civis Argentinenſis, a *Gutenber-*

tenbergio, familiari ſuo, ut ſe novarum artium, quibus tractandis ingenium exerceret, participem faceret. Non defuit hic amico, illumque artem lapides poliendi docuit. Iam, cum idem *Drizehenius* certior fieret, *Gutenbergium* aliam ſocietatem cum *Riffio*, Lichtenavienſi trans Rhenum iudice, ſocietatem inſviſſe, in hanc quoque ut admitteretur poſtulavit. *Gutenbergius*, accepto 160. florenorum praemio, tam hunc, quam alium civem, *Andream Heilmannum*, recipit. Poſtea vero, cum frequentes hi *Gutenbergium* inviſunt, alias praeterea illum artes noſſe et exercere intelligunt, multisque precibus contendunt, ut ſe has artes doceat. Pollicentur ſocii, ſe 250. florenos, et 100. quidem parata pecunia, reliquos 150. certis temporibus, ſoluturos eſſe. Reſtant ex hac ſumma 85. floreni ſolvendi, cum *Andreas Drizehenius* moritur: huius frater, *Georgius*, in locum mortui fratris recipi cupiens, a ſociis vero reiectus, *Gutenbergio* diem dicit. Senatus, cognita cauſa, et auditis teſtibus, decernit, ut, ſi *Gutenbergius* fidem pacti iureiurando aſſerat, et 85. iſtos florenos nondum ſibi ſolutos eſſe demonſtret, reliquis 15. florenis heredibus ſolutis cauſa liberetur. Quae omnia ex iuſſu Senatus *Gutenbergius* praeſtitit.

Iam ex teſtium effatis, in cauſa *Gutenbergia* coram iudicibus litteris mandatis, Vir Cel. haec colligit: *Gutenbergium* Argentinae manibus ſuis typographiam non ipſum tractaſſe, ſed operis inventorem et directorem fuiſſe: *Andream Drizehenium* arti exercendae prae aliis incubuiſſe, patrimonium ſuum in eam impendiſſe, et praecipuum eius fuiſſe promotorem: primum typographicum prelum *Conradum Saſpach* confeciſſe: *Gutenbergium* litteras ſuas non tantum ex ligno ſculpſiſſe, ſed etiam ex plumbo; quoniam inter impenſas, ad artem exercendam adhibitas, plumbi mentio fiat: inde, quod teſtis *Gutenbergium* ſibi mandaſſe dicat, ut quatuor partes (*Stücke*) e prelo tollerentur, coniecturam ſibi naſci, librum prelo tum ſubiectum fuiſſe formae

formae quam dicunt *quartam*: primitias denique typographicas in annum 1436. incidere. Inter artes arcanas, quas *Gutenbergius* Argentinae tractavit, typographiam primum locum obtinuiſſe, e teſtium verbis apparet, quanquam Senatus rem ipſam nulla ſuſpicione attigit. Memoratur prelum, columnae prelo ſubiectae, et typi ſolutiles. Hi tanquam praecipuum artis arcanum, ne cui innoteſcerent, ſollicite *Gutenbergius* cavit, et mortuo *Andrea* iuſſit, ut, quae mobiles typos conſtringerent cochleae, ocyus aperirentur, illique typi diſſolverentur. Noluit enim quemquam typos ſolutiles, arte iunctos, et in columellas compoſitos, adſpicere.

Nunc ad *Gutenbergium* redeamus, qui, ut Auctori veriſimile videtur, A. 1445. Argentina diſceſſit. Qua ille de cauſa abierit, et quo ſe contulerit, non ſatis conſtat. Circa annum 1450. demum artem, Argentinae inventam, Moguntiae continuaſſe, et cum *Io. Fauſto*, cive Moguntino, ſocietatem iniiſſe, videmus. *Fauſtus* ſumtus ſuggeſſit: officina *Gutenbergii* quidem propria, ſed *Fauſto* in pignus conceſſa fuit. Prodierunt tunc e *Gutenbergiano* prelo Moguntiae aliquot libri, nulla tamen anni, loci, vel artificis nota appoſita. Primum quidem librum, mobilibus litteris impreſſum, *Biblia* fuiſſe Auctor exiſtimat, etſi alios libellos iam diu vaſtum hoc opus praeceſſiſſe fatetur. Verum, vix quinquennio peracto, *Fauſtus* de uſuris non ſolutis *Gutenbergio* litem intendit, atque ſuperior e cauſa diſcedit. Tali modo A. 1455. typographia in manus illius pervenit. Rupta ſocietate, *Fauſtus Schoefferum*, latine ſcribentibus dictum *Opilionem*, patria *Gernsheimenſem*, ſcribam librarium, ſibi arctius adiunxit, illique officinae ſuae curam commiſit. *Schoefferi* huius induſtriae debemus Pſalterium, uncialibus litteris, et capitalibus pulcherrime ſculptis, et colore vario oblitis, Moguntiae A. 1457. expreſſum. Idem invenit matrices, e quibus metallici typi promtius, omnesque inter ſe funderentur aequales. Primus liber, mobili-

bus typis fusis impressus, est *Guil. Durandi Rationale divinorum officiorum*, quod A. 1459. prodiit. Hoc secuta sunt A. 1460. *Io. Baldi de Ianua Catholicon*, et A. 1462. *Biblia Latina*.

Argentinates *Gutenbergii* socii, opus, ab illo inchoatum, strenue excolere pergunt. *Heilmannus Mentelium* et *Eggesteinium* socios habuisse videtur. Fuerunt autem litterae ab initio informes, scabrae, unde libros male comtos produxerunt. Primae ergo huic Argentinensium typographiae omnes illi libelli vindicandi, qui litteras pingues, rudes, crassas, inaequales, lineas raro rectas, plerumque curvas, linearum compages symmetrica elegantia destitutas, et pallidum atramentum ostendunt, atque paginarum numeris, duernionibus, ternionibus, et quaternionibus chartarum, alphabeticis signis distinctis, loci item, anni, et artificis mentione carent. Rari sunt quidem eiusmodi libri, tamen Auctori sequentes innotuerunt: *Gesta Christi: Soliloquium Hugonis: de Missa: de Iudaeorum et Christianorum communione: Henrici de Hassia Expositio super Dominicam Orationem: Consuetudines Feudorum: Psalterium Latinum.* Argentinenses interea, in opere suo occupati, varia procuderunt. *Mentelius* A. 1466. *Biblia Latina* maioris folii impressit, et A. 1469. *Astexani Summam de Casibus*: *Eggesteinius* A. 1468. *Biblia Latina*, et A. 1471. *Gratiani Decretum* excudit; qui primus est liber Argentinae impressorum, cui typographi nomen, locus, et annus, typis adiecti sunt; sicut primus litteris fusis Argentorati impressus, fuit *Vincentii Bellovacensis Speculum Historiale*, ex officina *Mentelii* A. 1473. Concinnavit etiam *Henricus Knoblochzerus* A. 1478. *Processum Iudiciarium Belial*, Argentorati litteris aeneis, sed sculptis, ut ex inaequalitate apparet. Caeterum, per totum fere Sec. XV. *Fausti* et *Schoefferi* officina Moguntiae prope sola viguit, quae deinde ad *Io. Schoefferum*, *Petri* filium, transiit.

Sunt,

Sunt, qui Argentinensibus hanc gloriam dubiam reddere conentur, sententiaeque suae robur potissimum ab Inscriptionibus arcessant, quae primis libris, a *Fausto* impressis, adiectae, typographiae inventae gloriam *Fausto* et *Schoeffero*, adeoque Moguntiae, tribuere videntur. Semper enim hi suum nomen, nunquam *Gutenbergii*, expresserunt. Atque hi quidem, etsi nihil falsi professi, vera tamen, quae minime omittenda, malitiose reticuerunt, et tantum laudi suae detrahi arbitrati, quantum *Gutenbergianae* accederet, veteratoria hac, et ex animo alienae gloriae invido profecta, arte, incautos lectores decipere studuerunt. Porro haec Viri Cel. sententia, omne, quod in re typographica *Gutenbergius* ante A. 1445. susceperit, soli Argentorato deberi, minime adversatur postulatis Moguntinensium, qui ante A. 1450. ex primitiis artis sibi nihil vindicant. Ambo *Schoefferi*, pater et filius, atque ex patris ore *Trithemius*, A. 1450. epochae Moguntinae initium affigunt. Idem *Chronicon Coloniense*, *Aventinus*, *Munsterus*, *Accursius*, *Roccha*, *Beughemius*, alii testantur. Iam *Apianus* et *Genebrardus* in A. 1453. *Fasciculus temporum* A. 1457. *Felix Faber* A. 1459. Moguntinam aeram collocaverant: e documentis vero, a Viro Cl. prolatis, apparet, iam ab A. 1436. atque adeo XIV. annis ante, quam Moguntiae aliquis de typographia cogitaret, Argentinenses in hac arte occupatos fuisse, atque etiam Argentinensis causae patroni omnes, A. 1440. artis inventionem assignant. Quinquagesimus igitur Sec. XV. annus epocham Argentinensem et Moguntinam discernit. In illa Argentorati litterae sculptae, hac fusiles Moguntiae fuerunt: illas *Gutenbergius*, a se Argentinae inventas, Moguntiam attulit; has *Petrus Schoefferus* Moguntiae invenit, atque *Gutenbergianis* superaddidit. Atque vere igitur *Io. Schoefferus* in quibusdam librorum inscriptionibus gloriatus est, *Chalcographiae et stanneis typis excudendi* artem, a *Petro* inventam, Moguntiae deberi.

His acute et eleganter expoſitis, tranſit Noſter ad Harlemum, quae urbs, Argentorati et Moguntiae aemula, impreſſoriae artis inventorem producit civem ſuum, *Laurentium Coſterum*, quem A. 1428. eam inveniſſe, et A. 1440. evulgaſſe, contendit. Verum etſi Vir Cel. iunioribus Batavis ſe nullo modo aſſentiri dicit, qui typographiae verſatilis inventionem Harlemo tribuant, non denegat tamen *Coſtero* xylographica verae typographiae praeludia, illumque, licet non primum, typographiae tabellaris inventorem, xylographiam propius ad impreſſionem librorum adaptaſſe, lubenter profitetur. Neque *Speculum humanae ſalvationis*, tam ſollicite ab Harlemenſibus cuſtoditum, huc pertinere, ſe, accuratiori examine inſtituto, obſervaſſe: librum ex *Coſteriana* et *Gutenbergica* typographia compoſitum eſſe: ſuperiorem paginarum partem icones et verba, litteris immobilibus ſculpta, habere; inferiorem, rhythmos latinos ſculptis mobilibus exprimentem; genuinae typographiae foetum eſſe.

Nunc ad *Gutenbergium* revertamur, atque in reliquos vitae annos, et ſucceſſores illius, inquiramus. Exiit vero A. 1455. iudicio damnatus Moguntia Harlemum, ut Auctori videtur. Hinc patet, quomodo *Fauſtus*, ab anno 1457. fallaces illas formulas et inſcriptiones, *Gutenbergio* abſente, propalare auſus ſit. Poſtremum vitae triennium transegit Moguntiae, ubi A. 1468. diem ſuum obiit, magnas inter ſpes pauper et inops. Quare *Adolphus*, Moguntinus Elector, eum A. 1465. annuo ſtipendio conſtituto inter aulicos receperat. *Gutenbergio* in typographia Argentinenſi ſucceſſerunt: *Io. Mentelius*, aurarius et miniarius ſcriba, Calligraphus inter Notarios Epiſcopi receptus, cuius ingenium et induſtriam ingens voluminum impreſſorum et numerus, et moles, teſtatur; mortuus eſt anno 1478: *Henricus Eggeſtein*, magiſter artium, Vicarius ſummi Chori, et Epiſcopalis curae Sigillator, origine Argentinenſis: *Adolphus Ruſchius*, Inguilla ortus, et civitate Argen-

Argentinensi donatus, Mentelii filiam, ut *Schoefferus Fausti*, praestitae in typographia operae praemium, in matrimonium accepit: *Martinus Schottus: Ioannes Schottus*, subinde in fronte librorum *Scotus* appellatus, qui Argentorati A. 1513. Ptolemaei Geographiam latine, typo formaque praestanti, elegantibusque mappis Geographicis, ligno incisis, additis, impressit: *Georgius Husner: Martinus Flach: Ioannes Prüss: Renatus Beck: Matthias Hupfuff: Marcus Reinhardi: Io. Gruninger*, qui A. 1525. Ptolemaei Geographiam, *Bilibaldo Pirckeymhero interprete*, edidit. Eandem, decennio post, *Michael Servetus*, sub nomine *Mich. Villanovani*, Lugduni evulgavit, et plerasque Gruningerianae editionis praefationes, paucis ex ingenio additis, adhibuit. Has tamen ipsum *Servetum* conscripsisse, una omnium erat opinio, iudicesque ex illis loca excerpserunt, quibus eum impietatis in Mosen accusarent. *Servetus*, si se plagiarium esset professus, accusationem facile retundere potuisset. Haec de *Serveto*. Inter typographos sequuntur: *Henr. Knoblochzer: Ioh. Knobloch*, filius *Henrici*, sed nomine paullulum ob euphoniam mutato: *Matthias Schurerius: Wolfgang Koepfel*, alias *Capito: Rihelii*, et alii recentioris aetatis. Hisce subtexuit Auctor catalogum Typographorum Alsatiae, extra Argentoratum, et typographorum Alsatarum extra Alsatiam, et his subiungit tabulas VII. in quibus primitiae typographicae expressae sunt.

Discussit omnino Vir Cel. benignioris fortunae indulgentia, documenta huc maxime pertinentia nactus, multas tenebras, quibus origines typographicae adhuc involutae fuerant. Neque nos dubitamus, fore, ut optime ex mente illius diversae virorum doctorum sententiae inter se concilientur. Tres enim, in examinandis typographiae originibus, artes, diversas illas, et veluti per gradus exortas, probe distinguendas esse, recte monet. Prima speciem illam Xylographiae constituit, quae tabellas, paginis librorum similes, litteris fixis exsculpsit, ita ut e foliis coniunctis

iunctis libri forma prodiret. Primum Xylographiae specimen exhibent chartulae lusoriae, quarum usus Sec. XIV. apud Germanos et Gallos frequens fuit. Seculo sequenti ars ista Noribergae a *Ioanne Mullero*, illustri illo Mathematico, Argentorati a *Guilielmo Baur* et *Friderico Schott*, apud Harlemenses a *Laur. Costero*, apud Colmarienses a *Martino Schoen*, fuit exculta. Hi varias delineationes ligneis tabellis insculpserunt, iconibus, ex historia sacra praesertim, repetitis, sententias et nomina immiscuerunt, et folia, tabulis impressa, in libri formam redegerunt. Prodierunt e xylographica hac officina: *Vaticinia veteris Testamenti de Christo: Argumenta ex Cantico Canticorum: Tentationes Daemonis: Ars memorandi per figuras Evangelistarum: Ars moriendi*, et alii eiusmodi libelli, quorum plerique idiomatis latini sunt, quidam teutonici: quotquot sunt, non opistographi, sed foliatim ab una parte tantum impressi: duo folia semper in unum conglutinata: characteres formae impolitae et rudis: magnitudo est folii minoris. Haec de prima artis specie. Altera litteras fixas commutavit in mobiles, unde versatilis illa typographia orta, cui proprie nomen Tygographiae debetur. Tertia litteras sculptas in fusas convertit. Prima praelusit secundae, tertia secundam promovit. Primae classis artem ad mentem Batavorum *Costerianam*, secundae *Gutenbergianam*, tertiae *Schoefferianam* vere et proprie dicendam esse Vir Cel. docet. His omnibus tam accurate et diligenter a Cel. *Schoepflino* expositis, facile viri docti posthac omnibus de origine Typographiae disputationibus supersedebunt. Atque supersedere dudum tot frustraneis laboribus potuissent, si vel eadem, quae Noster, a fortuna subsidia nacti, vel pari diligentia animique aequitate in ea re investiganda versati essent.

NOVA

NOVA LITTERARIA.

Non iniucundum erit Lectoribus noſtris, iis inprimis, qui editionem operum *Alcuini*, initio huius ſeculi ex Galliis promiſſam, fruſtra adhuc exſpectaverint, pulcherrimum conſilium P. FROBENII FORSTERI, *O. S. B. Prioris et Bibliothecarii ad S. Emmeramum Ratisbonae*, cognoſcere. Propoſuit enim ſibi Vir Cl. brevi omnium operum *Flacci Alcuini*, Abbatis Turonenſis, collectionem edere, ſuique conſilii rationes copioſius in *Conſpectu*, *Ratisbonae* apud *Montagium* hoc anno plag. 3. impreſſo, expoſuit, unde nos praecipua delibabimus. Nactus eſt Noſter e variis bibliothecis, Vaticana etiam, opes non contemnendas, hisque inſtructum ſe, non ſolum plures hiatus, in editione *Andreae Quercetani* occurrentes, reſarciturum et expleturum, innumera errata correcturum, ac veram multis locis lectionem reſtituturum; ſed opuſcula etiam aliquot inedita in lucem producturum eſſe, pollicetur. Totum opus in *duo* tomos, ſingulique tomi in *quinque* partes deſcribentur. Ipſa *Alcuini* ſcripta praecedent: praefatio Viri Cl. de vita, ſtudiis, et ſcriptis *Alcuini;* praefatio *Quercetani*, animadverſionibus quibusdam illuſtrata; vita antiqua *Alcuini*, *Mabillonii*, *Patrum Antverpienſium*, et Noſtri adnotationibus additis, variisque veterum et recentiorum de *Alcuino* teſtimoniis ſubnexis. Pars *prima* tomi *prioris* exhibebit *Epiſtolas*, ad Pontifices Romanos, ad Carolum M. ad Reges, Reginas, aliosque nobilitate inſignes viros, ad Arnonem, Archiepiſcopum Salisburgenſem, ad reliquos Archiepiſcopos et Epiſcopos, ad Presbyteros, Abbates, Monachos, ad amicos. Hoc ordine, temporis etiam, quantum fieri poterit, ratione habita, Epiſtolae hae, partim primo, partim emendatae, edentur, notis et variis lectionibus additis. Pars *altera* complectetur opera *Exegetica*, ſeu commentationes in Sacr. Script. 1. *Interrogationes et Reſponſiones in Geneſeos librum*, collatas cum cod. MS. monaſterii S.

Emmerami et aliis. 2. *Dicta super illud Geneseos:* Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, examinata ad cod. Salisburgensem et S. Emmerami 3. *Enchiridion,* seu *Expositionem brevem et piam in septem Psalmos poenitentiales, in Ps. CXVIII. et in Ps. Graduales,* cum praefatione *Alcuini* ad Arnonem, et hymno de Ps. Gradualibus, e Spicilegio d'Acheriano, et cod. tribus. 4. *Breves annotationes in Ps.* LIX. LXXXV. et LXXXVI. numquam antea editas. 5. *Commentaria in Ecclesiasten.* 6. *Brevem expositionem Cantici Canticorum,* nunc primo e bibliotheca Vaticana editam. 7. *Commentationem de Nominibus Progenitorum D. N. I. C. ad Carolum M.* addito *Commentario in Evangelium Matthaei.* 8. *Expositionem Orationis dominicae.* 9. *Commentariorum in Evang. Ioannis Libr. VII.* 10. *Explanationem quarundam sententiarum S. Pauli,* nondum editam. 11. *De septem sigillis expositionem.* Pars *tertia* habebit opera *dogmatica.* 1. *De fide sanctae et individuae Trinitatis L. III.* ad Carolum M. adnexa *confessione fidei Alcuini,* graece et latine. 2. *De Trinitate Quaestion. XXVII. ad Fredegisum.* 3. *Libellum de processione Spiritus S.* 4. *Librum Albini contra haeresin Felicis,* nunc primo editum. 5. *Epistolam ad Felicem Urgelitanum de Adoptione.* 6. *Epistolam ad Carolum M. de libris contra Felicem scriptis.* 7. *Libr. VII. adversus Felicem,* cum praefatione Baluzii. 8. *Epistolam ad Elipandum Toletanum Episcopum, de fide Catholica.* 9. *Elipandi Epistolam responsoriam.* 10. *Libellos IV. contra Elipandum.* 11. *Epistolam ad Socios itineris in Hispaniam,* addita *epistola Elipandi ad Felicem,* et *confessione Catholica* eiusdem Felicis. Hisce Vir Cl. praefiget dissertationem de haeresi Felicis Urgelitani et Elipandi Toletani, Episcoporum, variisque laboribus ab Alcuino contra illam susceptis. Pars *quarta* opera *Liturgica* et *moralia* comprehendet. 1. *Librum de Psalmorum usu.* 2. *Officia per Ferias.* 3. *Librum Sacramentorum.* 4. *Brevem Commentationem de tertia, septima, et trigesima die pro defunctis.* 5. *Orationes metro compositas ad Deum*

et

et Apostolos. 6. *Libellum de virtutibus et vitiis.* 7. *De Confessione peccatorum.* 8. *Confessionem ad usum Caroli ab Alcuino compositam.* 9. *Homilias quasdam et adhortationes morales.* Pars *quinta* et ultima continebit opera *historica.* 1. *Scriptum de vita S. Martini Turonensis,* additis adnotationibus, et *sermone de transitu* eiusdem. 2. *Vitam S Vedasti,* Atrebatensis Episcopi. 3. *Vitam Richardi,* Presbyteri et Abbatis. 4. *Vitam S. Wihbrordi,* Traiectensis Episcopi. Hasce vitas Editor adnotationibus suis explicabit et illustrabit. Hactenus igitur de tomo primo. Tomi *secundi* pars *prima* exhibebit opera *poetica,* praemissis *versibus Albini de laude metricae artis.* Pars *altera* complectetur opera *Grammatica* et *Philosophica.* 1. *De septem artibus.* 2. *De Grammatica dialogum.* 3. *De Partibus orationis libellum.* 4. *De Rhetorica dialogum.* 5. *Dialecticam.* 6. *Disputationem Pippini cum Albino Scholastico.* 7. *De saltu lunae et Bissexto,* item *Calculationem.* *Tertia* pars habebit opera, de quibus dubitari potest, an ab Alcuino scripta sint. Collocabuntur hoc ordine: 1. *Confessio fidei a Chiffletio* edita, disquisitione *Mabillonii* adiuncta. 2. *Breviarium fidei adversus Arianos.* 3. *Disputatio per interrogationes et responsiones de rebus dogmaticis et ecclesiasticae disciplinae.* 4. *Carmina varia.* 5. *Carmen de Pontificibus Eboracensibus.* 6. *Lexicon Orthographicum.* 7. *Propositiones Albini doctoris Caroli M. ad acuendos iuvenes.* 8. *Epistola ad Constantium,* praefixa Libro *Comitis.* In parte *quarta* Editor collocabit opera *supposita,* sive falso *Alcuino* adscripta. 1. *Librum de divinis officiis.* 2. *Homilias de Nativitate Domini, de omnibus Sanctis, de Purificatione, de Assumptione* B. V. 3. *Epistolam de Caeremoniis Baptismi.* 4. *Vitam Antichristi et Epistolam Albuini Eremitae ad Heribertum.* 5. *Monastica.* 6. *Carmen de Carolo M. et Leonis III. ad eum adventu.* 7. *Carmina alia breviora.* Pars *quinta* erit quasi appendix, et continebit opuscula *dogmatica* illorum scriptorum, quos *Alcuinus* coaevos, atque in haeresi Felicis et Elipandi oppugnanda socios, habuit. 1.

Epistolam Elipandi ad Carolum M. cum fragmento alterius Epistolae eiusdem ad Episcopos Germaniae et Galliae. 2. *Epistolam Caroli M. ad Elipandum et reliquos Hispaniae Episcopos.* 3. *Epistolam Hadriani I. ad Episcopos Hispaniae.* 4. *Libellum sacrosyllabum Episcoporum Italiae.* 5. *Epistolam synodicam Concilii Francofordiensis, ab Episcopis Germaniae et Galliae ad Praesules Hispaniae missam.* 6. *Etherii et Beati adversus Elipandum Libr. II.* 7. *Benedicti Anianensis Abbatis opuscula contra Elipandum et Felicem.* 8. Alia *varia* monimenta, quae, cum *Alcuini* rebus arcte coniuncta, non bene hac collectione excludi posse Vir Cl. arbitratur.

Haec igitur erit facies, haec forma praeclari operis, quo in edendo ut eo melius versaretur Noster, has chartas, quasi exploratores et praecursores, emisit. Nam in epistola ad viros eruditos humanissime rogat, ut candide mentem sibi aperiant, libereque de totius operis descriptione sententiam dicant. Restant vero non pauca, quibus aegre se carere *Alcuini* Editor fatetur, et quorum ut sibi copia fiat, summopere optat. Fortasse non ingratum, cum Viro Cl. tum reliquis faciemus, si illorum catalogum subiungamus. En igitur illum:

1. *Albini seu Alcuini Disputatio seu Dialogus de vera Philosophia.* Cod. membr. in 8. manu Sec. IX. In Bibliotheca San-Floriana Ord. Can. Reg. in Austria superiore.

2. *Alcuinus seu Albinus super Ecclesiasten et Cantica Canticorum.* In Bibl. San-Laurentiana Leodii O.S.B. in fol.

3. *Tractatus Albini per modum Interrog. et Respons. in Apocalypsin*, et incipit: *Devotissima et inextricabilis et ut ita dicam obstinata petitio tua.*

4. Item: *Idem per interrog. et respons. in totum Vetus et Novum Testamentum*, cum aliis in eodem libro contentis, et sunt excerpta ex dictis S. Augustini. Hic et prior Codex adhuc anno 1500. in Bibl. S. Emmerami servabantur, nunc vero, quo nescio casu, amissos dolemus. Viri Eruditi prius saltem

ſaltem opuſculum, cognitis nunc eius initio, et qua exaratum eſt methodo, facilius reperient.

5. *Epiſtolae ſeptem ad Arnonem Archiepiſcopum Salisburgenſem.* Notantur in Catalogo Biblioth. Monaſterii S. Petri Salisburgi.

6. *Commentarius in Apocalypſin et Cantica Canticorum.* In Bibliotheca Gemmeticenſi.

7. *Sermones de Aſſumptione B. V.* In Bibliotheca Abbatiae S. Theodorici prope Remos.

8. *Tractatus ſpiritualis et aſceticus.* In Bibliotheca Monaſt. S. Petri Pratellenſis. Montfaucon Tom. II. Bibl.

9. *Tractatus de Catecumenis.* In Bibliotheca Abbatiae Morbacenſis. Martene Itin. Lit. part. 1. pag. 27. etc.

10. *De Genealogia Chriſti opuſculum.* In Bibl. Menarſiana, ut refert Fabricius. Bibliothecam D. de Menars, Armandus Gaſto de Rohan, Epiſcopus Argentoratenſis, coemit pretio 40000. Libr. Gall. (Novellae Lit. Germaniae anno 1707. p. 8.) Ibi ergo opuſculum praeſens inquirendum.

Codices ſequentes in Bibliothecis Angliae ſervantur, prout docet Catalogus MSS. Angliae et Hiberniae, editus Oxonii 1697. fol.

11. *Albini Flac. Alcuini Commentarius in Hieremiam et Threnos.* In Bibliotheca Guil. Laudi. Cod. 874.

12. *De Virtutibus S. Martini abbreviatio ab Alcuino condita.* In Bibl. Thomae Bodley N. 2432.

13. *Ioan. Lelandi* Collectanea ex Libro Epiſtolarum Flacci Albini, al. Alcuini. Idem. De Flacco Albino ſeu Alcuino Abbate Monaſterii Auguſt. Cant. Ex Catal. cit. pag. 237. et 242.

14. *Ricardi Iameſii* Collectanea ex Epiſtolis Albini. Ibid. pag. 262.

15. *Sermones in aliquot Scripturae loca, ſumma Alcuini.* Inter Codices MSS. Collegii S. S. Trinitatis.

16. *Albini quaeſtiones in Lib. Geneſeos.* Idem *de Sacramentis.* Ibidem.

17. *Alcuinus ad Imp. Carolum, ex dictis et Canonibus Veterum.* Inter Codices MSS. Collegii S. Benedicti. N. 1493.

18. *Speculum humanae vitae, siue de vera simplicitate per Flaccum Albinum siue Alcuinum.* Inter Cod. MSS. Domus S. Petri. N. 1759.

19. *Alquuinus de fide, de veritate, et Christi Incarnatione etc.* Inter Codices MSS. Aulae Pembrochianae. N. 2126.

20. *Aluini Epistolae et Versus ad Carolum.* Cod. MS. Ecclesiae Sarisburiensis. N. 931.

21. *Alcuini speculum.* Cod. MS. Ecclesiae Herefordensis. N. 1712.

22. *Epistola Alcuini Abbatis.* Cod. MS. Isaaci Vossii. N. 2416.

23. *Alcuini Epistola ad Magistrum Colcan.* Cod. MS. H. Comitis Clarendonii. N. 89.

24. *Alcuinus de virtutibus et vitiis; praemittitur Epistola eiusdem ad Guidonem Comitem Warwicensem.* Cod. MS. in Hyperoo Bodleiano. N. 3558.

25. *Alcuini Epistola ad Carolum de S. Trinitate.* Cod. MS. Ecclesiae Dunelmensis. N. 70.

26. *Albinus Anglus Bedae discipulus, Caroli M. Praeceptor et Parisiensis Academiae institutor.* Cod. MS. Comitis Carlioli. N. 629.

27. *Centimetrum Albino dicatum.* Cod. MS. Isaaci Vossii. N. 2605.

28. *Alcuini Epistolae editis plures et meliores.* Cod. MS. Thomae Gale. N. 5996.

29. *Alcuinus et Cyprianus de Oratione Dominica et mortalitate.* Cod. MS. Caroli Teyere. N. 6524.

30. *Albini Epistola ad Carolum M. Ad Eulaliam V. Ad Widonem Comitem. Ad Fridigirum Nobilem. Breviarium.* Rursus *Epistolae. In Cant. Canticorum.* Cod. MSS. Bibl. Iacobaeae. N. 7923. 7927. 8664. 8676.

31. *Liber continens expositiones Epistolarum et Evangeliorum.* Cod. MS. Symonds d'Ewes Baronetti. N. 9913.

32. *Al-*

32. *Alcuini, Caroli M. magistri, Epistolae XCI. cum annotationibus.* 2. Caroli M. Epistola una. 3. Dungali Abbatis Epistolae VII. Ibidem. N. 10025.

33. *Alcuini Levitae excerpta contra Gregorium.* Pr. *Reverendo in Christo Patri Hilduino.* Expl. *Conversi ad Dominum.* Cod. MS. Bibl. Norfolcianae. N. 3110.

In Bibliothecis Belgii, teste Antonio Sandero, Iprensis Ecclesiae Canonico, Bibl. Belgica MS. varia B. Alcuini opuscula continentur, ex quibus ea solum hic enumerantur, quae maioris momenti videntur, vel hactenus incognita fuerunt:

34. *Albini excerptiones super Priscianum maiorem tres. De arte Grammaticae sive de Arte Donati. Glossae de Grammaticorum libris. De Littera, Syllaba, et positionibus, de pedum regulis, et collatio de generibus metrorum.* Script. circa annum 782. Cod. MS. Coenobii Elnonensis S. Amandi. Lit. I. N. 126.

35. *Quatuor Libri Alcuini, quorum primus est, quotus mensis sit ab Aprili etc.* 2. *Quantum dicunt Philosophi spatium inter terram et caelum etc.* 3. *De Syclis* (Cyclis) *stellarum etc.* 4. *De bissexto lunari verissime etc.* Script. circa annum 880. Ibidem Lit. N. N. 247.

36. *Alcuini ad Carolum Augustum super Cathegorias Augustini.* Ibid. Lit. G. N. 265.

37. *Calculatio Albini.* Cod. MS. Bibl. apud Monachos Vedastinos. Bibl. Belgii pag. 62.

38. *Vita S. Vedasti Episcopi.* Inc. *Dilectionis vestrae venerabile praeceptum etc.* Est Alcuini. In eadem Bibl. Vol. I. N. 22. Extant ibidem plures alii Codices MSS. de vita, virtutibus, et translatione S. Vedasti. Eadem vita habetur in Cod. A. N. 26. Bibl. Cathedralis Ecclesiae Atrebacensis. Et Vol. II. Lit. B. N. 5. apud Claud. Doresmieulx *Insulis.*

39. *Albini Magistri de vita S. Martini scriptum, in quo mirifice virtutes ipsius commentatus est breviter.* Prol. init. *Post-*

Poſtquam Dominus noſter I. C. etc. Textus incip. *Iſte beatiſſimus vir etc.* Ibidem vol. 13. N. 1.

40. *Verſus in foribus primae Cellae S. Martini.* Incip. *Venimus en iſthic etc.* Forte Alcuini. Ibidem. vol. 13. N. 3.

41. *Albinus de decem praeceptis et quinque plagis Sermo* 1. In Bibl. Monaſter. S. Petri Lobbienſis. Lit. A.

42. *Alcuinus ad Carolum M. de vita S. Richarii.* Cod. MS. Bibl. Sasnonienſis O. S. B. in Hannonia.

Haec ſunt illa, quorum ut deſiderium humanitas eorum, qui horum copiam habeant, leniat, Vir Cl. cuius precibus noſtras quoque adiungimus, vehementer viros eruditos orat. Nos quidem Cl. *Forſtero* benignam fortunam, vires, et ſanitatem apprecamur, avideque editionem *Alcuini*, non modo emendatam, ſed maxime quoque locupletatam, exſpectamus et optamus. Multum litterae debent *Alcuino*, multum huic praeceptori Carolus M. illiusque in ſcriptis legendis, hiſtoriae patriae et ſacrae ſtudioſi, non ſine fructu operam et tempus collocabunt.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiae

Calendis Maii Anno MDCCLX.

ARISTOPHANIS COMOEDIAE UNDECIM, AD fidem optimorum Cod. MSS. emendatae, cum nova VIII. Comoed. versione, et notis ad singulas ineditis STEPH. BERGLERI, nec non CAR. ANDR. DUKERI ad IV. priores. Accedunt deperditarum Comoediarum Fragmenta a Theod. Cantero et Guil. Coddaeo collecta, earumque Indices a Io. Meursio et I. A. Fabricio digesti; curante PETRO BURMANNO, iuniore, qui Praefationem adiecit.

Lugd. Batav. 1760. apud Luchtmannos, *TOMI II.* Alphab. 7. in 4.

Cum spes *Aristophanis* Bergleriani dudum ad nihilum recidisse videretur, felici quodam fato in manus *Petri Burmanni*, Viri Celeberrimi, venit opus destitutum, qui pro incredibili iuvandarum litterarum, quas ipse ornat egregie, studio, non cunctatus est, hoc tantum bonum usibus eruditorum communibus ita tradere, ut id etiam aliis egregiis accessionibus et cura sua auctius atque ornatius haberent. In quo genere primum locum tenet luculenta praefatio, cuius prima pars est de *Bergleri* fatis, institutis, et doctrina, altera de operis ipsius Bergleriani indole et ratione.

Quae de *Berglero* ipſo, et eius commoratione Lipſienſi, narrantur, augeri etiam aliis poterant, quae nobis certa fide comperta ſunt. Indefeſſi laboris homini, et omnium voluntati inſervire cupienti, etiam hoc debemus, quod non modo ii, de quibus dixit Vir Cel. in praefatione, Codices Bibliothecae Paullinae, *Scholiorum Homericorum, Geneſii,* ſed etiam alii, quos nemo legere et deſcribere vel poterat, vel volebat, ab eo deſcripti ſunt in gratiam eorum, qui inclareſcendi materiam quaerebant, veluti Codex Epiſtolarum *Syneſii* cum ſcholiis ineditis, quem in gratiam alicuius, qui edere cuperet, deſcripſit, adiecta Varietate Aldina, et coniecturis ſaepe ſuis, notatisque locis, quae *Thomas Magiſter* ex eo laudaſſet: qui labor tamen fruſtra ab eo ſumtus eſt. *Ariſtophanis* editio, prelo parata, primum ſuppreſſa eſt, ne maiori Kuſterianae vendendae obeſſet, poſt, mortuo *Th. Fritſchio,* neglecta.

In ea editione concinnanda, qua textum Graecum, MStis libris uſus non eſt, ſed editionibus antiquis, *Aldina, Iuntina A.* 1515. *Veneta Farrei A.* 1538. et *Francofurtenſi P. Brubachii:* e quibus maximi fecit *Farreanam,* MSto optimo aequiparans: in quo eum falſum eſſe iudicio, Cel. *Hemſterhuſius* monuit, qui in praefatione ad *Plutum* reperiſſe ſe, ait, eam eſſe meram repetitionem *Baſileenſis, a Cratandro* curatae, ſervatis etiam mendis typographicis omnibus, et luculenta acceſſione auctis: quod tamen quibusdam locis ſecus eſſe reperimus, ut *Theſmoph.* 205. 213. 214. 215. et aliis. Atque etiam non uno loco vidimus tribui editioni *Farrei* aliquid boni, quod eſt omnium veterum, ut *Pac.* 43. ἤδη. *Avib.* 659. σὲ λέγω 177. τι. 75. γάρ οἶμαι, aut et aliarum, ut *Caninii, Theſm.* 205. ϛενάγμασι, ſimiliterque mox, 213. 214. 215. 216. etc. Sed hunc eſſe multorum eruditorum virorum morem, etiam aliis exemplis cognovimus, ut ſua, praeſertim ſi rariora ſint, maioris, quam res eſt, faciant, et ſe aliosque egregie decipiant. In quo rectiſſime iudicat *Burmannus,* Vir Cel. melius facturum fuiſſe, ſi hoc egiſſet, ut varias lectiones

nes

nes Cod. MSS. quibus *Kusterus* non satis diligenter usus erat, sibi comparandas a fratre eius duxisset. Sed fortasse urgebatur a librario, morae tum impatiente, ut talia auxilia circumspicere non posset. Neque vero satis diligenter usus est Scholiaste, quod nos quidem observaverimus excutiendo opere, ad emendandum textum, quod multis locis vel fieri commode potest, vel saltem ita tentari, ut aliquid vitii in textu esse constet, cuius persanatio sit in libris scriptis indaganda, ut exemplis perspicuis docuere *Hemsterhusius* in *Pluto*, et *Ernestus* noster in *Nubibus*, quorum, in scholiis illarum Comoediarum expoliendis, et ad textum emendandum conferendis, omninoque scholiorum Aristophanicorum tractandorum ratione, vel exemplis, vel praeceptis explicanda, operam laudat *Burmannus* pag. 12. Sed quod in hoc genere desiderari forte potest, aliis maioribus bonis large pensavit. Nam textus profecto universus melius constitutus et correctior est, quam in Kusteriana, quae plurima recentiorum editionum vitia, etiam typographica, servat, facile illa emendanda, si *Kusterus* diligentius editiones veteres contulisset, atque etiam auget. In notis autem, praeterquam quod multae bonae coniecturae afferuntur, obscura breviter et perspicue explicantur, modi loquendi meliores etiam illustrantur, hoc inprimis boni est, quod ubique comparat tragicos, inprimis *Euripidem*, ad cuius dicta centies respexit, reprehendendi maxime causa, *Aristophanes:* quo ignorato, saepe intelligi non potest, et multis erroribus via panditur. In quo tamen vellemus hunc modum adhibitum esse, ut ea tantum indicarentur, quae ridendi causa et perstringendi imitatus est; quod erat ad rationes tironum accommodatius: aut saltem distinctionis nota adiiceretur. Sed etiam levissima interdum comparantur. Omnium optimam dotem operis putamus esse versionem novam, et ad bene intelligendum utilissimam, octo Comoediarum: nam trium reliquarum, *Concionatricium*, *Avium*, et *Thesmophoriazuson* versiones, *Fabri*, ut tolerabilem, *Hemsterhusii* et *Kusteri*, ut optimas, servavit.

vavit. Ea verſio enim eſt bene latina, et characterem orationis Ariſtophanicae conſervat, verbum prope de verbo reddens, articulos etiam, ubi adficiunt ſenſum, et ordinem adeo verborum et collocationem retinens; quod eſt profecto difficillimum propter diverſitatem linguarum, et quod exquiſita utriusque linguae ſcientia ad eam rem opus eſt. Ex quo genere eſt etiam verſio *Herodiani*, quam ab ipſo factam conſtat. Ea quo pervenerit, neſciebat *F. O. Menkenius*, in vita Politiani pag. 158. cum in patris manibus fuiſſet. Eſt ea nunc apud *I. Fr. Leiſnerum*, *Erneſti* noſtri in Schola Thomana ſucceſſorem, Virum graece doctiſſimum, a quo novam *Herodiani* editionem, quae hanc verſionem habeat, exſpectamus. Sed ut ad verſionem *Ariſtophanis* redeamus: nemo dubitat, verſiones eſſe debere tales, qualem *Bergleri* diximus: itaque etiam vulgo ſic praecipiunt. Sed cum a praeceptis res venit ad vertendi laborem, praecepta illa non apparent. Digna ſunt lectu, quae de hoc genere praecipiendi, e *Bergleri* praefatione ad *Homerum*, et de ſuo, habet Vir Cel. pag. 13. Sed his ſimilia, immo ab his non diverſa ſunt, quae *Divus* Iuſtinopolitanus de eadem re ſcribit ad *Vergerium* in praefat. verſionis ſuae Homericae: quem tamen Vir Cel. ut inficetum et barbarum interpretem merito repudiat. At ille *Divus* cum de ſuo ingenio ſcribit, elegantiſſime et latiniſſime ſcribit. Sed verba graeca certis et ratis verbis e lexico interpretari adſuetus, non potuit conſequi hoc, ut eleganter verteret, et tamen characterem orationis graecae ſervaret. Atque haec eſt cauſſa, quare prope ſemper in alterutram partem peccent interpretes, etiam bene latine ſcribere docti. Cum volunt bene latine vertere, a charactere auctoris longius aberrant; cum volunt hunc conſervare, male, et propterea obſcure ſcribunt: non adſueti variare latinitatem, et, in poetis vertendis, ignari linguae poeticae in utroque genere ſermonis. Neque tamen *Berglerus* dubitavit interdum, ubi opus eſſet, circumlocutione uti, aut idiotiſmos graecos more latino exprimere, aut

aut explendi ſenſus cauſſa addere verbum, quod tamen alio genere literarum exprimeretur. Exemplum eſto e principio *Pluti* hoc: Τȣ͂ σώματος γὰρ ȣ̓κ ἐᾷ τὸν Κύριον κρατεῖν ὁ δαίμων ἀλλὰ τὸν ἐωνημένον. *Nam corporis non ſinit eum, qui* natura *Dominus illius eſt, ius habere fortuna, ſed illum, qui id emerit.* Vide quam bene et perſpicue expreſſerit, cum ipſo articulo τὸν Κύριον, *eum qui Dominus eſt,* et ab Domino civili diſtinxerit, et ambiguitatem ſuſtulerit, addito verbo *natura,* et quam eleganter iſtis reſpondeat interpretatio τȣ͂ ἐωνημένȣ, *illum, qui id emerit.* Nec tamen in eo nimis ſe adſtringit legi ſuae, ſed eam negligit ſaepenumero; ſed, ut arbitramur, ſine culpa. Nihil impediebat, quo minus verba in principio *Pluti,* ἢν τὰ βέλτιϑ' ὁ ϑεράπων λέξας τύχῃ, verterentur, *dicere contigerit ſervo;* aut in principio *Nubium:* χρῆμα τῶν νυκτῶν, *res noctium:* ſic enim Comici latini loquuntur, imitatione graecorum: tamen illud *dixerit,* hoc *nox haec,* vertit.

Nunc, univerſa ratione et indole operis explicata, unam de Comoediis percurremus, et textus graecus qualis ſit, quid in eo et quomodo conſtitutum ſit, etiam ſi quid neglectum, deinde quid in notis boni aut novi ſit, quid deſideraverimus, docebimus. Ea eſto *Nubium* elegantiſſima fabula, in qua, poſt Kuſterianam operam, plura vel emendanda, vel explicanda melius, reſtabant. Primum de textu videbimus: in quo tamen non monebimus de correctis vitiis edit. Kuſterianae, in quibus ſunt typographica, ut v. 394. ἂυ pro ἀν, 397. μῶρε pro μωρὲ, etc. Verſ. 36. textus in ϛρέφῃ diſcrepat ab nota, in qua index habet ϛρέφει, quod rectum eſt, et hanc formam alibi quoque ſequitur *Acharn.* 384. *Theſm.* 237. ſed remanſit vitium e Kuſteriana, quam expreſſit. V. 97. pro ἄνϑρακες edit. *Farr.* habet ἄνδρακες, ut ſimul intelligantur homines, qui ſint ſub coelo, et ἄνϑρακες, *carbones,* qui ſunt in fornace, cui ſimile coelum dicit. Sic in *Lyſiſtr.* 342. eandem edit. (et *Baſil.*) habere ἀνδρακεύειν pro ἀνϑρακεύειν, ubi itidem data opera confudiſſe voces videri poetam. Quae

ſunt ingenioſa et arguta, ſed falſa. In *Lyſiſtr.* fluxit lectio *Farrei* e *Baſileenſi;* ea autem repetiit ultimas comoedias prima ex edit. *Flor.* A. 1515. ultimarum duarum comoediarum, ſine correctione e MS. ut patet ex admonitione *Cratandri* in principio. Eſt ergo vitium typographicum a *Farreo* ſervatum. Verſ. 318. bene ex edit. vet. ταῦτ' ἄρ, pro τοῦτ' ἄρ dat, intelligique docet διά. Correxere in τοῦτ', quia putabant, referri ad φθέγμα. Sic ταῦτα *Ariſtophanes* dixit infra v. 334. 352. etc. In fine huius notae nos amandat ad Varias Lectiones, quas ſubiicere videtur voluiſſe editioni ſuae, ſed poſt neglexit facere: niſi ea pars laboris periit. Verſ. 371. τούτῳ γέ τοι τῷ νυνὶ etc. reſcripſit τοῦτο, propter ſenſum et metrum. Verſ. 484. delevit ἂν auctoribus edit. vet. bene. Sed ita verſus non conſtat, cuius fulciendi cauſa erat imperite inſertum ἂν. nec ei rei conſulit, aut de ea monet *Berglerus.* Verſ. 584. ἡ σελήνη δ' ἐξέλιπέ γέ τοι ὁδούς· γε tollit, quod non habent veteres libri, inſertum verſus integrandi cauſa. Ipſe verſui conſulit corrigendo ἐξέλειπε. In v. 803. Γνώμας καινὰς μὲν ἐφευρίσκων tollit μὲν, quod non eſt in vet. edit. ſed ita verſus perit. Cur non adhibetur lectio Vatic. MS. quam probabat *Bentleius* ἐξευρίσκων: ita μὲν deleri poteſt, ſalvo verſu. V. 1143. recte monet, *Friſchlinum* verſum hunc et ſequentem male diſtraxiſſe, cum ſit in edit. vet. unus, plenus ſenarius, ut ſcenae novae initium hic eſſe poſſet. Verſ. 1240. χοᾶς reſcripſit pro χοὰς, quod et *Dukero* et *Kuſtero* placebat contra *Thomam M.* Auctor emendationis eſt Scholiaſtes. Haec ſunt critica ad hanc comoediam: quae ſane ſunt pauca, et longe infra exſpectationem noſtram. Cur ergo non attingit locum v. c. 446. ubi εὑρεσιεπής edit, quod metro repugnat, quaſi neſciret MS. Vat. habere εὑρησ. cum etiam afferat locum e *Pindaro*, in quo ſic eſt, cum et *Bentleius* ſic voluerit. V. 717. cum *Kuſtero* edit φροῦδη δ' ἡ ψυχὴ, φροῦδη δ' ἐμβὰς, cum δ' ἡ hic nec per linguae rationem, nec per metrum, locum habeat. Eſt enim anapaeſtus dimeter, ut vidit *Bentleius* cum *Dukero.* Atque id

id abest, ut ab edit. *Ald. Iunt. Gryph.* f. *Caninii, Cratandr.* ita et *Farrei.* Nam illud non miramur, mentionem nullam factam esse ad v. 704. lectionis φρενὶ, quae est edit. *Flor. Fracini, Gormontinae, Frobenianae,* quod eam nec in Kust. nec in sua reperit. Ceterum ex hoc loco genealogiam edit. *Aristophanis* cognoscere licet. Nam φρενὸς est in *Ald. Iunt.* 1515. *Cratandr. Farr. Gryphii.* Illud maxime miramur, ad v. 547. ἀλλ' ἀεὶ καινὰς ἰδέας εἰσφέρω σοφίζομαι, nil notatum, ut a *Kustero,* ita a *Berglero,* cum ibi ed. vet. *Ald. Cratandr. Gormontii, Gryphii, Frobenii,* habeant εἰσφέρων σοφίζομαι, quod melius esse, et verius, nullum dubium est. Quam multa talia, ubi emendatione opus est, ubi et libri vel ipsius *Aristophanis,* vel *Scholia,* vel *Suidas,* aut alii Grammatici, opem ferunt, commemorare possemus, quae non tacta sunt a *Berglero:* sed hoc nunc non agimus. Idemque et aliis in comoediis observavimus, nisi quod in posterioribus magis in hoc genere diligentem reperimus, fatendumque est, pluribus locis etiam de coniectura egregie emendatum esse textum. Exempla sunto haec. In *Avib.* 590. ἀλλὰ γλαυκῶν λόχος εἰς αὐτοὺς ἐπιτρέψει. bene. cum in edit. sit εἰς, quod nullum sensum habet. *Pac.* 106. edidit ἐὰν δὲ μή σοι, addito σοὶ, quo versus integratur. *Ibid.* 383. λακήσεται rectissime pro λακήσετε. *Avib.* 558. pro ἑστηκότι, quod nihili est, ἐστυκόσι, *libidine ardentibus, tentigine adfectis,* optime. Cuius generis sunt aliae sat multae, quarum nomine vere potuit gloriari, se multis locis primum correxisse *Aristophanis* textum. Ad notas veniamus.

In quo mittimus omnes eas, quae e Scholiis ductae sunt, sed ita, ut, quia Scholia ipsa adiicere non erat consilium, semper indicatus sit fons, secus ac in *Florentis Christiani* notis factum est, in quibus multa utilia sunt ad opinionem praeclarae et exquisitae doctrinae, sed e Scholiastis, quos non nominat. V. 7. Strepsiades detestatur bellum, quod etiam servos punire non sinat. Eius ratio bene redditur haec, quod servi tempore belli transfugere ad hostes soliti essent, ut Helotas constat aliquando tali tempore catervatim

tervatim ad Athenienses transfugisse, quod durius haberentur a Dominis. Unde etiam *Aristophanes* in *Pac.* 450. inter eos, qui bellum optent, servos nominat. V. 14. est bona notula de usu verbi κομᾷν vario apud Comicum, qui non modo de superbia dicit, quod notum est, sed et de corpore horrido ab incultu. *Avib.* 1282. coll. Nub. 837. Ad vers. 32. in verbo ἐξαλίζειν proprie et tropice usurpato nil dictum mirati sumus, cum multo leviora et magis obvia illustrata sint. Dissentit etiam nota a versione v. 48. in ἐγκεκοισυρωμένην, quod in versione est *a Coesyra genus ducentem*, in nota melius ad verbi analogiam cum Scholiaste *Coesyrae moribus imbutam.* Infra v. 801. filium natum ait pater ἐκ γυναικῶν εὐπτέρων τῶν Κοισύρας. In *Acharn.* autem 614. ὁ Κοισύρας est *Megacles*, notante Scholiaste, qui perstringitur a Comico, ut homo, qui pauper factus sit, dilapidatis paternis bonis. Itaque non sine caussa puellam e nobili gente, sed ad paupertatem redacta, collocatam rustico diviti patet. A qua ratione, qua sensum, non nimis abit, nec deterior est Hemsterhusiana (ad *Luc. Tim.* T. I. pag. 134.) quae, longa Coesyrarum serie superbientem, explicat: sed forma verbi magis favet illi. Post v. 52. expectabamus ut nobis diceret, quid lateret in Κωλιάδος, γενετυλλίδος ὄζειν, sed simpliciter nos, ut alii, docet de cognominibus Veneris. Aliquid amplius autem hic latere, certum est. Est autem gravis contumelia in virgines Athenienses, cum innuat se accepisse puellam, quae non modo exquisitiora et obscena oscula (καταγλ.) sed etiam concubitum (κωλιάδος) et partum (γενετυλλ.) nosset; quae latius explicari hic non est necesse. V. 371. τούτῳ τῷ λόγῳ εὖ προσέφυσας, docet, προσφύειν proprie esse, *facere, ut aliquid accrescat*, dein, *argumentis aliquid affirmare*, metaphorice: ita autem exponere verbum Schol. *Aeschyli*, cuius tamen locum non indicat, vir diligentissimus alias in hoc genere. Sic *Equit.* 35. εὖ προσβιβάζειν dicit. V. 379. ubi non Iupiter, sed αἰθέριος Δῖνος in caelo regnare dicitur, ut 829. hanc vocem admonet sumtam ridiculi causa:

nam

nam inter *Δῖνος* et *Διὸς* ex *ζεὺς*, qua literas, parum est discriminis. *Δῖνον* autem esse vocem ambiguam, quod et *verticem*, et poculi genus grandioris notet, teste *Scholiaste* et *Athenaeo L. XI.* quamquam ibi *δεῖνον* edatur. Apparere autem, tale poculi genus positum fuisse in hac Comoedia in scena, quasi simulacrum dei, ut res magis ridicula videretur; quod infra v. 1476. quasi digitum intendens ad illud poculum dicat: *διὰ τουτονὶ τὸν Δῖνον· οἴμοι δείλαιος ὅτε καὶ σὲ χυτρεῦν ὄντα θεὸν ἡγησάμην*, ubi vid. Quae est sane perbella et nova observatio. Ad Parabasin chori v. 518. sqq. bene docet, quae *Aristophanes* reprehendat in aliis Comicis, ea ipsum admisisse in suis Comoediis. Vers. 694. ad *τί δρῶ*, monet, esse pro futuro, quod et alii: sed eam rationem maxime in verbis valere in *άω* et *έω*; quod exemplis pluribus illustrat. V. 709. *δάκνουσί με οἱ Κορίνθιοι*, iocum esse in eo, quod pro *κόρεις*, *cimices*, per paronomasian faciat *Κορίνθιοι*, ut post 728. *ἀρνακὶς* pro *ἄρνησις*. Hoc bene. Sed cetera, quomodo versus sequentes intelligendi, ut in Corinthios conveniant, et eorum vitia perstringant, id non magis attingit, quam superiores interpretes. Nec animadvertit vitium in v. 714. ubi duo versus pro uno eduntur. Locus est non facilis Vers. 867. ubi Socrates de Strepsiade: *νηπύτιος γάρ ἐστ' ἔτι καὶ τῶν κρεμαθρῶν οὐ τρίβων τῶν ἐνθάδε.* Nemo interpretum vel attigit magnopere hunc locum, vel assecutus est. *Berglerus* illustrat verbum *τρίβων* aliis exemplis, et de *κρεμαθρῶν*, forte, ait, ostendit digito corbem pensilem, in qua ipse primum sublimis apparuerat ipsi: quod est nihili. Quo enim pertineat illa talis demonstratio. Immo iocus est, et ridiculum ex inopinato. Debebat dicere *τῶν μαθημάτων* pro eo dicit *κρεμαθρῶν*, ex eo, quod in corbe se suspendere solebat, atque ut occasio daretur Phidippidi inde in Socratem ludendi, quod facit versu sequente: *αὐτὸς σὺ τρίβων εἴης ἄν, εἰ κρέμαιό γε.* Quo loco etiam in versione non plene assecutus est graeci textus vim, cum vertit: *et corbibus hic pendentibus non assuetus.* Bene, quod *corbibus hic pendentibus:*

bus: ſed *tritus* eſſe debebat *τρίβων*: ſic melius reſponderent ſeq. *tu ſane tritus* (Bergl. *aſſuetus) ſis* vel *fies, ſi pendeas.* Bona lux affunditur loco de Telepho paupere V. 919. Scholiaſtes iam notavit, perſtringi *Euripidem*, qui Telephum pauperem induxerat: ſed hinc intelligi ſane non poterat, quae in eo eſſet cauſſa reprehendendi *Euripidis.* Bene ergo addit *Berglerus: et facundum*, quod huc maxime pertinet, collato *Acharn.* 428. Vult igitur *Euripidem* perſtringere, ut magiſtrum eloquentiae, quae pernicioſa reipublicae ſit: unde et in *Ranis* 979. induci, ut magiſtrum rhetorum ſe iactantem: *ἔπειτα τουτουσὶ λαλεῖν ἐδίδαξα*, *Aeſchylum* autem ei ibi in certamine reſpondentem *φημὶ κἀγώ· ὡς πρὶν διδάξαι γ' ὤφελες μέσος διαῤῥαγῆναι.* In *Pace* quoque 533. *Euripides* vocatur *ποιητὴς ῥηματίων δικανικῶν.* *Euripidem* autem hic perſtringi, ait, ut familiarem *Socratis*, quem et *Σωκράτει παρακαθήμενον* vocat *Ran.* 1532. Haec quidem ſunt potiora in notis ad *Nubes.* Addemus quaedam ad eandem e notis *Dukeri*, praeſertim ea, quae non attigit *Berglerus.*

Verſ. 24. Strepſiades ait: *εἴθ' ἐξεκόπην πρ. τὸν ὀφθαλμὸν λίθῳ.* Pro eo vult legi *ἐξεκόπη*, de equo, ut *Kuſtero* etiam placuit: nam id ſenſum poſtulare, et locum ſuadere *Suidae*, quem ad h. l. pertinere: *ἐξεκόπη τὸν ὀφθαλμὸν, ἐπηρώθη*, quod *Kuſterus* non obſervarat. V. 41. in principio verſus non conſtare videtur: *φεῦ εἴθ' ὤφελ' ἡ προμν.* Eſt enim in ſecundo amphimacer. In quo in varias partes rem expendit *Dukerus*, ut vel *φεῦ* deleatur, quia apud *Thom. M.* eſt *εἴθ' ὤφελεν*, vel, eo ſervato, *ὄφελ'* legatur, vel denique per ſynizeſin *φεῦ* cum *εἴθ'* in unam ſyllabam coeat, cuius generis et aliud exemplum eſt in *Ran.* 141. ubi *φεῦ* eadem de cauſſa eiici volebat, quod *Dukero* propter conſenſum librorum et *Etym. M.* et *Suidae* non placet, cum et alia talia exempla ſint apud *Euripidem Hec.* 55. et alibi. V. 130. notat, quod *Bentleius* iam admonuit, metrum deſiderare videri, ut legatur *σκινδαλάμους*, non *σκινδαλμούς.* Neque modo cum *B.* utitur *Suidae* et *Heſychii*

chii auctoritate, sed etiam (*Luciani* et) scholiastae Lucianei ad *Disp. cum Hesiod.* c. 5. ubi aliud egit *I. Fr. Reizius* V. C. cum apud *Aristophanem* ob metrum legi σκινδαλμοὺς scripsit. In v. 186. τοῖς ἐκ Πύλου ληφθεῖσι τοῖς Λακωνικοῖς, nemo, quod sciamus, haesit in τοῖς Λακωνικοῖς. Consensu accipiunt pro Λακεδαιμόσι, quod quomodo, et quo exemplo fiat, dici non potest. *Dukerus* autem hic haesit, et corrigendum existimavit, τῆς Λακωνικῆς, ut ad Pylum referatur: quod verum esse credemus, dum doceatur, Λακωνικοὺς dici posse Lacedaemonios. Illud quoque recte admonet in v. 235. delenda esse prima verba τί φῄς; quod versum corrumpunt, qui sine iis integer est. V. 381. in secundo pede ἀτὰρ οὐδέπω est iambus, qui in hoc genere versuum, quod est anapaesticum, locum non habet. Vidit hoc *Kusterus*, tentavitque, ἀτὰρ οὔπω σύ γε. *Dukero* placet οὐδέν πω, quae est mollior correctio. In v. 484. eodem modo, ut *Bentleius*, succurrit versui, inserens τι, sed pariter relinquit ὤν, quod *Berglerus* tollit, sed versum vitiosum facit. V. 575. πρόχετε corrigit, ut *Bentleius*. V. 584. ad quem vidimus ante *Bergleri* coniecturam, corrigit ἐξέλιπεν, quod quartus locus peculiari ratione iambum recipiat, ut Schol. ad 518. tradat, et esse aliquot exempla in hac parabasi. V. 604. mavult σελαγεῖς, quod Κωμαστὴς Διόνυσος pro vocativo accipi debeat, praegressis aliis vocativis. V. 1072. corrigit plane ut *Bentleius*. Apparet, opinor, non esse contemnendas has *Dukeri* notas. Et nihil dixi de iis, in quibus antiquitates et significationes verborum explicat atque illustrat, quae sunt non paucae, nec contemnendae. Ceterum hae notae scriptae sunt ante editionem Kusterianam, iis tamen exceptis, quae ad *Equites* pertinent. Alia caussa sit necesse est, quare *Berglerus* notas et emendationes Bentleianas ignorare simulet, nec commemoret uspiam, nec iis utatur. Sunt porro illae notae Dukerianae excerptae e schedis viri clarissimi, quas *Guil. Röellius* Prof. Amst. suppeditavit, per *Nic. Bondtium* V. D.

ſed, ut e praefatione *Burmanni* diſcimus, parcius, quam erat optandum.

Ultima, nec contemnenda pars huius editionis, eſt Collectio fragmentorum Ariſtophanicorum, a *Theod. Cantero* inſtituta, et a *Guil. Coddaeo* aucta, adiuncto catalogo Comoediarum deperditarum e *Meurſii Bibl. Att.* I. p. 1436. ſ. T. X. *Ant. Graec. Gron.* et *Fabric.* B. G. II. 12. Fragmenta ipſa ingenti numero augeri poſſent e Grammaticis et Lexicis inprimis, *Athenaeo, Stobaeo,* et *Scholiaſtis,* quae materiam criticarum obſervationum praeberent, cuius generis etiam multae e ſcriptis Criticorum colligi poſſent, qui pasſim fragmenta *Ariſtophanis* corrigunt et explicant. De his autem Comoediis deperditis, earumque fragmentis, bene longa et erudititſſima eſt *Burmanni* Diſputatio in praefatione a pag. 17. ad finem, quam legiſſe neminem poeniteat; quod multa accuratius de nominibus Comoediarum, de diverſisque editionibus earum, traduntur, multa fragmenta emendantur, aut, qui ea emendarint, indicantur, denique ratio iſtorum fragmentorum recte tractandorum traditur.

Ceterum ex his facile intelligent omnes, quanto beneficio ſibi obſtrinxerit Cel. *Burmannus* graecarum literarum ſtudioſos, qui haec tot ac tanta bona tam liberaliter cum iis communicaverit, optabuntque, ut ei, cum vita longiſſima, diuturna facultas detur, aliis beneficiis ſuis rem literarum publicam augendi atque ornandi.

PRECIS DE LA MEDECINE PRATIQUE, CONTEnant l'hiſtoire des maladies, dans un ordre tiré de leur ſiége; avec des obſervations et remarques critiques ſur les points les plus intereſſans. Par M. LIEUTAUD, Medecin de Mgr. le Duc de BOURGOGNE et des Enfans de France etc.

id eſt:

EPITOME MEDICINAE PRACTICAE, MORBOrum hiſtoriam, concinnatam ad ordinem affectarum

in

in corpore partium, complexa, cum obſervationibus et animadverſionibus criticis in res praecipuas. Auctore LIEUTAUD, Sereniſſ. Ducis Burgundiae et Liberorum regis Medico, Academiae Regiae Scientiarum, Societatis Regiae Londinenſis Socio, Anatomiae Profeſſore emerito.

Lutetiae Pariſiorum, apud Vincentium, 1759. Alph. 2. in 8.

Si verum eſt, quod omnes fatentur, neminem, qui de humano genere bene mereri ſtudeat, debita laude fraudandum eſſe; is ſane, qui humanae ſalutis praeſidem artem ſcriptis fideliter illuſtrat, laude ſua carere numquam debet. Speramus igitur, et celeberrimum LIEUTAUD laturum eſſe pretium laboris, quem haud vulgarem in conſcribendum hunc librum inſumſit. Quanquam enim neque librorum artis medicae praecepta continentium inopia laboramus; neque a recentioribus quibusque Auctoribus novarum rerum larga ſeges in hoc doctrinarum genere expectari poteſt: ille tamen iam operae pretium facit, qui antea cognita bono ordine et perſpicuo ſermone proponit. Vir Celeberrimus autem non ſolum hoc boni ſcriptoris officio recte functus eſt; ſed morborum etiam hiſtorias obſervationibus, quas frequentes morbis extinctorum diſſectiones eum docuerunt, locupletavit. Difficultas, morbos ordine ſyſtematico exponendi, fecit, ut Cl. Auctor morbos tum internos, tum externos, eo, quem ars Anatomica ſuggeſſit, ordine, diſponeret et explicaret, praemiſſis qui per totum corpus oriuntur, ſubiectis vero mulierum puerorumque morbis. Cauſas morborum, quas medici proximas nominant, ſubtilius non eſt proſequutus; diligentius vero evidentes et remotos conquiſivit. Neque multus fuit in prognoſticis, perſuaſus, hanc artis partem non ita eſſe excultam, ut de morborum exitu ſine metu erroris iudicari poſſit. Victus rationem non in quovis morbo habuit: non

quod ei parum tribueret, ſed quod medicos paululum in rem attentos ipſos ſibi conſulturos ſperaret. Pharmaca parce laudavit, neque tamen contemſit, quin potius ſelecta, et ad quemque morbum accommodatiſſima, laudabili ſtudio collegit. Haec fuit generalior totius operis adumbratio. Singula perſequuturis, rerum delectus adhibendus ita erit, ut decerpamus et delibemus, quae praecipua videbuntur. Hippocratis, eiusque Commentatoris Alpini, praedictionibus, quas tamen nos magni facimus, nimis parum tribuit, easque prolixe et confuſe propoſitas eſſe opinatur. Hippocratis tamen doctrinam, de diebus criticis, probat. Febrium malignarum fomitem nervis et cerebro ineſſe ſecure pronunciat. Sanguinis miſſionem huic febrium generi non niſi perquam raro convenire, nunquam vero in pede adminiſtratam, ſed hanc ſemper nocere, tum ex ſua, tum ex aliorum obſervatione. Sudorem Anglicum, a quinquaginta usque annis in Galliis, licet raro, homines invadere; eosdemque aliquando intra ſex primas horas morti tradere. Sudorem ipſum hoc morbo aegrotantibus eſſe remedio, omneque corporis refrigerium vehementer et adeo nocere, ut nec tutum ſit manus frigori exponere; hinc ſudorem, non ſatis largum viſum, diaphoreticis et ſudoriferis eſſe augendum, aegrosque valde utplurimum ſomnolentos veterno arcendos. Febrem tertianam, tum ſimplicem, tum duplicatam, ſaepenumero ſanari ſolo uſu aquae, per tres quatuorve dies potae, alio omni alimento corpori detracto. Quartanam cortice caſcarillae certius, quam Peruviano, tolli. Anaemiam ad claſſes morborum refert, et aſſeverat, vaſa ſanguinea interdum usque adeo ſanguine vacua reperiri, ut caput, pectus, et abdomen tam ſicca ſint, ut ceram referant; vaſa minora omni tum carere ſanguine, maiora ſemiplena eſſe, utrumque genus aere turgere. In virgine quadam, cui ſpatio annuo ſanguinem centies detraxerant, ſubito extincta, cerebri vaſa ne veſtigium quidem ſanguinis olim contenti oſtendiſſe. Omnium maxime tamen memorabile exemplum narrat de homine

homine quadraginta quinque annos nato, qui cum ob morbum acutum quendam profusissimis sanguinis missionibus iacturam huius liquidi vitalis fecisset, syncope post mensem subito exanimatus est. Paulo ante mortem et vires recuperare, et pristinum colorem ducere visus erat. In huius extincti cadavere vasa cerebri penitus sicca, cor sanguine prorsus vacuum reperit, omnesque sectiones in sicco fecit Auctor Clarissimus. Ad sanandam luem veneream plerumque necessarium esse putat argentum vivum, aut quoddam ex eo arte chemica paratum pharmacon, sed ita exhibendum, ut ne ptyalismus consequatur, quem non modo non utilem, sed etiam periculosum iudicat. Podagram repressam, sola sanguinis ex pede missione, ad pedes interdum revocari testatur. In omnibus fere cadaveribus malo hypochondriaco extinctorum reperiri asserit varicosas venarum, ad portae venam pertinentium, dilatationes, a se quidem visas tam enormes, ut fere intestinorum canalem adaequarent. In cadavere feminae, cui statura mediocris erat, invenit hepar pure ita plenum, ut sursum usque ad tertiam costam trusum esset septum transversum. Camphoram, cui virtutem consopiendi tribuit, ad multos morbos, inflammatorios maxime, utilem valde commendat; immo etiam adversus maniam laudat, cuius furoribus et Sacharum Saturni accommodatum esse dicit. Opiata vero, omniaque hypnotica, maxime aliena esse, furoresque iis sumtis vehementer increscere. Castrationem saepenumero maniae mederi posse, post aliorum experimenta credit. Fortasse alia quaecunque operatio, dolores creans, et suppurationes post se trahens, utilis fuisset. Morbo, quem Tetanon (tentiginem) vocant, prehensos, si post diem morbi quartum vixerint, salvos futuros esse plerique Hippocrati credunt: quod falsum esse, Auctorem nostrum experientia docuit, qui aegrotos duodecimo et decimo quinto morbi die exspirasse vidit. Motibus convulsivis diu admodum agitatos, post alia omnia auxiliorum genera frustra adhibita, a lapide magnete probe armato, amuleti vice gestato, levamen

men morbi percepisse narrat, neque rem verisimilitudine carere existimat. Catarrhi suffocantis genera duo proponit: alterum, quod constrictione glottidis contineri; alterum, quo bronchia oppleri ait. Priori genere tactos conqueri de punctionibus glottidis, eiusque constrictione, quae similis sit ei, quam mica panis aut simile quid in laryngis cavitatem illapsum concitare solet. In cadavere hominis priore hoc catarrhi suffocativi genere strangulati, ventriculi cordis, anterior maxime, itemque vasa magna, mirum in modum oppleta et distenta, caeterae vero pectoris partes non vitiatae apparuerunt. Altero genere suffocatorum corpora saepius dissecare ei licuit. Bronchia et arteria aspera muco plus minus crasso prorsus plena erant. Veram pleuritidem esse morbum oppido rarum perhibet, experimentis et dissectionibus cadaverum fidem adhibens, quae eum docuerint, ex magno numero eorum, qui pectoris inflammatione perierunt, nonnisi duos vera pleuritide fuisse oppressos. Ab inflammatione pulmonum abesse posse tussim, dolorem, et spirandi difficultatem, mirum videbitur lectoribus. Morbum tamen epidemicum, anno 1754. grassantem, talibus exemplis memorabilem fuisse asseverat Auctor. Pulmonum erysipelas, quarum mentionem fecerunt Lomnius et Boerhaavius, reiicit: solius cutis morbum esse arbitratur. Contra venae sectionis abusum, quo medici Galli male audiunt ab exteris, tum in hoc, tum in aliis morbis, graviter et bene disputat, et sanguinis missionem, ad decem vel duodecim uncias, ter quaterve primis duobus tribusve morbi diebus administratam, sufficere, in quibusdam vero malis epidemicis plane omittendam esse, adfirmat. Idem agit, dum de curatione variorum generum asthmatis praecipit, neque venae sectionem (*ce remède banal, qu'on applique à tout,*) nisi manifestae plethorae, convenire inculcat. In ipsis quidem paroxysmis vehementioribus, levamen, misso sanguine, percipere asthmaticos videri; sed fallacem esse, morbique sanationem difficiliorem reddere. De empyemate tractans, observat, illud interdum

ante

ante diem decimum quartum iam esse factum; a se etiam visum esse pulmonem alterius lateris intra dies triginta duos prorsus consumtum, et in pus, lactis speciem referens, mutatum. Empyemati aperiendo caustica magis, quam operationem chirurgicam, idonea esse docet. Id, quod Auctores de iis, qui pectoris hydrope, aut empyemate laborant, scribunt, eos nimirum in latere laborante cubare non posse, utplurimum quidem, sed non semper verum esse: dissectiones enim cadaverum subinde aliud monstrare. Aquarum colluviem non raro pericardio contineri, neque id genus a caeteris ullo signo discernere licere. Etsi enim Diemerbroekius iam de singulari tarditate pulsuum, tanquam signo aquarum pericardio contentarum, scripserit; et Cl. Auctor ipse in quodam aegro tantam pulsuum tarditatem repererit, ut unius horae minuti primi spatio arteriae non pluries quam vicies micarent, aegro interim bene appetente, satisque ceteroquin valente: id signum tamen non perpetuum esse. Nihilominus haec de tarditate pulsuum observatio notatu digna admodum videtur. Cordis polypos dari, confidenter negat, quod nos vehementer miramur. Fatemur tamen, Cl. Auctorem non videri temerarium: quodsi enim tanta polyporum illorum frequentia foret, ut nonnulli opinantur, mirum utique esset, in duobus cadaverum, ab Auctore dissectorum, millibus, ne semel quidem verum polypum fuisse deprehensum. Interea Cl. Auctor non infitiatur, reperiri interdum concretiones albidas, apparenter fibrosas; sed urget, has non esse malorum causas, sed effectus, et paulo ante mortem, vel in ipso mortis articulo, coire atque existere. Praeterea, sanguinis missionem, in ipso paroxysmo syncopes, raro admodum necessariam, saepiusque nocere et periculosam esse, contra opinionem vulgarem dicit. Intestinorum invaginationem in cadaveribus aliquoties vidit, etiamsi ante mortem nullus vomitus praegressus esset. Argentum vivum, ad librae pondo, adversus morbum, quem ileon vocant, assumtum, non semel aut bis, sed aliquoties excitasse salivationem, memoriae tradidit.

didit. Cholerae morbo multos abſurde mederi per data emetica et purgantia, conqueritur; neque praeter caſſiam et tamarindos quicquam eorum admittit. Deiectionum ſanguinearum mentionem facit, quae ſint neque dyſenteriae, neque hepatici fluxus, neque haemorrhoidum; *fluxum ſanguinis meſentericum* nominat. Eas interdum ſanguinei vomitus comites eſſe, et modo a vaſis gaſtricis, modo a meſentericis venire, atque eſſe ſimplicem haemorrhagiam plus minus largam, cuius ſedes incerta ſit; neque valde timendas eſſe. Radicem ipecacuanhae, aliis vomitoriis in medela dyſenteriae potiorem, aut eam et Simarubam vitrumque antimonii ceratum vera dyſenteriae ſpecifica remedia eſſe, negat, non tamen e claſſe medicamentorum efficacium eiicit. Animadvertit, et radicem ipecacuanhae, et alia vomitoria, et Simarubam, et lac, quae omnia in quibusdam dyſenteriae generibus laudem meruerint, in aliis epidemiis mortifera fuiſſe. Colicae Pictorum exactam deſcriptionem, quam ab Illuſtri Senaco accepit, operi ſuo inſeruit. Morbus ille plerumque duodecim vel quatuordecim dies durat, poteſt tamen et ſpatio quatuor vel quinque dierum terminari; ſedem habet in meſenterio; vehementiſſimus eſt, et aegrotantes non raro deſperabundos reddit, qui neque ſitiunt, neque febriunt; pulſus contractus eſt; dolores ad varias corporis partes pertingunt, ſaepius fixi quam vagi, attamen remittentes; nauſeam et quandoque vomitus enormes concitant; flatulentia plus minus manifeſta eſt; urina aut penitus ſupprimitur, aut parca copia deſtillat; alvus adeo pertinaciter adſtricta eſt, ut vix admittat enemata; muſculi abdominales contrahuntur, et dorſali ſpinae appropinquant, et umbilicus intro abit, quam notam Senacus pro pathognomica habet; aegrotantes perpetua inquietudine agitantur; membra ſtupent contrahunturque; ſingultus, motus convulſivi, ſudores frigidi, animi deliquium, aliaque ſymptomata atrocia accedunt; morbus degenerat in paralyſin, aſthma convulſivum, morbum regium, alvi fluxum, etc. Princeps tamen ſignum huius

huius generis colicae cernitur in morbi caufa, quae femper plumbei generis eft. Confert ufus vinorum cuiuscunque generis, aliorumque acefcentium, tanquam plumbeas particulas diffolventium. Hinc opifices, qui plumbo indeque paratis carere nequeunt, a vino abftinent, et bene, aut faltem melius habent. Curationem tam atrocis morbi abfolvunt fequentia: vomitorium, poft affumta lenientia, et diffolventia, et diluentia, datum, opem eximiam affert, et vomitum praegreffum fiftit, doloresque ventriculi fugat; inteftinorum dolores poftea optime lenit oleum amygdalarum dulcium, omni trihorio ad unam duasque uncias, una cum dimidia aquae vulnerariae parte affumtum; quod ultimum remedium Senacus, quamvis empyricum putaret, adoptare coactus fuit; interea neque laxantia, neque enemata emollientia et lenientia, negligi debent; enematis addi folent oleum nucum, therebintina, balfamus copaivae, oleum anifi, certius tamen et promtius auxilium praeftant vinum emeticum, colocynthis, aliaque ftimulantia addita. Sed et topica emollientia utilia funt. Paralyfis remanens non aliam, quam communem medelam, pofcit. Artuum dolores relicti, faponacea et aperientia poftulant. Haec paulo prolixiora inferere voluimus, quia Auctor affeverat, Illuftrem Senacum faepe faepius morbum hunc tractaffe. Poft defcriptionem huius generis, fequitur genus illud quod nominatur Colica Pictonum. Sed negat Auctor, eam in Pictonibus effe endemiam, aut ab aliis generibus colicae differre, effe vero non nifi fummum colicae gradum, ut vocat. Tympaniten dicit fummum gradum flatulentiae; falfum tamen effe, quod nonnulli pro figno pathognomico habere folent, abdomen inftar tympani fonare, fi pulfetur, feque pluribus medicis, hac opinione ductis, falfitatem rei in aegrotis demonftraffe. Flatuum copiam quidem faepenumero in inteftinis reperiri, atque haec vehementer et interdum usque adeo intendi, ut colon inteftinum toti femori aequetur: fed etiam rarum non effe eum morbi modum, ubi inteftina flatibus

 careant,

careant, abdominis vero cavitas ſpiritu intus concluſo intendatur, ſic ut, perpuncto abdomine, omnis ventris intentio remittat. Ex quo poteſt intelligi, abdominis punctionem in caſibus extremis nunquam eſſe omittendam. Aliquando levamen morbi attuliſſe dicitur applicatio nivis, vel glaciei contuſae; qua via mederi licebit, ſi qua cauſa calida ſubeſſe videbitur. Remedii lithontriptici Anglici vires, adverſus dubitatores, et nominatim adverſus Meadium defendit, et hac occaſione exemplum felicis curationis deſcribit. Fuit homo quinquagenarius, calculi doloribus miſere afflictus, vigiliis exhauſtus, alimenta faſtidiens, et a chirurgo ad operationem ſeu curationem calculi iam praeparatus. Is tamen antea remedii illius vires experiri ſecum apud animum ſtatuerat. Menſe uno elapſo iam morbi levamen percepit, quod poſt menſem ſecundum auctum fuit; menſe quarto currente iam urinam per horam integram continere potuit, quod a multo retro tempore ei non licuerat; tandem poſt ſeptimum menſem omnia ſymptomata evanuerunt. Hoc temporis ſpatio ingentem copiam calculorum et ſabuli per urinae iter eiecerat. Neque chirurgus ille, qui curationem calculi in ſe ſuſceperat, et calculum ipſum ſpecillo in veſica contigerat, neque alii poſt id tempus, quidquam, quod calculum argueret, ſpecillo attingere potuerunt. Praeter caſum hunc, ſummatim narrat reliquarum curationum, remedio eo abſolutarum, exitum. Ex illis ſcilicet calculoſis, quibus remedium id dederat, quatuor tantum a calculo eiusque ſymptomatibus prorſus liberati ſunt, et quidem poſt uſum per menſes decem continuatum; caeteri omnes remedium valde ingratum nimis cito faſtidiverunt, excepto viro quodam octogenario, qui ultimis quinque vitae annis remedium, ſine quo vivere non poſſe ſentiebat, conſtantiſſime aſſumſit. Alius quidam, cuius et renes et veſica ulcera contraxerant, poſt uſum triginta et duorum dierum ex vita migravit. In diſſecto cadavere repertus eſt calculus, remedio aſſumto vehementer corroſus. Pilulae adverſus colicam nephriticam com-

commendatae, maiori etiam cum emolumento ab Auctore adhibitae sunt. De renum calculo, non habet quod certo affirmet. Tandem non dubitat, remedium id ad praecipua referre, quibus ars aucta sit; testaturque, ne minimum quidem fructum ex hac remedii istius commendatione ad se redundare posse. Haec de remedio illo. Alibi describit morbum quendam singularem, quem catarrhum vesicae vocat. Iuvenis sedecim annos natus, febre rheumatico-podagrica corripitur, qua die decimo quarto liberatur. Elapsis aliis septem diebus in febrem recidivam incidit, simulque de dolore vesicae, et ardore urinae conqueritur; urina incipit mingi crassior, deiiciens sedimentum album et mucosum, quod deinde ita auctum fuit, ut quartam urinae excretae partem efficeret. Febris recidiva duravit dies duodecim; urinae vero illae usque ad quinquagesimum fluxerunt. Multi ex Medicis, quibus licuit morbum hunc singularem propius speculari, sedimentum illud pro materia purulenta habuerunt; sed Auctor, cuius curae salus aegrotantis commissa erat, materiam eam esse iudicavit muci genus, persimile ei, quod catarrhosi ex naribus faucibusque eiicere solent. In ea sententia etiam fuit Illustris Senacus: incredibile enim videbatur, ulcus, quod tantam puris copiam aleret, brevi et sponte potuisse sanari. Ad nimiam obesitatem tollendam minuendamve sudores facere, si facile aeger fert, dubitare, adeoque Cel. Auctori eos eo consilio laudanti refragari, nolumus. At reperiuntur obesi, qui sudoribus excitatis vehementer laeduntur, et deliquio animi corripiuntur, nec sine metu suffocationis. Nasum cancro paene destructum, ab empyrico per herbam Sabinae sanatum, vidit Auctor. Anevrismatum in collo et pectore exortorum dein meminit, quae plus quam quatuor libras sanguinis continuerunt. Contra eos, qui negant, praecipitationem hominis, a cane rabido admorsi, in mare vel piscinam, esse remedium hydrophobiae metuendae, confidenter asserit, se nullum eorum, quos rabidi canes admorsissent, et qui satis mature, et ex improviso,

in mare praecipitati fuissent, hydrophobia correptum vidisse. Argento vivo non modo homines, sed etiam canes admorsos, ab hydrophobia et tutos praestari, et liberari docet. Alio loco ait, tum in cerebri ventriculis, tum in basi cranii eorum, quibus ad sanandam luem veneream minerale id datum erat, nec non artificium quorundam, idem argentum vivum ad plures uncias, imo aliquando ad librae pondo, fuisse repertum. Narium haemorrhagias non semper satis tuto per turundas reprimi; se enim vidisse hominem ita curatum, cuius ventriculus et pulmones, a sanguine ex naribus per fauces in has partes destillante, ita fuerint oppleti, ut homo post paucas horas suffocatione strangulatus fuerit. Multos reperiri homines, qui satis acute audiant, quamvis tympani membrana destructa sit. In uvulae prolapsu, vetustate confirmato, hanc partem aliquoties, bono cum successu, nunquam infeliciter, resecuit. Mentionem facit dolorum rheumaticorum, musculos abdominales affligentium, morbumque dicit minime infrequentem, quamvis parum cognitum; utplurimum enim pro colica, aut etiam pro musculorum illorum inflammatione, haberi. De remedio illo contra hernias, quod auctori *de Cabriéres* debetur, quodque iam evilescere incepit, honorifice sentit. Chirurgis proponit faciliorem methodum curandi bubonocelen, qua fieri incisio debet supra annulum, et dein ea parte sacco herniae immitti specillum, sulcum in longum ductum habens, quo duce tandem saccus, momento temporis, et sine metu intestinum laedendi, aperiri queat. Hypogastrocelen nominat morbum parum cognitum, cuius descriptio sic habet. Est tumor totius abdominis, formatus ab adipe corrupta, quae et valde augescit, et duritiem scirrhosam contrahit. Augmentum hoc admodum lente fit, tandem vero dolores vehementes, ac febrem lentam concitat. Ingens illa adipis sub integumentis accumulatio partes internas adipe emungere quasi, et exhaurire videtur, ita ut hae siccescant. In cadavere feminae hoc morbo affectae, et tandem marasmo enectae,

enectae, praeter incredibilem craſſitiem tunicae adipoſae, quae in locis quibusdam ultra altitudinem ſex pollicum asſurgebat, inveniebantur epiploomphalos admodum adhaerens, et viſcera pleraque putredine et pure conſumta. Nimis tardam eruptionem variolarum balneo calido accelerare docuit Illuſtris Senacus, et hac methodo in epidemia admodum maligna varioloſos feliciter tractavit. Satis eſt, pedes ac manus balneo foviſſe. Boerhaavium iam balnea commendaſſe nos animadvertimus. Puerorum lactentium morbum, (qui nobis pororum in cute obſtructio, a tenacibus mucoſisque ſanguinis impuritatibus orta videtur,) ad inſectorum familiam et regnum refert, et particulas illas mucoſas, quae poros cutis referciunt, crinones cum nonnullis nominat. In praefatione operis Cl. Auctor aliud Volumen propediem edendum promittit, quod quale futurum ſit, coniectura non aſſequimur, niſi peculiarem librum de morbis infantum eſſe, ex verbis Auctoris, in fine operis lectis, colligere velimus. Qualecunque demum fuerit, praeſens efficit, ut magno deſiderio futuri teneamur.

PHILOSOPHIAE CIVILIS, SIVE POLITICAE, PARS PRIMA, exhibens principia cum generalia Politicae publicae, tum ſimplicibus civitatum formis propria: tanquam continuationem Syſtematis Philoſophici Chriſtiani L. B. de Wolff, praemiſſo brevi b. Baronis elogio: Auctore MICHAELE CHRISTOPH. HANOVIO, Gymnaſ. Academ. Gedanenſ. Prof. Philoſ. et eiusd. Biblioth.

Halae Magdeburgicae, in offic. Rengeria, 1756.
Alph. 4. plag. 5. in 4.

Pulcherrimum Ill. *Wolfius* conſilium ceperat, omnes Philoſophiae partes latino ſermone, et multo copioſius explicandi, quam anguſtiae ſyſtematis, quod vernacula ediderat, permiſerant; verum praematura; omnibusque

busque bonis luctuosissima morte extinctus, opus inchoatum absolvere non potuit. Cum vero plures essent, quorum votis eiusmodi opus valde desideraretur, dedit bibliopola *Hanovio*, Viro Cl. cuius egregia Philosophiae Wolfianae cognitio satis perspecta et cognita esset, illud negotii, ut filum, morte magistri sui interruptum, pertexeret. Hic igitur in Philosophiae civilis doctrina tradenda *Wolfium* quidem ubique fere secutus est; adhibuit tamen subinde alios, praeclara civilium rerum scientia instructos, ut Aristotelem, Platonem, Ciceronem, compluresque recentioris aetatis, in consilium; atque, si quando neque hi satisfacerent, rationis ope veritatem eruere, propriaque meditatione praecepta tradere studuit. Atque hoc modo iam in quatuor voluminibus edendis versatus est, in quibus quae proponantur ordine indicabimus. Ne vero fundamenta deessent, quibus reliqua bene superstrui possent, praemittenda putavit *Prolegomena* quaedam, in quibus generales Politicae notiones exponeret. Hic igitur, definitione Politicae tradita, docet Vir Cl. Politicam proxime superstruendam esse Iuri naturae publico universali, alia tamen Politicae principia subministrare Oeconomicam, Ethicam, reliquum ius naturae ac gentium, et Philosophiam practicam universalem. Politicam non minus, quam Ethicam, omni metaphysicae, tanquam primo et immoto fundamento, incumbere: quae in Politica demonstranda sint et comprobanda, ea, si principia domestica non sufficiant, ex his disciplinis esse promenda: si vero omnia, quorum sit aliquis in civitate usus, demonstranda sint, Physicam quoque, omnemque Technologiam, Politicae fuisse praemittendam. Deinde ostendit, obiectum et subiectum Politicae nullum esse aliud, quam civitatem beandam: Politicae esse, docere modum rempublicam rite constituendi, reformandi quando opus sit, et mutandi, recteque administrandi: hinc et adiumenta, et impedimentorum salutis publicae remedia, ducenda esse. Tum potiora adiumenta et impedimenta, virtutum politicarum praestantia et peccatorum gravitas,

gravitas, atque utilitas e cerimoniis aptis et convenientibus in ſalutem publicam profecta, declaratur. His expoſitis demonſtrat Noſter, in Politica docendam eſſe artem prudenter feliciterque regnandi et parendi: Politicam varias admittere perfectionis et defectuum gradus: Politicam vel togatam, vel ſagatam eſſe, eandemque reliquarum diſciplinarum principem et reginam: quomodo politicus aut imperet, aut pareat? quae ſint officia politici imperantis? an diviſio Ariſtotelica politicae, in legislatoriam, conſultatoriam, et iudiciariam, omnem illius ambitum exhauriat. Negat hoc Auctor, atque oſtendit ſimul, quomodo Politica a Iurisprudentia differat? cur excuſandi veteres Philoſophi, qui omnem fere morum doctrinam ad Politicam retulerint? quae ſint partes politici privati? quae indicia pſeudopolitici? quae Politica regia et divina? nempe publica, quae artem feliciter regnandi doceat et exerceat. Haec de Prolegomenis. Ipſa Pars prima haec deſcripta eſt in capita IX. Iam quoniam in diſciplinis practicis omnia ad certam finis propoſiti conſecutionem referuntur, atque ex fine omnis indoles civitatis metienda eſt, in capite *primo* de *civitatum fine* exponitur. Notionibus igitur civitatis, populi, et civis, evolutis, finem civitatis collocat Vir Cl. in communi illo bono, quod aut non melius, aut non, niſi coniunctis illius viribus, parari poteſt, illiusque tuta fruitione; atque hunc finem definit per ſalutem publicam, ſive per augendam vicorum ſalutem, quousque per ſocietatem plurium fieri poteſt. Salus publica, ex mente Noſtri, vel in hominis ſummi boni conſecutione fruitioneque non impedienda conſiſtit, atque haec vocatur *primaria;* vel in copia parabili huius vitae bonorum inferiorum, maxime externorum, tuto perfruenda, quae *ſecundaria* dicitur. Ex his definitionibus Auctor ſequentes poſitiones producit: ſalutem publicam integram non eſſe, niſi et primariam plene contineat, et, quanta illa ſalva haberi poſſit, ſecundariam: primariam continere veram felicitatem omnium et ſingulorum, ſaltem plerorumque civium, quatenus

illa in hominem cadat: eandem non nisi virtutibus quibuscunque obtineri posse et debere, neque sine legum naturalium custodia adquiri et conservari: secundariam, praeter bona corporis parabilia, bonorum externorum tutam fruitionem, et a malis ambobus immunitatem continere, atque affluentia, tranquillitate, et securitate civili absolvi: Eandem cives eatenus fortunatos reddere, quatenus extra civitatem eadem non essent habituri. Porro docet, in se, atque in recto usu, nec primariam civitatis salutem secundariae, neque hanc illi repugnare, sed potius utramque amice conspirare: per abusum secundariam primariae praeferri quidem, sed hanc semper illi anteponendam, atque in civitate optima utramque salutem coniungendam esse; neque bonam civitatem esse posse, in qua tantum secundariae ratio habeatur. Quoniam civitas ratione salutis primariae a Nostro felix et beata, ratione secundariae fortunata dicitur, sequitur, felicitatem civitatis, si aliter fieri nequeat, vel iactura fortunae esse redimendam. Perfectam dicit salutem publicam, quatenus bonorum internorum et externorum consensu gaudet; imperfectam, quatenus dissensu laborat. Inde igitur ostendit, salutem publicam gradus perfectionis et imperfectionis admittere, atque hos perfectionis gradus, tum ex bonorum vel multitudine, vel magnitudine, tum ex consensione diversa, nasci. Porro dispescit gradus in *materiales* et *formales*, atque unde illi cognoscantur docet. Post ex eo, quod omnium bonorum et malorum gradus sint, efficit, diversos quoque esse gradus felicitatis politicae, atque fortunae civilis. Quibus disputatis Auctor declarat, quaenam salus civitatis omnium perfectissima esset? quaenam imperfectissima? quid illa inferret? quae sint notae civitatis prorsus perfectae? cur talis civitas neque existat, neque speranda sit? quae civitas imperfectissima? quare eiusmodi civitas non detur? cur sceleratorum sodalitia non sint civitates? cuiusmodi sint obviae civitates? Auctor, quae dentur, aut quae dari possint, civitates, inter felicissimam et infelicissimam

veluti

veluti medias interiacere arbitratur, eamque obviarum civitatum optimam haberi debere, quae tam perfecta gaudeat salute publica, quanta in hac hominum conditione haberi possit. Dari civitates et bonas, et aliis meliores; studendum esse optimae: in suo genere vocari civitatem optimam, qua perfectior in tali determinatione non detur. Denique exponitur, qui sint salutis publicae defectus? quae sint mala publica, cum externa, tum interna? quae civitas sit mala, quae peior, quae pessima? quae civitas magna et maxima? quae potentissima et amplissima? quae civitas sufficiat ad salutem hominum universam? quid sit vera ratio status? quaenam ratio status spuria? quomodo secundum rationem status agatur? quatenus utilitas et salus publica conveniant? cur sola utilitas publica non sit civitatis finis? quaenam sit gloria publica genuina? cur sola gloria publica civitatis non sit finis? quomodo potentia civitatis ad finem eius referatur? cur solius potentiae incrementum quaerere nefas? Caput *secundum* inscriptum est: *de Civitatum necessitate.* Intelligit autem Vir Cl. necessitatem moralem, eamque ita demonstrat: Vici cuiuscunque nominis segreges sibi nondum sufficiunt, neque ad salutis primariae et affluentiae, neque ad tranquillitatis, neque ad securitatis suae omnes partes, quae humanis viribus haberi possunt, consequendas. Neque ad hos fines obtinendos sufficit, si coirent tantum in pagos et oppida, in urbes, in regiones seu pagos ampliores. Potius, si vici cupiant sui iuris esse, et praestantiam libertatis prae servitute cognitam habent; si se invicem perficere, communique saluti tantum prospicere velint, quantum coniunctis eorum viribus fieri potest; si denique neque officia sibi aliisque vicis praestanda negligere, neque in sua et reliquorum commoda peccare cupiant: contrahenda ipsis est societas libera prorsus, et communi bono, quoad fieri potest, et consultum videtur, promovendo intenta, hoc est, civitas. Iam, cum quidquid humana salus requirat, illud in hominum societate moraliter necessarium

 sit,

ſit, ſalus vero humana ob allatas rationes civitates requirat, res facile patet. Deinde Auctor civitates in potentiores et debiliores dividit, et quibus hae incommodis obnoxiae, atque quo modo debilitati medendum ſit, docet. Quia porro, ut debiliores ſibi magis ſufficiant, maiorem hae ſibi potentiam adiungere debent, exponit, quantum ſic augeatur potentia? qui ſit conſociationis civitatum finis? quid ſit corpus civitatum? quae civitates foederatae? quando ſint foederandae? quae foedera ſint laxiora, et arctiora? quae civitas ſit ſapiens, quae ſecura? Ultimo loco diſputat Noſter de aequilibrio virtutis et potentiae. In capite *tertio* agitur de *origine civitatum*. Ubi facile intelligitur, Auctorem non de civitatum origine hiſtorica, ſed morali exponere. Duplicem vero facit civitatum originem, *primariam* alteram, alteram *ſecundariam*. Illa voluntate divina, vi naturali perſpicienda, haec voluntate humana, ſeu facto humano, nititur. Iam Noſter ita ratiocinatur: Prima atque primaria civitatum origo eſt divina: ea remotior pendet a Dei decreto aeterno, propior continetur hominum ac mundi creatione, conſervatione, et gubernatione. Primaria civitatum origo requirit civitates optimas, cum in ſe, tum ratione Dei, totiusque mundi, atque ideo homines obligantur ad eligendas, condendas, colendasque optimas civitates, et origo civitatum ſecundaria conformanda eſt origini primariae. Quatenus id fit, eatenus illi convenit cum voluntate divina, et recte ſe habet: quatenus ſecundaria recedit a primaria, eatenus divinae voluntati repugnat, a qua niſi impeditur, permittetur aliquamdiu. Origo civitatum primaria debetur legi naturae praecipienti, atque ideo naturalis eſt; primaria civitatum origo, et obligatio ad eandem, eſt immutabilis, manetque ſalva, ſive accedat ſecundaria, ſive minus. Datur naturalis ſocietas inter omnes gentes, et obligatio ad eam colendam, etiamſi de illa pacto ineunda homines ſoliciti fuerint nunquam, nec in poſterum ſint cogitaturi. Non ſolum nullo opus eſt pacto ad civitatem maximam conſtituendam,

tuendam, ſed etiam vix eiusmodi pactum inter omnes homines iniri poteſt. Etiamſi atheae ſint gentes, naturalis tamen obligatio ad colendam ſocietatem, et ſalutem generis humani, inter ipſas admittenda eſſet. Primaria igitur civitatum origo uſitatarum repetenda eſt ex maiori obligatione, communia bona, quanta haberi poſſunt, coniunctis viribus vicorum, ſibi invicem optime procurandi. Praeterea eadem intelligitur ex inſito a natura animis hominum civitatis appetitu; ex perſpecta communione ſanguinis et naturae eiusdem; ex naturali rationis et ſermonis communione; ex ſpe non dubia commodorum e civitate oriundorum, et incommodorum extra illam naſcendorum metu; e benignitate denique et ſtudio ſimilitudinis cum Deo. Voluntas divina obligavit homines ad optima quaeque, tum in generibus et in ſpeciebus civitatum, tum in ſingularibus quibusque civitatibus praeferenda ſecus habentibus: voluntas humana, id quod pravum eſt, rectum reddere nequit: eadem nec ſe, nec alios obligare ad prava, ſed tantum declarare poteſt agnitionem divinae obligationis ſibi incumbentis, et obſequium eidem praeſtandum. Huius arbitrio relinquendum eſt, utrum, quando, et cuiusmodi civitatem ineundam ſibi et colendam eligere velint: optio haec non poteſt non facto quodam publico declarari: factum illud poteſt vel licitum, vel illicitum eſſe: facto illicito orta civitas, nec felix, nec ſtabilis eſſe poteſt. Illicitum factum dividitur in nefas proximum, et remotum: illud vel contra Deum, vel contra alios homines tendit: illud eſt impietas publica, ſeque exſerit cum omittendo id, quod publice erga Deum fieri debebat, committendove contrario, tum cultus divini denegatione, aut cultu Dei falſo; hoc dicitur improbitas publica, atque vel iniuſtitia publica eſt, vel iniquitas tantum: haec, ſi in ipſa civitatis origine committitur, ſemina diſcordiae, querelarum, et ſenſim ſucceſcentium detrimentorum ſpargit; illa admiſſa, multo maius ſibi arceſſit civitas periculum, eademque committitur intrinſecus, oppreſſione libertatis innocentium, extrin-

secus violando pacta, aliaque iura perfecta. Facta licita redeunt ad mutuum consensum, sive ad pactum, vel expressum, vel tacitum, vel quasi pactum. Modus civitatis ineundae clarissimus est pactum expressum, idque vel nuncupatum, vel scriptum, quoniam in statu naturali utrumque tantumdem valet, et utriusque eadem est obligatio divina. Obligatio humana facit, ut ex propria confessione certum sit, paciscentes de civitate sibi perfecte obligari ad ea, quae pacto sibi promisere; pacta ineundae civitatis recte iurata fide firmantur. Nulla est obligatio, nullum ius pacti illiciti, aut vi metuve extorti, aut errore et dolo vitiati. Dantur tamen rationes legitimae servandi pacti invalidi. Quasi pacto non immerito niti dicitur civitatis maximae secundaria origo. Caput *quartum* complectitur doctrinam de *Republica in genere.* Posuit Vir Cl. haec quasi fundamenta totius capitis. Quia omnis ordo in similitudine modi, quo res existunt, consistit, respublica vero est ordo civitatis, etiam respublica requiret in civitate similitudinem modi, quo res in eadem existunt, vel potius existere debent. Quoniam autem ordo civitatis potissimum modum imperandi et obediendi respicit, respublica involvit similitudinem modi, quo imperium et obsequium publicum se invicem respiciunt. Quia porro in ordine partim occurrunt res una obviae, partim tantum se invicem insequentes, etiam in republica requiretur similitudo in modo existendi, non solum ratione rerum simul in civitate occurrentium, sed et earum quae se invicem excipiunt. Si ipsa similitudo res eodem modo determinari iubet, respublica quoque in imperio et obsequio publico res eodem modo determinari iubebit. Hinc sequentia eliciuntur: rempublicam indigere regulis e fine civitatis derivandis, hasque resolvi in Dei voluntatem et legem naturae: Deum et legem naturae in ordine civitatis iubere praeferre meliora, et optima sectari: quatenus ordo civitatis conveniat cum eo, quem lex naturae praescribat, eatenus rempublicam recte se habere; quatenus recte se habeat,

habeat, eatenus illam eſſe a Deo, et caeteris paribus felicem eſſe poſſe ac ſtabilem. Duo in republica praecipue curanda eſſe Admonet, ut civitas ſit libera, et ut coniunctis viribus commune bonum promoveatur. Eiusmodi rempublicam eſſe debere, ut inferiorum ſocietatum ſalus, quantum ſalva civitate fieri poſſit, maneat ſalva, et iis augeatur bonis, quae non, niſi coniunctis viribus, haberi poſſint. Inter ſalutem publicam et privatam tantum conſenſum eſſe debere, quantus haberi poſſit: publicam, ubi utraque haberi nequit, privatae anteferendam eſſe: obligationem ſingulorum et univerſorum in civitate erga ſe invicem eſſe reciprocam ad ea, quae ſunt in ipſorum poteſtate; pariter iura ſingulorum et univerſorum civium erga ſe eſſe invicem reciproca: univerſis in civitate eſſe ius regendi et adigendi ſingulos ad officia erga univerſos, non vero viciſſim: univerſorum in civitate naturaliter eſſe imperium civile, ſeu publicum: imperium publicum eſſe peculium populi. Porro rempublicam non melius conſtitui, quam pacto publico conveniente, quod a pacto civitatis ineundae, a pacto religionis, aliisque differat: omnem rempublicam gaudere debere imperio ſummo, et inde non alteri civitati ſubiectam eſſe, neque poſſe accuſari vel damnari, nec obligari ad reddendas rationes, nec impediri ab aliis debere. Huic ſummo imperio ſubeſſe debere, quidquid ad ſalutem publicam comparandam, ſervandam, augendamque, et ei contraria arcenda, pertineat. Tum docet Noſter, quid ſit ſummum imperium ordinarium, quid extraordinarium? quid ius eminens? quid ius vitae et necis? quid obſequium publicum et ſummum? quando oriatur Democratia, et quis illius finis? quae ſit Iſocratia, quae Monarchia, quae Ariſtocratia, Ochlocratia, Oligarchia, Tyrannis? Comparatione inter rectas respublicas inſtituta, primas partes Monarchiae, ſecundas Ariſtocratiae, tertias Democratiae tribuit; inter degeneres respublicas peſſimam tyrannidem, minus improbam Oligarchiam, et impeditiorem reliquis in pravitate Ochlocratiam eſſe,

esse, arbitratur. Ultimo loco explicat A. quid sit respublica mixta? quid in limitatione imperii publici sit spectandum? cuius sit illa limitatio? In Capite *quinto* proponitur *Isocratia in Civitate maxima, eiusque pietas erga Deum.* Civitatis maximae rectorem esse Deum, eundemque dignissimum, optimum, et absolutissimum: Monarchas tantum vicarios Dei esse, iisque Dei vices dignissime gerendas: illis gloriam Dei illustrandam, penitiorem rerum naturalium cognitionem, earumque usum amplissimum omni modo acquirendum, neque solum indigenarum, sed etiam peregrinarum: rerum utilium indagationem praemiis adiuvandam: barbariem e civitate eliminandam: scientiam Dei excolendam et amplificandam, eamque aliis civitatibus tribuendam, et propagandam: religionem naturalem non in qualibet tantum civitate colendam, sed ad alias quoque propagandam civitates. Ferendum tamen esse contemtum religionis Christianae in illis civitatibus, quae ab ea sint alienae, nec adduci se licitis modis patiantur ad eam vel amplectendam, vel tolerandam: ferendum quoque esse, si vel missionarii insontes, precario admissi, puniantur, suppliicioque afficiantur, nisi pacto ipsis securitas sit promissa. Denique civitatibus, a religione Christiana aut naturali aberrantibus, alienisque, pacta et officia humanitatis haud fere secus praestanda esse, ac si religionem colerent veram. In Capite *sexto* agitur de *Isocratiae prudentia regiminis.* In Isocratia, ex mente Viri Cl. quaelibet civitas idem sibi debet, quod sibi quivis debet homo in statu naturali: ergo quaelibet civitas se ipsam conservet et perficiat, se suumque statum probe cognoscat, famae ac gloriae suae amplificandae virtutum operumque praestantia inserviat, salutaria commercia pactis firmet, et ex pactis exerceat, atque in his, quantum fieri potest, aequalitati studeat. Hoc loco varia de commerciis prudenter instituendis, aliisque, quae ad commercia pertinent, monentur: ut de aequalitate pretiorum, de monopoliis, de stationibus et tabernis, de commercio externo, de

transitu

transitu mercatorum per alias regiones, denique de mercatorum consulibus, de vectigalibus, etc. Porro ad perficiendum statum civitatis externum pertinet studium rite augendae potentiae. Hoc fiet occupatione regionum vacuarum, receptu emigrantium, exulum, et advenarum civium, invitatione peregrinorum spe melioris fortunae proposita, consociatione prudenti cum aliis civitatibus, ope coniugiorum publicorum, ope foederum mutuae defensionis, clientelis potentiorum, foederibus commerciorum, mutuae amicitiae cultura, cura omnis laesionis vitandae, colenda iustitia iniustitiaque fugienda, bello publico cavendo vitandoque, studio pacis, et religione pactorum. Tandem exponit Vir Cl. quando condici certamen paucorum possit? quando dissimulatio aut protestatio consulta sit? quale habeant civitates ius, minores offensas puniendi? cur ne iustum quidem bellum temere suscipiendum? quando vel iustum bellum differendum? quis sit modus abusum potentiae civitatis praevertendi? In Capite *septimo* transit Noster ad *Democratiae constitutionem.* Hic docet, Isocratiae affinem esse Democratiam: scopum Democratiae esse omnium aequalitatem: hanc aequalitatem referri ad salutem omnium: eundem populum imperio et praeesse, et subesse: si universus spectetur, praeesse; si singuli, subesse: populum gaudere maxima libertate civili: Democratiam ineundam constituendamque esse pacto, atque hoc sanciendum, quinam populi nomen accipere, eiusque frui iure debeant? Porro dividitur populus in clarum et obscurum, sive plebeium; in opulentos, inopes, medios; in cives et non cives. Democratia vero dispescitur in absolutam et restrictam, in rigidiorem et moderatiorem, atque utriusque generis possibilitas demonstratur. Post de abusu imperii popularis tollendo; de Democratia rustica, urbica, ac mixta; de constitutione magistratuum, eorum numero, imperio, norma, creatione; de distributione summi imperii; de imperio Democratiae populari, Aristocratico, et Monarchico; de suffragatione omnium si-

Mm mul,

mul, et per delectos; de comitiis; de bonis damnatorum sacris usibus destinandis, exponitur. Praeterea studendum esse in Democratia conservationi et aemulationi virtutum: legislatores adsciscendos legum naturalium scientia et prudentia politica praeditos: ex aliorum etiam populorum legibus optimas quasque adoptandas: varie quidem, sed frustra, in legibus tentatam fuisse communionem bonorum; ne quidem communionem alimentorum, aequalitatem bonorum, et iurium omnium locum habere: aequalitatem potissimum in virtutibus quaerendam: exaequandam meritis fortunam: proportionem onerum et emolumentorum publicorum curandam: et superiori et inferiori magistratu opus esse. Denique agitur de magistratuum electione, de suffragiis apertis et occultis, de multitudine Senatorum, de muneribus annuis, de ephoris, seu tribunis plebis, de modo, quo, qui se suspectos reddidere, tractandi, de plebis arrogantia refraenanda, de muneribus gratuitis, de fugiendis daemagogis, de modis egestati plebis occurrendi, de confoederandis Democratiis. Caput *octavum* habet *Aristocratiae constitutionem*. Aristocratiae scopum praecipuum esse administrationem optimam reipublicae vix melius perficiendam, quam per plures, virtutibus insignes: Aristocratiam legi naturali convenire, eandemque recte institutam egregia offerre ad virtutis culturam incitamenta: dividendis summis iuribus inter optimates Aristocratiam constitui, et abusum eius tolli non posse, sed legibus et copia optimatum: abusui obstare brevitatem imperii optimatum: aptiorem esse Aristocratiam electilem, quam successoriam. Deinde transit Vir Cl. ad cautionem in electione optimatum per populum, ad ambitum cavendum, ad successionem in Aristocratia, ad censum optimatum. Post docet, Aristocratiam laxiorem praestare strictiori: in magno periculo vel uni summam rerum committi posse: optimatum singulis eundem scopum, idem ius esse debere: Aristocratiam ope legum et earum religione muniendam: vitandam optimatibus crudelitatem, suam-

ſuamque dignitatem conſervandam: fugiendam mollitiem et deſidiam, compeſcendum luxum prodigum, inopiae immeritae optimatum medendum: leges cardinales minime violandas: uni non plura munera praeter neceſſitatem tribuenda, neque ex eadem gente plures neceſſarios ad imperium admittendos: optimates novos antiquis aequandos. Tandem A. diſquirit, an cenſus optimatum ratio habenda, et acceſſionis fiſci? quomodo lites optimatum ſopiendae? an liceat optimatibus externis frui honoribus, penſionibus, et muneribus, caſtella exſtruere, rempublicam in periculis deſerere? quae ſint officia optimatum erga populum, et huius erga illos? Capite *nono* traditur *Conſtitutio Monarchiae.* Primam dicit Monarchiae originem haberi poſſe in longaevo communi ſtipite ſuorum poſterorum in ſtatu naturali degentium; alteram ex virtutum eminentia; tertiam ex beneficiis ſingularibus; quartam e potentia et felicitate in bellis, repetendam eſſe. Exponitur deinde, quid monarchia voluntaria et involuntaria? quae monarchia ſit maſculina, quae feminina? quid ſit regnum et rex? qui gradus monarcharum ſecularium et eccleſiaſticorum? qui ſocii regni ſecundarii et primarii? quae ſint cauſae raritatis et brevitatis imperii conſortis? quae rationes ſucceſſionem in regnis ſuadeant? quomodo de ſucceſſionibus recte iudicari debeat? cur plerumque mares feminis praeferantur? an maior natu praeferendus in ſucceſſione reliquis? Maximam capitis partem occupat doctrina de ſucceſſione in imperiis, quam ſequitur doctrina de electione Monarcharum, de Monarchae officiis, de adminiſtris, de vicariis, de propagatione gentis et Monarchae, de proſperitate Monarchiae in pace quaerenda, de conſociatione Monarchiarum in quoddam corpus. Sed manum de tabula.

M. MINUCII FELICIS OCTAVIUS, ET CAECILII Cypriani de vanitate idolorum liber, uterque recenſitus et illuſtratus notis variorum ſelectis atque etiam

 ſuis,

ſuis, a IO. GOTTLIEB LINDNERO, ſcholae Longoſaliſſ. Conrect. et Acad. Elect. Mog.. Scient. Util. Socio, cum praefatione D. IO. AUGUSTI ERNESTI.

Longoſaliſſae, ſumt. Io. Chr. Martini, 1760. Alph. 1.

Probavit nobis Cl. *Lindnerus* et conſilium ſuum horum opuſculorum edendorum, et ipſam rationem, qua lectionem illorum faciliorem utilioremque iuventuti reddere ſtuduit. Nam, ut bene *Erneſtus* noſter V.C. in elegantiſſima praefatione monet, ii e Patrum libris iuventuti proponendi commendandique ſunt, qui maximam cum reliquis huius aetatis ſtudiis habeant coniunctionem. Huius vero generis ſunt maxime ii, qui ſuperſtitionem ethnicorum oppugnant, et doctrinae Chriſtianae veritatem demonſtrant. Hi enim cum ipſi eloquentiae magiſtri, certe eloquentiae et litterarum ſtudioſi fuerunt; tum ipſa etiam aetate cum claſſicis ſcriptoribus ſunt coniunctiſſimi. Poſt Ven. *Erneſti* praefationem, quae huius editionis non exiguum ornamentum haberi debet, et in qua Vir doctiſſ. illud agit, ut principes eruditae humanitatis inſtauratores bene et ſapienter ſacra cum humanis coniunxiſſe, nec minus veteris Eccleſiae, Graecae et Latinae, ſcriptorum, quam antiquiorum Graecorum Latinorumque auctorum legendorum ſtudioſos fuiſſe, oſtendat, poſt hanc igitur praefationem poſuit Noſter Analyſin logicam dialogi. Nam etſi iam Scultetus, in *Medulla Theologiae Patrum,* Analyſin dedit, noluit tamen illam retinere, ſed novam confecit. Atque fortaſſe rectius tota Analyſis hinc abeſſet: certe, ſi omiſſa fuiſſet, a nemine valde deſideraretur. Hanc ipſe dialogus excipit, ſelectis *Cellarii, Meurſii, Daviſii, Gronovii, Heraldi, Rigaltii, Elmenhorſtii,* notis illuſtratus. Praeter has, in aliis Minucii editionibus obvias, excerpſit etiam Vir Cl. annotationes *Wopkenii* ex Miſcell. Critic. Vol. X. *Io. Schefferi* ex Miſc. Crit. Vol. IX. *Chriſt. Aug. Heumanni,* e

Miſc.

Misc. Lipſ. Nov. *Io. Frid. Gruneri* ex Actis Societ. Lat. Ienenſ. et *Frid. Otton. Menckenii* ex Miſc. Lipſ. Nov. Quod ad ipſas *Lindneri* notas attinet, multa eae continent bona, cum ad res, tum ad verba pertinentia. Huc referenda ſunt, quae pag. 3. de particula *vel* pro *et:* pag. 13. de ſupplenda ſaepius redditione poſt comparationem: pag. 18. de poſito *modo* pro *more*, ut hic, *ſapientium modo:* pag. 24. de duorum adiectivorum appoſitione, ut *plerique omnes, tot omnes* etc. pag. 38. de Syllepſi ſeu Zeugmate: pag. 48. de locutione *ἄνδρες Πέρσαι*, *Ἀθηναῖοι*, etc. pag. 59. de baptizatione liberorum contra Gronovium, monentur. Huc etiam pertinent, quae Noſter pag. 81. de frequenti unius eiusdemque vocis brevi in ſpatio repetitione: p. 82. de verbo *diffundi:* pag. 88. de verbo *ſollicitus* pro *attentus:* pag. 91. de locutione, *ut potero*, pro *viribus:* pag. 96. de ſupplenda ſaepius particula *tamen* poſt *quamvis*, et quae plura eo conſilio protulit, ut lectionem veram contra emendationes Criticorum muniret. Maxime vero Vir Cl. in annotationibus ſuis id agit, ut de lectionum varietate iudicium ferat. Ubi modeſtam obſervavimus et ſubtimidam criſin adhibitam eſſe, magis in eo occupatam, ut vulnera tot, quibus a crudeli Criticorum manu ſaepius Minucius ſauciatus fuit, ſanaret, quam ut ei nova infligeret. Nos aliquot interpretationum *Lindneri* ſpecimina dabimus, noſtris obſervatiunculis additis. In Cap. I. *relicta domo, coniuge, liberis, et — annis adhuc innocentibus*, et — commode ita explicari poſſe dicit: *liberis adhuc innocentibus annis*, h. e. *per* annos, ſive *propter* annos. Ablativum certe, addit, hoc modo exponendum eſſe nonnunquam, docet *Cortius* ad Cic. Ep. II, 10, 5. Verum in errorem duxiſſe videtur Noſtrum Cortius, qui in nota illa commiſcuit, quae commiſcenda non erant. Rectius omnino interpretantur Menckenius et Wopkenius per liberos, qui ſunt adhuc in annis innocentibus, ſubaudito, ut ſaepius, participio. Haec interpretatio fulcitur Cic. Ep. XI, 16. — *ſummo ſplendore ſumma gratia eſt, magnificen-*

ficentissimo munere aedilitio; et IX, 21. *fuerunt sella curuli*, ubi plura monuit Cortius. In Cap. 3. — *medium spatium civitatis*, monet, non esse distantiam Ostiae a Roma, quod Wopkenio placuit: nam intervallum inter Romam et litus, quippe 16. stadiorum, vel cursoribus fatigandis sufficere, nedum ut spatiando umbratici homines illud absolvere potuerint voluerintve. Neque esse medium spatium per civitatem Ostiensem, qua parte mare spectaret, liberam muris, ut Barthius opinetur: hoc enim spatio confecto, non liberum litus, sed campos et agros nactos fuisse. Sed esse spatium, quod medium interiaceat inter Ostiam civitatem et locum a deambulantibus petitum, sive mare, ut bene monuerit Vir quidam doctus in *Misc. Crit. Obs. Vol. X.* Ostiam enim Romanos petiisse, ut nostros homines thermas, vineas etc. Ibi per aliquod tempus commoratos, delectatos quotidie fuisse *inambulando littore ad mare pergentes*, quod mare ab Ostia civitate tria tantum stadia absit. Inde non opus est coniecturis Davisii, Heumanni, aut Menckenii. In Cap. *eod. ut illud iaculum, vel dorsum maris raderet, vel enataret*, delevit particulam *vel*, ita, ut *raderet, enataret*, sint locutiones synonymicae, aeque ac verba sequentia, *emicaret, emergeret*. Talia certe apud Minucium frequentia sunt: sed nescimus quomodo magis nobis blanditur lectio Wopk. *innataret*. Poteruntne *radere* et *enatare* συνωνύμως poni? In Cap. 4. quoniam, teste Heraldo et Rigaltio, in MS. est *quam conferere sapientiam modo in istis* etc. unde Rigalt. primus fecit *conferere sapientium modo. In istis* etc. Noster, cui sequentis clausulae initium nimis abruptum videtur, suspicatur, priorem clausulam desiisse in *modo*, et posteriorem a *modo* incepisse. Atque ita etiam in textu positum esse videmus. Ad Cap. 5. bene tuetur lectionem veram, *quanquam tibi — de quo quaerimus, non sit ambiguum*, exemplis e Cicerone, Caesare, Lactantio, repetitis, contra emendationem Heumanni, *id, de quo*. Ibid. *ut — neque quae infra terram profunda, demersa sunt, aut scire sit datum, aut scrutari permissum, aut stuprare*

ſtuprare religioſum, Noſter interpretatur *ſtuprare* per corrumpere, ſive errorum vanis et formidoloſis opinionibus implicare, ut Cic. ad Att. 1, 18. *ſtupratum iudicium*, i. e. corruptum. Verum vix hanc interpretationem admitti poſſe putamus. Quid enim eſt, *non religioſum ſtuprare?* nempe, quae profunda et demerſa ſunt. Primum vero, quid eſt profunda illa corrumpere? deinde poteſtne hoc per *ſtuprare* exprimi? Latet procul dubio mendum, quod acutiores tollant. Vir Cl. *ſtuprare* cum τῷ religioſum coniunxiſſe videtur, quod non debebat facere. Ibid. *homo, et animal omne, quod naſcitur, inſpiratur et alitur, elementorum ut voluntaria concretio eſt, in quae rurſum homo et animal omne dividitur* —: poſt plures aliorum coniecturas, ſuſpicatur, pro *alitur* legendum eſſe *tollitur*, ſcil. qui inſpiratur vitam capit, tollitur autem cui vita eripitur. Haec certe emendatio proxime ad MS. accedit, in quo eſt *attollitur*. In Cap. 7. *Specta de libris memoriam*, explicat per: ſpecta memoriam de libris hauriendam; variasque variorum coniecturas reiicit, maxime ineptum illud Gronovii *memoriai*. Ibid. reſcripſit pro *Parthos ſigna repetamus*: *repoſcamus*, ita ut Minucius imitatus Virgilium videatur, *Parthosque repoſcere ſigna.* Viderit Vir Cl. an omnibus probet cauſam, qua adductus receptam lectionem deleverit, novamque ex ingenio induxerit. In Cap. 8. non aſſequimur, cur diſplicuerit viris doctis *homines deploratae, inlicitae, ac deſperatae factionis* —, adeo ut *incitae, inceſtae,* et *inſcitiae* emendarent. Poteratne Ethnico magiſtratui licitum videri, Chriſtianos, ut paullo poſt Caecilius ait, nocturnas congregationes inſtituere, deos deſpuere, ſacra ridere, plebem concitare, aliaque agere, quae vulgo ethnici calumniabantur? Nihil clarius. Ibid. Noſter pro *inhumanis cibis*, emendat *humanis*. Sed neque hac emendatione opus eſt. Chriſtianos humanas carnes edere Romani dicebant. Has Caecilius appellat cibos inhumanos, i. e. quos ipſa natura hominis reſpuat; qui non homines, ſed feras delectent. Ibid.

Ibid. pro: *ita illis pavorem fallax ſpes ſolatia rediviva blanditur,* forte melius legeretur parva mutatione facta: *Ita illis pavorem* fallit *ſpes ſolatio redivivo blandita,* aut, niſi longius a ſcriptura recederemus, *ſolatia rediviva mentitá.* Ad Cap. 9. difficile coniectu eſſe dicit, unde calumnia illa ethnicorum de cane candelabro nexo orta ſit. Suſpicatur tamen, quoniam qui ad inveſtigandas et odorandas res adhibiti, *canes* vulgo eſſent appellati, pluresque Chriſtianis inſidiati, atque ideo hi quosdam aluiſſent, qui in conventibus diſpicerent, an adeſſet ſpeculator, qui ſermonum et myſteriorum aucupium faceret, hos *canes* appellatos fuiſſe; horum forte negotium fuiſſe candelarum extinguendarum, ſi quando inſidias vererentur. Verum, ut libere noſtram ſententiam dicamus, nimis arguta haec coniectura nobis videtur, nullis teſtimoniis ſuffulta. Nonne multo ſimplicius et probabilius dici poteſt, Chriſtianos, quos *lucifugos* Caecilius appellat, et quos ſacra ſua valde occulte feciſſe conſtat, idem fatum expertos eſſe, quod omnes, qui ſua conſilia alios celaverint? Quae non de ſacris Eleuſiniis, et noſtris temporibus de ſocietate liberorum Malleatorum *(Freymäuer),* rumor diſperſit? Nemo mirabitur, qui libidinem mentiendi, curioſitatem, atque inde ortam indignationem hominum cogitet. In Cap. 12. *non tum agnoſcis fragilitatem? invitus, miſer, infirmitatis argueris, nec fateris?* lubenter poneremus interrogationis ſignum poſt *invitus:* ſi tu eas, quas modo enarravi, calamitates pateris, non vel contra voluntatem intelligis te miſerum eſſe? Ibid. *ignes etiam, quos et praedicitis et timetis,* forte aliquis mallet *praedicatis,* i. e. felices vos exiſtimatis, qui propter Chriſtianam doctrinam igne comburamini, (ut ſupra: *ſpernunt tormenta praeſentia);* timetis vero etiam, atque ideo in occulto ſacra facitis. In Cap. 14. *ut damnatis omnibus malint univerſa ſuſpendere,* coniicit Vir Cl. *opinionibus.* In Cap. 15. locum ſubobſcurum ita explicat: *Si* (Octavius, qui iuſtio-

rem

rem irascendi mihi haberet caussam,) *potest reputare* (ea, quamvis diversa sint, quae tibi dicta sunt cap. 16, 5. etiam post longiorem interpellationem meam, qua intercedente, alii fortasse obiectiones, ad quas respondere debebat, excidissent) *id, quod criminaris,* (vitio mihi vertis, affirmando, periniurium esse vires me actionis tuae intergressu gravissimae disputationis infringere) *in commune compendium protuli.* Tò inquam certe declarare orationem, quae incipiat a *si potest*, esse Minucii: planiorem vero orationem fore, si *inquam* post *reputare* positum fuisset. In Cap. 16. — *ambigendum, utrum tua eruditio turbata sit, an vacillaverit per errorem:* vel legendum esse arbitratur *fucata sit*, ita ut eruditio *fucata* versutia, subtilitate, dolo, opponatur *vacillanti per errorem;* vel supplendum *studio* et *consilio*, ut iusta sit oppositio inter eruditionem *turbatam* studio, et *vacillantem* per errorem. Hoc nobis magis arridet. Ibid. pro: *nec fortuna nactos, sed natura insitos esse sapientiam,* coniicit *insitam*|*habere*, ut Cic. de Fin. IV, 2. *habere* etiam *insitam* quandam — cupiditatem, et pro Font. 23. inimicitias *insitas habere.* Quid si Minucius scripsit *insignitos esse sapientia?* Ex omnibus certe virorum doctorum coniecturis, haec nostra proxime ad veritatis speciem, et vestigia scripturae, accedit. In Cap. 16. pro: *nihil itaque indignandum vel dolendum, si quicunque de divinis quaerat, sentiat, proferat,* coniicit *si quicunque de divinis quaerat,* quae *sentiat, proferat.* Eleganter, hercle! verum non est opus. Amat Minucius plurium verborum coacervationem. Ad Cap. 17. *quicquid arborum est, vide, quam e terrae visceribus animatur,* scribit Cl. Heumannus: *deleri* quam *oportere, docebit quemvis inspectio eorum, quae antecedunt, quaeque subsequuntur.* Mirum vero! Ordo verborum hic est: vide, quomodo e terrae visceribus, quidquid arborum est, animatur. Quid apertius? In Cap. 20. — *temere crediderint etiam alia monstruosa mira miracula: Scyllam — et quidquid famae licet fingere, illis erat*

 libenter

libenter audire; omnem difficultatem, ex illa odiosa verborum compositione natam, tolli arbitramur, non eiiciendo aut mutando aliquo, ut viri docti fecerunt, sed maiori interpunctione post *monstruosa* ponenda; mira miracula, id est scyllam, chimaeram etc. libenter audiebant. Optimus est sensus, et ita bene oratio fluit. In Cap. 21. pro: *lege Stoicorum scripta, vel scripta sapientium*, coniicit *Historicorum*: nam primum has voces, *Historicorum Stoicorum*, etiam in Hieronymi loco quodam permutatas esse: esse prope similem Lactantii locum, *oportebat prius humana testimonia afferri, id est philosophorum et historicorum*: revera Minucium testimonia Stoicorum et historicorum afferre; ad illos referri Euhemerum, Prodicum, Persaeum, ad hos Cassium, Thallum, et Diodorum. Forte etiam verbo *sapientium* adscripsit aliquis *Stoicorum*, ad illud minus notum explicandum, quod a librario deinde receptum fuit. In Cap. 22. levi mutatione locus nobis constituendus videtur: *Iupiter — ipsis sacris suis humanitatis arguitur*, forte *suae*: *otiosum est ire per singulos —*. Itane Minucium scribere potuisse, qui se longiorem esse, aliorumque deorum genealogias persequi, nolle ait? Quid igitur? aut *odiorum* scribendum, aut *otiosorum*, i. e. illi, qui otio abundent, enumerent etc. Elige per nos, utrum velis. Ad Cap. 23. Vir Cl. acutam coniecturam profert, dum, *quod si in animum quis inducat, tormentis quibus, et quibus machinis simulacrum omne formetur*, mutat in *tornis* quibus: *tornus* est instrumentum fabrile. In Cap. 25. *et quos postulaverant, triumphatos colere coeperunt*, verbum *postulare* de evocatione deorum accipit: postulaverant, ut deserto populo, a quo adhuc culti essent, ad se transirent dii. Haec certa interpretatio nobis potior coniecturis reliquorum videtur. In Cap. 27. loco vexatissimo sic medetur: *Hi* (de quibus adhuc dixi, quorum membra daemones distorquent,) *sunt et furentes, quos in publicum videtis excurrere* (intelligit obsessos, sed hi non soli a daemonibus agitantur): *Vates et ipsi in templo*

(qui

(qui in publicum non excurrunt) *ſic inſaniunt, ſic bachantur, ſic rotantur,* (eodem modo ſe geſtiunt, quo obſeſſi). *Par et in illis inſtigatio daemonis,* (vates inſpirati etiam a daemonibus inſtigantur,) *ſed argumentum diſpar furoris.* In obſeſſis ſcilicet eſt, ut, remiſſis, quae conſtrinxerant, curaſſe videantur; in inſpiratis, ut adflatu ſuo auctoritatem quaſi praeſentis numinis conſequantur, et homines, futurorum curioſos, alliciant. Verum haec hactenus. Minucio bene adiecit Vir Cl. libellum *Cypriani de idolorum vanitate,* eodem modo illuſtratum, adſcriptis in margine locis parallelis ex Octavio. Hunc ſequitur *Franciſci Balduini ICti* diſſertatio *de Minucii Felicis Octavio,* atque *Lucae Holſtenii epiſtola ad Franciſcum Cardinalem Barberinum, de veribus Dianae Epheſiae ad Minuc. XXI,* 14. Ultimum locum ſortiti ſunt indices tres: prior auctorum, a Minucio et in diſſertatione Balduini laudatorum: alter rerum memorabilium: tertius verborum et formularum. Indices hi magna diligentia confecti ſunt, et multas bonas animadverſiones continent. Unum afferamus exemplum, nempe ſententiam Noſtri de origine criminis *ὀνολατρείας* Iudaeis impacto. Putat enim, hiſtoriam Simſonis Iudic. XV, 15. 19. fuiſſe in eorum Synagogis repraeſentatam, adiecta relatione, quod deus, fiſſo maxillae eius dente molari, aquam inde elicuerit. Hanc Simſonis ſitim turpiter confundentes cum altera illa in deſertis Exod. XVII, 3. hanc fabulam confinxiſſe. — Unum vellemus Vir Cl. omiſiſſet: moleſtam nimirum illam coacervationem pluримarum criticarum coniecturarum. Codicum varias lectiones adſcribere, utiliſſimum eſt: verum tantum numerum emendationum apponere, neque iucundum, neque utile. Eſt tamen Lindneri, V. Cl. diligentia, toto hoc libro teſtata, doctrinae eius atque eruditionis praeclarum documentum, quod utinam imitentur, qui in ſcholis bonarum litterarum amore imbuunt iuventutem.

NOVA LITTERARIA.

Periucunda nobis fuit *Epistola* Viri Cl. ADAMI FRANCISCI KOLLARII, *Pannonii Neosoliensis, Mariae Theresiae Aug. a consiliis et Aug. Biblioth. Vindebon. primi custodis, ad Viros a sacra et profana eruditione claros, de Commentariis in manu exaratos codices Aug. Bibl. Vindob. propediem prelum subituris.* Nam non sine voluptate ex his optimum Viri Cl. consilium perspeximus, iussu THERESIAE AVG. susceptum, illiusque sub auspiciis perficiundum, Commentaria bibliothecae Vindobonensis, a *Petro Lambecio* inchoata, pluriumque deinde virorum doctorum studio et diligentia aucta, nunc iterum maxime emendata atque ad finem perducta quam proxime edendi. Cognita vero ratione, quam in hoc instituto sibi Cl. *Kollarius* proposuit, non possumus non summopere illud laudare. Nam non solum *Lambeciani* operis exempla admodum rara sunt, et pleraque libro uno mutila; sed habebit quoque haec nova editio complures easque utilissimas accessiones. Etsi denique *Lambecianum* opus una omnium atque consentiente voce celebratum adhuc sit, nihilque maiori diligentia et acriori studio compositum esse vulgo existiment: eiusmodi tamen errores Vir Cl. observavit, quos minime putes *Lambecium* commisisse, et qui emendationem illius operis maximopere efflagitare videantur. Quod ne quis temere a nobis dictum esse existimet, afferemus aliquot specimina, a Cl. *Kollario e libro tertio* Commentariorum prolata. Hic *Cod. V. Lambecius duas epistolas S. Dionysii, Archiepiscopi Alexandrini,* easque *ineditas* adhuc, contineri scribit. Verum has et dudum editas, et *Isidori Pelusiotae,* non *Dionysii* esse, docet *Caveus Hist. Lit. Script. Eccles. T. I. pag.* 126. Porro *Cod. IX. n.* 2. haberi dicit *Cosmae τȣ̃ Ἰνδικοπλεύστȣ, Navigatoris Indici, dissertationem adhuc ineditam, qua auctor probare adnitatur, coelum non esse sphaericum.* Noster

vero

vero intellexit, haec prolixa tantummodo excerpta esse e *Topographia Christiana* eiusdem *Cosmae* a *Montfauconio* primum edita. Atque ipsa inscriptio *Lambecium* meliora docere poterat: πρὸς τὰς χριστιανίζειν βουλομένους, καὶ σφαῖραν λέγοντας τὸν οὐρανόν. Κοσμᾶ τοῦ Ἰνδικοπλεύστου μερικά· μᾶλλον δὲ πρὸς τοὺς ἔξω. Eiusdem *cod. n.* 3. *Anonymi cuiusdam Auctoris excerpta quaedam theologica, de quibus sibi nondum satis liqueat*, contineri ait. Ex inscriptione: Ἐκ τῶν Θεολόγου: facile intelligi potest, esse ea ex scriptis d. Gregorii Nazianzeni, cognomine Theologi. Neque aliud haec excerpta sunt, quam prolixa apospasmatia ex Nicetae, Heracleensis Archiepiscopi, commentariis in Orationes Nazianzeni, quae mutila latine *Billius* edidit. *Cod. LVII. n.* 18. docet *Lambecius*, haberi *S. Athanasii de Passione Salvatoris orationem, seu potius orationis fragmentum, quod in Parisina S. Athanasii operum editione latine tantum exstet, atque idcirco operae pretium fore, ut totus ille contextus Graecus e codice hoc in lucem proferatur.* Optime autem monuit iam *Caveus, Hist. Lit. Sc. Ec. T. I. pag.* 197. hanc scriptiunculam mediam esse partem prolixae orationis Athanasii *in Passionem et Crucem Domini*, quae eum in *Comeliniana*, tum in *Parisiensi* editione, Graece et Latine exhibeatur. Porro admonitio illa, *de Gratiarum actione erga deum, L. V. cod.* 214. *n.* 12. et *Cod.* 236. *n.* 4. *Homilia de Oratione*, quas *Caveus* cum *Lambecio* pro ineditis, certe non obviis, *divi Basilii* opusculis habuit, tantummodo duo, eaque diversa sunt excerpta, ex oratione eiusdem Patris in Martyrem *Iulittam*. Multis egit *Lambecius* in *Lib. II. cap.* 7. et *Lib. VI. P. II. cod.* 5. de *codice Dioscoridis Caesareo*, nemini ob tributas ei laudes ignoto, ubi pag. 593. haec adnotat: *Post ὤκιμον sequitur separata quaedam quinque foliorum Appendix, qua agitur de Chamaemelo, Rhamno, Artemisia etc. Quemadmodum autem certo constat, auctorem*

rem eius non esse Dioscoridem, ita aeque indubitatum mihi videtur, illam ex supra memorata Pamphili Alexandrina Historia herbarum desumtam esse. In margine vero ad hunc locum scribit: *Vide Iani Saraceni editionem operum Dioscoridis Graeco-Latinam* pag. 476. *Multo tamen est auctior Appendix illa vetustissimi istius MSti Dioscoridiani, de quo in praesens agitur.* Haec manifesto indicio Noster esse dicit, nunquam *Lambecium* Appendicem illam legisse. Nam cum haec oratione ligata scripta sint; quomodo credere potuisset, Pamphilum Alexandrinum auctorem esse, quem Galenus, ab ipso *Lambecio* hoc nomine *L. II. pag.* 528. laudatus, oratione illigata, et ordine herbarum alphabetico, scripsisse commemorat. Est vero haec Appendix *Lambecii*, quam ne κατ' ὄναρ quidem adspexisse videtur, insigne fragmentum e vetusti cuiusdam poetae carmine *de Viribus Herbarum*, quod Aldus Dioscoridi subiecit, et *Fabricius Bibl. Graec. Vol. II. pag.* 630. *sequ.* inseruit. Sed unum adhuc commemoramus errorem, initio libri *noni* Commentariorum obvium, et inde ad multos libros propagatum. Nempe ibi, in bibliotheca Vindobonensi *compendia Polybii librorum octavi decimi et decimi noni, hactenus inedita*, exstare adseritur. Sed diligentius his examinatis, intellexit Vir Cl. ea nihil aliud esse, quam excerpta ex editis libris X. et XVII. Nam, ut apud *Nesselium P. V. cod.* 25. videre licet, *L. XVIII.* pro inedito habiti, initium hoc est: Ἐγὼ δὲ κατὰ τὴν ἕκτην βίβλον ἐν ἐπαγγελίᾳ, καταλιπὼν, ὅτι λαβὼν τὸν ἁρμόζοντα καιρὸν κ. τ. λ. Estne vero hoc quidquam aliud, quam excerptum e *Lib. XVII. pag.* 762. *edit. Casaubon.* Haec vero *L. XIX.* pariter pro inedito habiti: Κατὰ δὲ τὸν καιρὸν τοῦτον νεανισκοί τινες τῶν Ῥωμαίων ἐπιτυχόντες παρθένῳ κ. λ. desumta sunt e *L. X pag.* 393. *ed. laud.* Atque tali modo, addit Noster, ἄνθρακες ἡμῶν ὁ θησαυρὸς ἦσαν. Haec igitur

igitur, aliaque, quae a Viro Cl. obſervata ſunt, facile neceſſitatem operis *Lambeciani* recudendi comprobabunt. Nunc, quam rationem Noſter in nova editione adornanda ſit ſecuturus, exponemus. Dudum viri docti queſti ſunt, multa in Commentariis *Lambecii* eſſe ἀπροσδιόνυσα atque ſuperflua, multa quoque non ſuo loco prolata. Noſter igitur omnes *Emendationes*, *Additamenta*, alia, quaſi ſcholia, ſuis locis ſubiiciet, et ea, quae plane ſupervacanea, omnemque praeter neceſſitatem ad molem libri augendam a *Lambecio* addita, ut *opuſcula miſcellanea*, *fragmenta*, alia, a Commentariis, ubi male locum ſuum tuentur, reſciſſa, ſeparato volumine edet. Titulus libri erit: *Analecta monumentorum omnis aevi ex Commentariis de Auguſt. Biblioth. Vindobonenſi Cl. Viri Petri Lambecii Hamburgenſis.* Singulis hiſce Noſter obſervationes quasdam praefiget: unde deſumta ſint, et quam adferant utilitatem docebit, atque praeter alia, Auſtriacae addet Hiſtoriae celebre monumentum, nempe, *Hiſtoriam vitae rerumque geſtarum Friderici III. Aug. ab Aenea Sylvio conſcriptam, cum ampliſſimis ſupplementis.* Huic ſubiungetur *Io. Hinderbachii*, Epiſcopi et Principis Tridentini, eidemque Friderico a conſiliis, *continuatio* hiſtoriae huius, iuſſu Friderici litteris conſignata. Quod denique ad ipſa Commentaria attinet, Liber *primus* et *ſecundus* ipſam bibliothecae Vindobonenſis hiſtoriam complectetur, emendatam, auctam, atque usque ad noſtram memoriam deductam. Addetur etiam index, res ſcitu neceſſarias exhibiturus. Liber *tertius*, *quartus*, et *quintus*, habebunt codices claſſis theologicae, cum animadverſionibus, multisque ſupplementis. Libri *ſexti*, *ſeptimi*, et *octavi*, eadem erit facies, eadem forma. Liber *nonus*, morte *Lambecii* abruptus, et hiſtoriae profanae dicatus, ad finem perducetur. Codices Philologicos continebit liber *decimus*, ſtudio Viri Cl. elaboratus. Hoſce excipiet *Index*, in

in quo Auctorum opera, eodem, quo in optimis editionibus, ordine, digeſta legentur. Agmen coget Liber *undecimus*, Hebraicos, Arabicos, Turcicos, ceterosque Orientis linguarum codices habiturus. Haec ſunt, quae Cl. *Kollarius* nos de ſui inſtituti ratione ſcire voluit. Arduum profecto Vir doctiſſ. ſuſcepit negotium, idque multi ſudoris, multarumque vigiliarum; idem tamen et litteris inſigni utilitati, et ipſius nomini perpetuo ornamento futurum. Nos quidem, quemadmodum de ingenio, doctrina, et induſtria Viri Cl. optima quaeque, non vano augurio ducta, nobis pollicemur; ita eidem perpetuam alacritatem, atque vires, tantum ad monimentum exſtruendum neceſſarias, ex animo apprecamur.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiae

Calendis Iunii Anno MDCCLX.

Pars I.

CHRIST. AUG. HEUMANNI APPENDIX. VARIAE ANNOTATIONES AD TERTULLIANUM.

I. Editiones Operum Tertulliani.

Basileae 1521. 1525. 1528, 1539. 1550. 1562. Antverpiae 1579. 1584. Parisiis 1566. 1580. 1583. 1608. 1616. Heidelbergae 1596. 1601. Coloniae 1617. Genevae 1579. Franckerae 1597. cum la Cerdae commentariis Parisiis 1624. 1630. 1634. 1641. 1644. 1646. 1650. 1658. 1663. Argentorati 1657. Venet. 1701. et 1708.

Priorii editio, quae omnium est optima, Paris. 1664. fol. cum notis *Rigaltii*, prodiit.

II. Editiones singulorum librorum.

Tertulliani *Apologeticus*, ad codices MSS. et editiones veteres recognitus et emendatus, ut et perpetuo Commentario illustratus, studio *Sigeberti Havercampi*, Lugd. Bat. 1718. 8.

Emendatur hic *Apologeticus* a *Clerico*, in *Bibliothéque ancienne et moderne*, Tomo XV. pag. 104. sqq.

Tertulliani liber *de praescriptionibus adversus haereticos* insertus est tertio Tomo *Institutionum Theologicarum antiquorum Patrum*, Romae 1709. 1710. et 1712. in 8. editarum, pag. 8—61.

Tertulliani liber *de pallio*, cum notis Salmasii, Lugd. Bat. 1656. in 8.

III. Versiones librorum Tertulliani.

Apologetici Tertulliani *Graeca versio* iam tempore *Eusebii* exstabat, qui ex ea versione aliquem locum producit in *Hist. eccl. lib. II. cap.* 2. (ad quod caput videatur Valesius,) et alium locum *lib. III. cap.* 20. et rursus alium *lib. III. cap.* 33.

Apologétique de Tertullien, avec des *Notes* pour l'éclaircissement des faits et des matiéres. Seconde edition, à Paris 1715. in 12. Prima prodierat ibidem 1714. in 4. et recensetur in *Journal des Sçavans* 1714. m. Sept. p. 291. ubi et indicatur, auctorem huius versionis esse Abbatem *Vassoult*.

Libri *de praescriptionibus adversus haereticos*, Versio Gallica cum Notis prodiit Parisiis 1729. Haec Versio recensetur in *Journal des Sçavans* T. 88. p. 499. sqq.

Alia Versio Gallica huius libri, Genevae in 12. edita, recensetur in *Mémoires de Trevoux* 1729. mense Martio.

Anglice vertit hunc librum *Iosephus Berty*, et cum Notis suis edidit Oxoniae 1722. in 8.

IV. Scriptores Notarum in libros Tertulliani.

In librum *de praescriptionibus* Notas edidit *Albaspinaeus*, annexas ipsius *Observationum ecclesiasticarum* libris duobus pag. 457—465. editionis Helmstadiensis 1672. et *Ioannes Quintinus*, teste Miraeo in libro de Script. Seculi XVI. cap. 78. pag. 173. et *Iustus Calvinus* in libro Moguntiae 1602. edito, sub hoc titulo: *Praescriptionum adversus haereticos perpetuarum Tractatus sex.*

Christiani

Christiani Lupi Scholia et Notae in Tertulliani librum *de praescriptionibus*, exstant in eius *Operum* Tomo nono 1728. edito.

Thuanus in fine *Libri CIV. Historiarum* testatur, *Latinum Latinium* tota vita navasse operam Tertulliano ad MSS. codices recognoscendo. Utinam hae eius lucubrationes prodirent in lucem.

De Tertulliani libro *adversus Valentinianos* vid. *Massuetus* in Dissertatione secunda ad *Irenaeum* §. 53.

V. De tempore, quo libros suos scripsit Tertullianus.

Quo tempore liber *de corona militis* fuerit scriptus, docet *Ant. Pagius* in *Critica Baroniana* ad A. C. 199. §. 3.

Librum *de praescriptionibus*, quo tempore ediderit Tertullianus, vid. in *Actis Eruditorum* Supplem. T. III. p. 247. sq. et in *Ant. Pagii Critica Baroniana* ad A. C. 195. §. 4. *Tenzelius* in *Exercitationum selectarum* Tomo secundo p. 7. putat, hunc librum anno Christi 203. scriptum esse. Idem sentit *Iac. Pamelius* in *Vita Tertulliani* ad A. C. 203. Aliter sentit *Sam. Basnagius* ad A. 200. §. 9. *Moshemii* Diss. de aetate huius libri, edita est Lugd. Bat. 1720. in 8. Secunda editio auctior Helmstadii 1724. in 4.

VI. Iudicia de libris Tertulliani.

Dallaeus lib. III. *de obiecto cultus religiosi* cap. 29. pag. 521. *Apologeticum* Tertulliani appellat *opus ultimae censurae:* et lib. V. cap. 5. p. 754. ait, opus eius *ad Nationes* esse *Apologetici rudimentum et primam editionem.*

D. Christiani Loeberi, Gen. Superint. Altenburgi, Programma, quo praemisso Subrectorem introduxit in Gymnasium, *librum Tertulliani, de poenitentia, ipsi* vindicans. Editum est 1741. in 4. In hac Dissertatione docetur eruditissime, non alium, quam Tertullianum, esse posse huius libri auctorem.

De Tertulliani libro *de praescriptionibus* iudicium fert *Chamierus*, in *Panstratiae Catholicae* Tomo primo lib. II.

 cap.

cap. 8. et *Baelius* in suo *de cometis* libro §. 127. p. 244. et *Conringius* in libro A. 1654. contra Iesuitam *Erbermannum* edito pag. 31. et p. 73. sq.

Io. Guil. Hoffmanni, Prof. Hist. Witteberg. edita A. 1738. Dissertatio, qua evincitur, Tertulliani quae supersunt omnia in Montanismo scripta videri.

M. Io. Augusti Nüsselt Disputationes duae de illis libris Tertulliani, quorum aetas et orthodoxia constat, et de illis, quorum et aetas et Montanismus constat, Halae. 1757.

VII. Iudicia de editoribus Operum Tertulliani.

Pamelius et *Cerdanus*, in suis editionibus Operum Tertulliani, textum exhibent inemendatissimum, ut videatur ars critica ipsis plane fuisse incognita.

Multum industriae in annotationibus suis ad Tertulliani *Apologeticum* ostendit *Havercampus*, ingenii autem et iudicii parum. Quare iudicia eius critica, de locis mendi suspectis, pleraque non sunt critica.

Etiam *Nic. Rigaltius* non raro infelix est Criticus.

* * *

Theodorus Hasaeus, Theologus Bremensis, A. 1724. haec ad me scribebat:

In Tertulliani *de praescriptionibus* libri capite 41. vocem *lenocinium* retinendam puto. Neque enim solum notat illecebras, quibus quis ad rem alium alliciat; sed et institutum et disciplinam lenonum, quo sensu etiam apud Suetonium cap. 40. occurrit. Iam autem scis, lenonum disciplinam in meretriculas fuisse duram ac severam. Multa sunt loca apud Plautum et Terentium, quae id docent. Quando itaque Afer noster scribit, haereticos orthodoxorum disciplinae curam vocare *lenocinium*, nihil aliud innuit, quam eos illam comparasse cum illa disciplina, qua erga subiectas sibi puellas uti consueverant lenones, id est, dixisse, eam esse iniquam, duram, intolerabilem, et sub forma honestatis tegere scelus. Haec Hasaeus.

IOBI

IOBI BASTERI, MED. DOCT. ACAD. CAES. Societ. Reg. Lond. et Holland. Socii, Opuſcula Subſeciva, Obſervationes miſcellaneas de animalculis et plantis quibusdam marinis, eorumque ovariis et ſeminibus, continentia. LIBER PRIMUS.

Harlemi, apud Iohannem Boſch, 1759. pl. 6. in 4to. cum tab. aen. 6.

Clariſſimus harum Obſervationum Auctor, de vera origine plantarum marinarum admodum ſollicitus, multa et mentis et oculorum acie vidit, quae prohibuerunt, quo minus iret in ſententiam Cl. *Peyſonellii*, qui, quod omnes ſciunt, plurimas plantas marinas nil niſi opus ſeu productum animale eſſe, vel animalculorum partem conſtituere, primus opinatus eſt, viroſque praeſtantiſſimos, *Iuſſieu, Ellis, Donatum*, alioſque, in ſuas partes traxit. Dubitationes igitur ſuas Cl. Auctor cum harum rerum amatoribus communicat, ſimulque optat, ut quis, prope mare aut oſtium fluminis degens, ſpeciem vivarii inſtruat, quod cum mari communicet, et aquam maris quotidie bis renovatam recipiat, in quo omnes ſpecies Corallinarum, Lithophytorum, Alcyoniorum, aliarumque plantarum marinarum, teſtis tanquam baſi inſiſtentium, conſervari poſſint, omniumque incrementum et propagatio in dies obſervari; alioquin enim inſecta marina defectu alimenti, quo in mari veſci ſolent, ſaepe intra paucos dies mori ſolere. Poſt haec, aliaque quaedam in introductione monita, octo Sectionibus Auctor diſtinxit Obſervationes ſuas. Ac primo quidem nonnulla de plantis marinis in genere obſervat. Tota planta marina videtur quaſi radix eſſe, et cincta medio, quod alimentum praeſtare poſſit. Id patere ex eo, quod, ſi ſiccata planta marina aquae marinae imponitur, in priorem effigiem et formam omnino redit, et quod plantae pars, quae extra aquam ſtetit, ſicca manet, evidenti argumento, in ea non eſſe canales, qui humores ſurſum vehant, aut per ramos diſtribuant, quem-

 admo-

admodum in terrenis fit. Quod ad harum plantarum ſemen attinet, id vel humorem tenacem et glutinoſum eſſe, vel ſaltem in humore tali deliteſcere, credit. *Sectione altera* de coralliis A. quaedam habet. Dubitat prorſus, an polypi fabricent corallia lapideae duritiei, neque ita ſentientium opinio veriſimilior ipſi videtur, quam ſi quis vermes formare fungos, erucas et ſirones efficere arbores et plantas, finxerit. Ipſe credit, animalcula, quae coralliorum et lithophytorum cortici inſident, hunc in rotundum efficere, ſic ut cortex ille ſit tantum cellularum congeries, quas polypi inhabitent, qualem etiam corticem, cellulis plenum, habitaculum animalculorum, inſidentium fuco, Algae, conchis, teſtis, et interdum omnibus duris in mari corporibus, animadvertimus. Praeterea polypos illos nunquam reperiri in meditullio coralliorum, ſed ſemper ſedere in apicibus, vel inter corticem ac ſubſtantiam. *Sect. III.* de Keratophytis agit. Nec haec ab animalculis effici iudicat; quamvis non neget, id, quod in pleriſque corticis vice fungi videtur, a polypis efformari poſſe. *Sect. IV.* de Corallinis diſſeritur, refutaturque Cl. *Ellis* ſententia, qui omnes ſpecies corallinarum, alcyoniorum, eſchararum, ſpongiarum etc. a polypis exſtrui putat. Recte monet Cl. Auctor, mirum videri, tam parva animalcula, quae tam parum differentis faciei ſunt, non tantum varias corallinarum ſpecies, ſed et alia corpora formare, quorum et externa facies, et interna fabrica, vehementer diſcrepet; veluti eſt inter duritiei lapideae corallia, coriacea Alcyonia, cornea Keratophyta, tenuiſſimorum ramulorum corallinas, molles tenuesque eſcharas. Praeterea in eadem corallinarum ſpecie, admodum diverſos polypos inveniri, et eandem polyporum ſpeciem in diverſiſſimis corallinarum ſpeciebus habitare. Id autem a natura inſectorum abhorrere, quae, quippe animalia irrationalia, ſemper eodem modo operentur. *Sect. V.* de Alcyonio, eiusque ſpeciebus, verba facit. Ipſe Auctor quinque ſpecies examinavit, quae ſunt: 1) Alcyonium, veſica marina appellatum,

tum, quod nonnisi ovarium est cochlearum vulgarium. 2) Alcyonium ramoso-digitatum molle, asteriscis undique notatum, extrinsecus corium vel alutam aemulatur, intus vero cavitatibus refertum est, in quibus semper nidulantur polypi. 3) Alcyonium seu fucus folio singulari longissimo lato in medio rugoso. 4) Alcyonium, pulmo marinus dictum. 5) Alcyonium molle ramosum. Horum trium superficies gelatinae similis, multis parvis obsidetur polypis; intus constant cellulis irregularibus, humore salso plenis. Inter cellulas et superficiem externam sunt punctula nigra, semina forsan plantae. *Sect. VI.* Auct. tractat de polypis, seu illis animalculis, quae in descriptis plantis inveniuntur. Quorum tres species sunt: 1) Polypi, qui cellulas inhabitant, et quando sobolescunt, undique obducunt plantas, animalia, et cuncta quae in mari offendunt corpora; hi corticem sic dictum floriferum Kerato-phytorum constituunt, neque cellulas unquam relinquunt. 2) Polypi, qui sertularias, Alcyonia nonnulla, et escharas obsident; hos Auctor vidit natantes, et relinquentes apices sertulariae, quibus insederant. 3) Magni Polypi, quales sunt urticae marinae, quae carent cellulis, cortice, testa vel basi firma, et libere in mare natare quaquaversus possunt. De quibus omnibus A. varia notatu digna refert, eorumque plurimos ova parere putat. *Sect. VII.* sparsa quaedam de nonnullis aliis insectis marinis leguntur, v. c. de minutulis illis, quae videntur formare exiguas illas scintillas lucentes, quae aestate, et flante Euro, innumerabili copia, in superficie motae aquae marinae cernuntur; item de illis, quae ostreis accrescunt, aut corallinis ostrea obsidentibus. *Sect. ultima* disputat A. de propagatione et ovariis nonnullarum cochlearum et insectorum marinorum, atque sollicite et accurate conquisivit modos, quibus natura utitur in propagandis animalibus marinis. In fine libri iam conspicitur syllabus contentorum libri secundi, propediem in lucem edendi; quem, ut priorem hunc, gratum futurum naturalis scientiae studiosis, non est dubitandi locus.

QUA

QUA RATIONE FRIGESCANT CORPORA IN Caelo Frigido. Auctore IO. HENRICO WINKLERO, Physices Prof. Lipsiensi.

Versari videmur in ignoratione, descendantne ex Caelo Frigido materiae, quae in se recipiant aeris nostri igniculos, coerceantque hoc modo eorum potentiam; an istis solum viae aperiantur, per quas in Caelum Frigidum diffugiant? Forsitan utrumque accidit. De quo ut certi quicquam habeamus, explananda erit *ratio, qua posita, in isto Caelo corpora frigescant.*

Cum liquorem Thermometri in Caelo Frigido, aeque ac in aere nostro, in spatium angustius coarctari constet: ii, quibus effici videatur frigus a materia certa, quae corpora constringat, hanc suam opinionem confirmari autumant hoc, quod, quo altiores sint montes, et quo purius caelum sit, eo compactior fiat mercurius. Illam ipsam suspicionem auget respirandi difficultas, quam senserunt Galli Geometrae, cum montes Americanos adscenderent, ita moleste affecti, ut vomitus cierentur in nonnullis, et ex pulmonibus facta quasi compressione sanguis erumperet. Sed opinionis illius commentum, de vi adstrictoria materiae frigorificae, deletur observatis barometricis, quae pressum aeris decrescere indicant per crescentes montium altitudines. Auctor narrationis eorum, quae retuli, *Bouguer a)*, sequentes enumerat altitudines Mercurii, notatas in Tubo Torricelliano. In littore Maris Pacifici Mercurium elevatum viderunt Galli 28. digitos et 1. lineam *b)*: in urbe *Popayan* 22. dig. $10\frac{2}{3}$ lineas *c)*: in *Carabourou*, statione humillima omnium, quibus usi sunt Geometrae, 21. dig. $2\frac{3}{4}$ lin. *d)*: in urbe *Quito* 20. dig. et 1. lin. *e)*: in monte *Pichincha* 15. dig. 11. lin. *f)*: et in monte *Coraçon de*

a) In praemissa libro, la Figure de la Terre, Historia: Rélation abregée du Voyage fait au Perou, pag. XXXVI.
b) pag. XXXIX. c) pag. LIX. d) pag. XXXIX.
e) pag. XXXVI. f) pag. XXXIX.

de Barionuevo 15. dig. 9. lin. *g)*. Altitudo urbis *Popayan* superficiem Maris Pacifici 900. *h)*, stationis *Carabourou* 1225. *i)*, urbis *Quito* 1500. *k)*, montis *Pichinchae* 2434. *l)*, et montis *Coraçon* 2476. *m)* hexapodis gallicis superat. Istarum altitudinum mercurialium diminutiones contemplatus, quis sibi persuadeat, vim adstrictoriam, quae cogere valeat pulmones in praealtis montibus, ut vasa rumpantur, non posse impedire pressu suo, ne in iis ipsis montibus Mercurius tantum descendat infra altitudinis gradum, quem tenet in littore maris, ubi nulla sentitur difficultas respirationis? Eruptio sanguinis, qua Galli vexati sunt, facta est vi in sanguine conclusi aeris, qui propter imminutum renisum incumbentis aeris externi exitum molitus, ex vasis secum abripuit sanguinis particulas. Ab eodem molimine aeris, cum sanguine commixti, vomitus concitati sunt.

Itaque Caelo Frigido tribui non potest potentia adstrictoria, quae frigus efficiat. Vera ratio refrigerationis posita est in aeris raritate, quae ex imminuto pressu intelligitur, quem breviatae columnae mercuriales in montibus significant. Quo minor enim pressus ille est, eo minus aer, qui in vasculo barometri stagnanti mercurio incumbit, a superiori aere comprimitur. Rarior ille aer igitur, cum admodum pauper sit vaporum cum immixtis igniculis, loca habet patula iis, qui in corporibus Caelo Frigido expositis resident. Quo rarior igitur est aer Caeli Frigidi, eo maiorem copiam igniculorum recipere valet.

Sed cogitanti de aetheris per universum spatium caeleste dispersi natura, facile dubium nasci potest, an igniculis, qui aquae, Mercurio, firmisque corporibus inhaereant, pateat exitus in Caelum Frigidum? Radii enim solares, qui lineae aethereae sunt pulsae et incitatae efficientia Solis,

---

g) pag. LVII. *h)* pag. LIX. *i)* pag. XXXIX. *k)* pag. XXXVI. *l)* pag. XLVI. *m)* pag. LVII.

lis, nivem in ipſo Caelo Frigido liquefaciunt. Igneae naturae igitur cum eſſe videatur aether, qui Caelum Frigidum occupat: quomodo hoc dici queat vacuum ignibus? *Seneca n)* aerem per ſe frigidum eſſe cenſet, ſummamque partem eius calidiſſimam, propter viciniam aeternorum ignium. At vero ex hoc, quod radii ſolares calefaciunt, non ſequitur, ut ignibus conſtet aether. A Sole commotus calefacit excitando latentes in corporibus igniculos. Si igneus aether eſt, cur frigus adeo intenditur in montibus Americanis, ubi tanto purior eſt aether atque ſecretior a vaporibus aquoſis, quanto altior eſt. Iſte ſcilicet ignis aethereus an habeat vim, quae cohibeat igniculos, aquae, aliisque materiis immixtos?

Tanta aetheris raritas eſt, ut in eo ſatis locorum ſit, in quae tranſire valeant igniculi ex corporibus contiguis. Itaque in Caelo Frigido corpora frigeſcunt propterea, quod materiae raritas vias praebet igniculis, qui perpetuo niſu exire contendunt ex corporibus hoſpitalibus. Quod in montibus Americanis, ex ſenſu frigoris in umbra, Galli Geometrae cognoverunt *o)*. Calore ſolari focillati, in umbram vix dum facto tranſitu, frigore correpti ſunt. Ita ſubito et effuſe ex corporum humanorum ſuperficie evolarunt igniculi. Ex accumulatis nivibus in montibus Americanis, modo aucto pondere, modo terrae motibus abruptae devolutaeque per praecipitia moles nivales in locis umbroſis, iisque depreſſis, infra terminum inferiorem conſtantium nivium permanent durabiles. Ex iis, quae anno 1739. de monte *Cotopaxi* praecipitatae ſunt, una, quam *Bouguer p)* aliquot menſibus poſt micrometro menſuravit, complexa eſt craſſitudinem quinquaginta quatuor pedum. Alius molis nivalis anno 1743. menſurata craſſitudo ſeptuaginta ſex pedes habuit, eo ipſo tempore, cum ex monte fumus et flammae agerentur.

Pro

n) Naturalium Quaeſtionum Lib. II. c. 10. *o)* *Bouguer* loco citato p. LIII. *p)* pag. LVIII.

Pro certo igitur poni poſſe videtur, tanto maiori copia igniculos emigraturos eſſe ex corporibus, in quanto maiori Caeli Frigidi altitudine poſita illa vacatura ſint a pulſu radiorum ſolarium. Itaque cum igniculorum diſceſſu frigus exiſtat, huius auctus in corporibus per creſcentes altitudines in Caelo Frigido, inter ſe erunt quemadmodum augeſcentes raritates aeris per iſtud Caelum diffuſi. *Neutonus q)* in Philoſophiae Naturalis Principiis Mathematicis tradit, in altitudine Atmoſphaerae aequante ſemidiametrum terreſtrem tantam eſſe raritatem aeris, ut in iſtam altitudinem evectus aeris noſtri globus unum digitum latus ibi ita diſpergeretur, ut impleret omnes Planetarum regiones. In Commentariis P. P. *Thomae le Seur*, et *Franciſci Jacquier*, ex inſtituta computatione *r)* patet, in altitudine unius ſemidiametri terreſtris raritatem aeris ad raritatem in ſuperficie Terrae eſſe ut numerum 1617. cum adſcriptis CLI cifris ad 1, ſeu 1617^{CLI}: 1. Sphaera Saturni, ſeu ſphaera, cuius diameter aequalis ſit diametro orbitae Saturni, ad ſphaeram diametro digiti unius deſcriptam $= 1728^{XXXIX}$: 1. Quae ratio multo minor eſt ratione priori inter raritates aeris. Quantam igitur extituram eſſe putemus frigoris vehementiam in corporibus noſtris, ſi in altitudine unius ſemidiametri terreſtris locum nacta carerent agitatione radiorum ſolarium?

In promtu eſt dubitatio. Si tanto effuſius migrent igniculi ex corporibus, quanto rarior iis aer innititur: quid impedit, quo minus corpora terreſtria ignis penuria laborent? Is enim, ſi continue petat loca, quibus minor copia inſit, per immania Caeli ſpatia diffugiat neceſſe eſt. Ex montibus in proxima Atmoſphaerae ſtrata egreſſus, abibit in altiora, propter minorem aeris raritatem. Ex eadem ratione deſeret haec ſtrata. Sed neque gradum ſiſtet in ſublimioribus, utpote quae rariorem adhuc aerem complectuntur. Quouſque igitur aer rareſcit, nihil eſſe videtur

q) Lib. 3. Prop. XLI. p. 470. *r)* T. III. p. 648.

tur in omni Caelo, quod ignis fugam inhibeat. Quot igniculi ex corporum terrestrium superficie discedunt, tot loca relinquuntur, in quae secedant latentes in locis corporum interioribus. Si itaque iis, qui in superficie Telluris versantur, in aerem semper pateat via, egressique continue in loca ulteriora Caeli progrediantur: mirum, quin ita deficiat ignis corpora terrena, ut perpetuo frigore conficiantur.

Ne hoc fiat, eaedem vires impediunt, quibus efficitur, ut aer, quamquam elasticitate sua perpetim enititur in spatium amplius, tamen ex immensis altitudinibus centrum Terrae versus densior fiat, et aquae aliisque fluidis materiis et corporibus firmis immixtus maneat. Permeat corpora certa cohaerescendi vis, qua fit, ut disiuncta coeant. Per universa spatia caelestia diffusae versantur vires gravitatis, quae, quo minus distant loca a centro Telluris, eo maiori pondere corpora in iis urget. Hae duae vires cogunt igniculos, ut copiosius hospitentur in Tellure, quam in Atmosphaera.

Ab aere diversum corpus, quo densius est aere, eo maiorem habet multitudinem partium, si huius corporis atque portionis aeriae aequalia sint volumina, seu aequales magnitudines. Cohaerescendi vis igitur, cum igniculos in omnes corporis particulas adigat, efficit, ut corpus, quanto densius est aere, tanto maiorem illorum copiam volumine suo comprehendat, quam aequalis voluminis portio aeria. Ponamus, materiae quantitatem in pede cubico aquae ad quantitatem materiae in pede cubico aeris esse = 900: 1. itaque numerus igniculorum in pede cubico aeris noningentesima pars erit eorum, qui sint in pede cubico aquae, si ambo pedes in eadem temperatura Caeli positi aequaliter absint a centro Terrae. Pari modo in regione Atmosphaerae inferiori pes cubicus aerius, quanto densior erit pede cubico aerio in regione superiori, tanto plus igniculorum continebit, quam iste rarior. Quibus gradibus igitur densitates atmosphaericae centrum

Tel-

Telluris verſus creſcunt, iisdem etiam creſcunt igniculorum aequalibus voluminibus inhaerentium numeri.

Ita patet una cauſſa impediens, ne gelu ſempiterno rigeant flumina et maria, ex nimio abitu igniculorum in ſpatia caeleſtia. Altera cauſſa eſt, quae gravitatem affert. Hac enim primo fit, ut propior Terrae centro aer pondere ſuperioris condenſetur. Dein illa ipſa gravitate minuitur niſus, quo expedire ſe ſtudeant igniculi in corpora, in quibus minor eorum copia ineſt. Iis vero vim inferri a cauſſa gravitatis, intelligitur ex hoc, quod cum aere, aqua, materiisque terrenis cohaerent. Quod indicio eſt, igniculos, cum ea magnitudine ſint, ut contactu cum illarum rerum particulis iungantur, aeque ac has incitari impulſu cauſſae, ex qua gravitas oritur. Per decreſcentes igitur altitudines Atmoſphaerae igniculorum collectus augeſcant neceſſe eſt eadem ratione, qua ipſa gravitas. Simul vero intelligitur, eadem ratione, qua gravitas per altitudines Atmoſphaerae decreſcat, augeſcere igniculorum defectus, frigorisque creſcentis gradus in Caelo Frigido.

Quaeſtionem, cur non in perpetuum immani frigore torpeat omnis terra? alia ſequitur, cur Caeli Frigidi terminus inferior in Zona torrida altior ſit, quam in Zonis temperatis et frigidis? Ratio ſita eſt in gravitatis gradibus. Explorate conſtat, gravitatem ab Aequatore Polos verſus continue creſcere. Gravitate igitur maiori in vicinia Polorum fit, ut vapores atmoſphaerici minori intervallo abſint a ſuperficie terreſtri, quam in Zona torrida. Itaque, cum loca Caeli, quo puriora ſunt, eo minorem copiam igniculorum comprehendant, neceſſe eſt, ut, quo propinquiores ſint Zonae Polis, eo propius iis immineat Caeli Frigidi terminus inferior.

Expoſita igitur ſunt, quorum praemeditatio mihi neceſſaria eſſe videtur ad explicandas quaeſtiones, de ratione, qua Caelum Frigidum aeri noſtro frigus inducat. Ipſi explicationi occaſionem dabit tempus futurum.

DIPLOMATARIA ET SCRIPTORES HISTORIAE Germanicae medii aevi, cum ſigillis aeri inciſis, opera et ſtudio CHRISTIANI SCHOETTGENII, et M. GEORGII CHRISTOPHORI KREYSIGII, quorum vitas praemiſit et praefationem HENRICUS GOTTLIEB FRANCKE. TOMUS III.

Altenburgi, typ. et ſumt. Richteri, 1760. Alph. 4. plag 18. tab. aen. 8. in fol.

Debere ſe hoc credidit *Franckius* V. Cl. et patriae litterarumque ſtudiis, et amicitiae, quae ipſi cum *Schoettgenio* et *Kreyſigio* olim interceſſerat, ut operum, ab his inchoatorum et imperfectorum, curam et aliquam quaſi tutelam ſuſciperet. Non ſolum igitur *Tomi* huius *tertii* editionem adornavit, ſed memoriam quoque Auctorum in illuſtri aliquo monimento ponere, atque ad poſteritatem propagare voluit. *Schoettgenius* quidem A. 1682. Wurcenae natus, et A. 1751. mortuus eſt Dresdae, qua in urbe Scholae Crucianae ſumma cum fide praefuit. *Kreyſigius* vero in pago prope Annaebergam A. 1695. in lucem editus, Dresdae publicarum librorum et monetarum auctionum dirigendarum munus geſſit, ibique A. 1758. obiit. Uterque, multis libris editis, de hiſtoria Saxoniae immortaliter meritus eſt, neque ullis in hac re laboribus pepercit. Quod ad hunc Tomum attinet, continentur in eo: I. *Pomerania Diplomatica ab A.* 1216. *cum aliquot Sigillis.* Complectitur haec collectio chartas 387. quarum prima A. 1216. ultima A. 1638. prodiit. Hiſce non ſolum hiſtoria univerſa Pomeraniae, et ſtatus publicus, ſed ius Germanicum quoque multum illuſtratur. Ad hoc quidem pertinet charta XVII. qua Hermannus, Caminenſis Epiſcopus, Maſſoviae ius Lubecenſe aliaque privilegia concedit: et XXIV. qua Stargardia ius Lubecenſe accipit. Nexum Ducum Pomeraniae cum Caminenſi Epiſcopatu, illorumque iura, oſtendunt: n. 256. Statuta Synodalia Martini

tini Carith, Episcopi Caminensis, A. 1500: n. 314. conventio inter Barnymum et Philippum, duces Stettinenses, de ecclesia Caminensi, A. 1541: n. 332. Consilium Theologorum Vitebergensium, Lutheri, Bugenhagii, Creutzigeri, Melanchthonis, et Maioris, de electione Episcopi Caminensis, A. 1544. Reliqua pars spectat ad statum Pomeraniae publicum. Eminent prae reliquis: n. 63. litterae investiturae Ludovici IV. Imp. Rom. Ottoni et Barnymo Pomeran. Ducibus, Norimbergae A. 1338. datae: n. 123. foedus urbium Stolp, Rugenwald, et Schlaw, A. 1408: n. 231. foedus inter Pomeranos et Meckelburgenses, A. 1482. Pontificis Alexandri VI. privilegium, Ducibus Pomeraniae concessum, de non evocando, A. 1497. n. 276. Caroli V. melioratio armorum pro Duce Pomeran. A. 1521. n. 293. literae reversales Ducum Pomeran. ordinibus datae, A. 1529. n. 342. privilegia ducatui Pomeraniae A. 1560. data, et A. 1569. renovata, plurimaque alia. II. *Codex diplomaticus Circulum Saxoniae Electoralem illustrans, ab A.* 1147. *usque ad A.* 1455. Exhibentur in hoc codice diplomata 279, quae ad status publici, atque iuris publici et clientelaris cognitionem, multum omnino conferunt. Memoranda inprimis sequentia nobis visa sunt: n. 16. quo Adolphus, rex Rom. Alberto de Barbey usum fructum Iudaeorum, ad restitutionem CCC. marcarum, assignat, A. 1295. item n. 95. quo Rudolphus Dux Sax. se Ioanni, Comiti Holsatiae, duas partes Stormariae loco feudi dedisse declarat, A. 1306. dein n. 106. quo Wenceslaus El. et Albertus, duces Sax. Gunthero, Comiti de Barby, iure clientelari oppidum Egeln concedunt, A. 1375. tandem n. 231. quo Fridericus El. Sax. Privilegia urbis Vitebergae confirmat, A. 1428. aliaque complura. III. *P. D. v. G. de monasteriis et advocatiis Breitungensibus.* Latet sub hisce litteris illustre nomen *Pauli Dietric de Gottberg*, Viri cum munerum et honorum splendore, tum ingenii et doctrinae praestantia, nuper ornatissimi. Fuerunt autem duo olim monasteria: alterum *Herren-*

renbreitungen sive *Burgbreitungen*, ad dextram fluminis Werrae in regione Schmalkaldensi; alterum *Frauenbreitungen* sive *Koenigsbreitungen*, ad sinistram Werrae situm. In hac dissertatione Illustr. Auctor praecipue de advocatiis utriusque monasterii agit, seriemque Abbatum Herrenbreitungensium, et Praepositorum atque Abbatissarum Frauenbreitungensium, exhibet. Potissimum vero publicus comitatus Hennebergensis status, addito codice documentorum, illustratur. Hic diplomata 47. complectitur, in quibus eminent inprimis: n. 37. donatio advocatiae Altenbreitungen, post obitum Henrici de Franckenberg, ab Alberto Thuringiae Landgravio Bertholdo Comiti Hennebergensi collatae, A. 1294: n. 48. Bertholdi Abbatis Hersfeldensis litterae investiturae, quibus Bertholdo Com. Henneb. bona in villa Breitungen cum 60. marc. argenti in feudum castrense collata, A. 1301: n. 45. diploma quo Albertus, Burggrafius Norimbergens. Elisabethae, Henneberg. Com. Schmalkaldiam, Breitungen, aliaque loca vendit, A. 1360.

III. *Martini Chemnitii Responsum de Feudis Pomeraniae, cum approbatione Danielis Rungii et Ernesti Cothmanni, de anno* 1619. Pertinet hoc responsum ad controversam agnatorum successionem in feudum, quod dominus directus, tanquam apertum, aliis de novo contulerat. Ipse vidit Cl. *Franckius*, taedium multis et nauseam huius responsi lectionem creaturam esse. Baldi, Bartoli, Iasonis, aliorumque veneranda nomina, utramque paginam ornant: diffusum est et obscurum dicendi genus, idque neque Latinum neque Theotiscum, et creberrimae sine necessitate ad Glossatores provocationes. Vultis exemplum? Statim ab initio occurret egregius locus. — „Damit nun durch gnädige „Hülffleistung Gottes des Almächtigen, in cuius nomine „ad omnia consilia omnesque actus progredi debemus, „monente Impr. nostr. Iust. in l. 2. pr. C. de offic. praef. „Praet. Afric. die Wahrheit desto scheinlicher ans Tages-„Licht gebracht, und ob die angestellte action durch für-„geschützte Exceptiones zur Gnüge elidiret, auch welch

„Theil

„Theil zu den ſtreitigen Gütern die beſte Befugniſs habe, „mit deſto mehrern Beyſtand ausgeführet werden moege, „iſt nichts zutraeglichers, als daſs man die Bewegniſs und „Gründe, ſo auf die eine oder andere Seite können er„dacht werden, gegen einander ſetze, mit Fleiſs erwege, „undt den darauff eine beſtändige deciſion und rechtmäſsi„gen Schluſs mache. Nam, ut recte M. Tullius Cicero „alicubi ſcribit: in utramque partem diſputando elicitur, „et tanquam elicitur id, quod verum eſt. Et eleganter „dicitur: diſputationem eſſe cribrum veritatis: Iohan. Ne„vizan. in ſylv. Nupt. l. I. pr. n. 1. Et allegando pro et „contra veritatem magis apparere teſtatur Bald. Conſ. 422. „pr. vol. 4. Unde, quando emergit grande dubium, non „debemus ſimpliciter reſpondere, ſed diſputare et bene „ponderare articulum, quod ICtum de iure reſpondentem „maxime decere et notare debere monuit Praepoſit. in „c. 1. col. 1. de eo, qui ſibi et hered. maſc. quem refert „Roland. a Valle conſ. 24. n. 2. vol. 3. et Ludolph. Schra„der conſ. 47. n. 2. vol. 2.“ Verum ohe! iam ſatis eſt. Nihilominus tamen indoles feudorum Pomeraniae, atque ſubdifficilis de feudali agnatorum ſucceſſione doctrina, non parum hac commentatione illuſtratur. V. *Chartarium Coenobii Sonnefeldenſis.* Exhibentur diplomata 361. ab A. 1252. usque ad A. 1576. Multa ex privilegiis huius monaſterii diſci poſſunt, quae ad ius advocatiae, iudicia arbitraria, curatorem feudi, antiqua iudicia provincialia, ius ducum Saxoniae circa ſacra ante reformationem, et alia ſpectant. Memoratu inprimis digna nobis videntur ſequentia: n. 18. Pontificis Nicolai IV. privilegium, coenobio Sonnefeldenſi conceſſum, *ut poſſeſſiones et alia bona — quae contigiſſent ſororibus — ſi in ſeculo remanſiſſent, feudalibus duntaxat exceptis, petere, recipere, et retinere valeat:* n. 48. eiusdem Pontificis privilegium monialibus Ciſtercienſibus Sonnefeld. datum, A. 1291: n. 188. Caroli IV. Imp. litterae gratiae ad coenobium Sonnefeld. A. 1361: n. 280. conventio inter coenobium et ſacerdotem Fechhemenſem

de iure baptizationis, A. 1429: n. 301. Diploma Gothofredi, Episcopi Bambergensis, quo ecclesiam Nassachensem e filiali ad parochialem evehit; et alia, maxima ex parte conventiones quasdam exhibentia.

PHILOSOPHIAE CIVILIS SIVE POLITICAE, PARS SECUNDA, continens sapientiam publicam in temperandis rerumpublicarum formis, procurando iusto civium numero, et perficienda civium mente, inprimis ratione intellectus: tanquam continuationem systematis philosophici Christiani L. B. de Wolff, Potent. Boruss. Reg. Consiliar. int. Friderician. Cancellar. cet. Auctore MICHAELE CHRISTOPH. HANOVIO, Gymnas. Academ. Gedan. Prof. Philos. eiusdemque Bibliothec.

Halae Magdeburgicae, ex offic. Rengeriana, 1757. Alph. 3. plag. 10. in 4to.

Pergit *Hanovius* V. Cl. in hac altera Politicae parte, iis, quae in priori iecerat, fundamentis, reliqua superstruere, quae ad salutem publicam pertinent. Simplicibus enim rerum publicarum formis expositis, ad eas, quae ex his componi soleant, excutiendas progreditur. *Sectione prima* agitur *de sapienter miscendis reipublicae simplicibus formis.* Haec Sectio tributa est in *capita tria: de republica mixta in genere: de regno temperato: de republica temperata.* Hic, notionibus temperationis civilis atque restrictionis enodatis, docet Noster, habere hanc temperationem usum suum cum in ordienda republica, tum in corrupta, nec aliter corrigenda, bene reformanda: nihil illi magis convenire, quam ut commoda miscendarum rerumpublicarum simul obtineantur in eadem civitate, ut stabiliantur firmissime augeanturque quantum fieri possit, omniaque incommoda evitentur; atque utrumque scientiam commodo-

modorum et incommodorum ſimplicium civitatum requirere. Deinde ut, quomodo temperatio mixtae reipublicae ſit bene inſtituenda, melius appareat, haec uberius exponuntur. Nam quod ad monarchiam attinet, docetur, eſſe in illa evidentiorem uſum fructumque maieſtatis perſonalis: illi unius prae ceteris praeſtantiam ſufficere: virtutum eſſe in illa faciliorem tutelam: eam facile diutius reliquis formis vigere: conſilia rerum agendarum, earumque exſecutionem, promtius expediri: arcana melius reticeri: potentiam facilius ſervari et augeri: cum rarior ſit multorum aut plurimorum pietas, monarchae pietatem plurimum integrae civitati prodeſſe: denique maiorem eſſe Monarchiae cum natura rerum et tranquillitate convenientiam. Tum, incommodis Monarchiae, et modis illius temperandae commemoratis, tranſit A. ad Ariſtocratiam. Huius commodis accenſendas eſſe plurium virtutes in ſalutem publicam conſpirantes, et ſtudium excolendi perficiendique civium complurium virtutes: eam optimos cives multiplicare et praemiis ornare: facilius affectuum moderamen reddere: maiorem ibidem eſſe popularitatem et comitatem erga ſubditos: aemulationem virtutem quam maxime vigere. Sequitur recenſio incommodorum Ariſtocratiae, et commodorum Democratiae. Florere in hac populi aequalitatem et libertatem, maiorem tranquillitatem internam, immunitatem a poenis gravioribus et oneribus publicis, maioremque a bello ſecuritatem, multum conferre ad populum univerſum in publicis negotiis erudiendum, et ad quandam ingenii morumque culturam: fortitudinem militarem, mitius imperium, promtius obſequium, et alacritatem ad conferenda tributa, et onera ferenda, gignere. In mixtis rebuspublicis Auctor eam primariam dicit, penes quam ita ſit ſumma rerum, ut praeſit reliquis, ipſius iudicio ordinario ſubiectis, et ut habeat potiora ſeu praecipua ſummi imperii iura, licet et ipſis quaedam imperii iura ex pacto debeantur, et ſalva ſint relinquenda. Nunc de ſingulis ſeparatim videbimus, et quidem primum de

regno temperato. Regnum temperatum dicitur, per heterogeneam civitatis formam limitatum regnum, idemque dici poteſt regnum legitimum, atque eo melius erit temperatum, quo conſtantius leges naturalibus conformatae in eo obſervabuntur. In temperato regno, et ordine, et re, primaria eſt forma monarchica: in regno temperando maieſtatis regiae ratio nequaquam eſt negligenda, ſed conſervanda potius: iura maieſtatis maiora regi ſunt reſervanda, niſi integra, certe quatenus innocua ſunt futura: quantum cavendum eſt, ne abuſus regiae maieſtatis invaleſcere poſſit, tantum quoque curandum, ne maieſtas regia evileſcat: libertati civium eſt conſulendum, et licentiae occurrendum. Porro de gradibus, quibus temperata regna differunt; de duplici fonte temperationis regnorum; de occaſionibus regni temperandi, et reliquis adiumentis exponitur. Quatenus humana prudentia caveri poſſit, ne imperium temperatione indigeat, eatenus illam non eſſe ſponte inſtituendam; quatenus autem hoc fieri nequeat, eatenus eam regem ſapienter decernere poſſe: quo minus ſit ſtudium libertatis in populo, quo antiquior eius barbaries, et quo minor regni moles, eo minus temperatione imperii opus eſſe: temperationem regni inſtituendam eſſe pro natura reipublicae, quae ipſi eſt adiungenda. Si igitur adiungenda ſit regno Ariſtocratia, ea tantum iura ſummi imperii in Optimates ſunt conferenda, quibus abuſus potentiae regiae ita inhibeatur, ne et optimatibus ſua abuti parte imperii concedatur, et inde ſine conſenſu optimatum neque leges ferendae, neque ſupplicia infligenda, neque privilegia concedenda, neque exercitus parandus, tributa imponenda, bellum inferendum, etc. Sequitur regnum democratice temperatum, ſeu populare: atque iis, quae et fugienda in eo, et ſpectanda, monitis, pergit Noſter ad regnum triforme, ſive eiusmodi civitatem, quae et Ariſtocratiam, et Democratiam, Monarchiae iunctam habet. Inter modos iura ſumma inter tres formas dividendi, is naturae convenientiſſimus Auctori videtur, quo omni-

omnibus communia ſacra, tributa, et onera, relinquuntur placitis deciſionique ſtatus popularis, iudiciorum et legum cura optimatibus, expeditio vero decretorum ab ordinibus regni, et iura maieſtatis innocua, regi. Denique multa de temperatione imperii Germanici, de imperio Turcico, Ruſſico, Sinenſi, Iapanenſi, Britannico, Bohemico, Danico, Franco-Gallico, Hiſpanico, Hungarico, Luſitanico, Polonico, Suecico, adduntur, horumque regnorum ratio explicatur. Reſtat caput tertium, de republica temperata. In hac imperium plurium ait limitari admixta alia civitatis forma: non praevalere imperium unius, ſed plurium ſemper: ipſam maieſtatem realem eſſe penes plures, nec tamen penes ſolos optimates, nec penes ſolum populum, ſed penes formas ſimplices, in ea conſociatas: maieſtatis titulum nulli convenire aut merito tribui poſſe. Ut vero appareat, quaenam in hac forma praevaleat, unam maioribus maieſtaticis iuribus gaudere, et quodammodo ceteris formis praeeſſe debere: huius eſſe iura foederum, belli et pacis, tributorum, ſacrorum, monetae, legatorum mittendorum, criminum publicorum puniendorum, etc. Deinde differre poſſe rempublicam temperatam cum genere, tum gradibus: Ariſtocratiae ducali primas deberi partes inter Ariſtocratias temperatas: Duci ea ſummi imperii iura eſſe committenda, quae nullam moram patiantur, et unius arbitrio optime gerantur, modo ille, re male geſta, ad rationes reddendas obligetur: eidem omnium functionum publicarum innocuum moderamen concedendum: melius Duces pro meritis eligi, quam lege quadam ſibi ſuccedere. Hiſce demonſtratis pergit Auctor ad popularem Ariſtocratiam, ad Democratiam temperatam, ducalem et Ariſtocraticam, et copioſe de republica Veneta et Genuenſi, de Provinciis foederati Belgii, de Pagis Helveticis, de Rep. Genevenſi, Luccenſi, Raguſina, et Marinenſi, exponit. *Sectio ſecunda, de conſtituenda ſapienter procuratione iuſti civium numeri,* in duo capita diſpeſcitur: *de civibus eorumque iuſto numero,* et *de ſapienti procuratione*

 iuſti

iusti civium numeri. Iustum civium numerum dicit, qui publicae civitatis saluti adipiscendae, conservandae, tuendae sufficit, illumque tantum esse debere ostendit, quantus requiratur ad paranda ea, quae ad vitae necessitatem, commoditatem, et iucunditatem, ad provehendum commune civitatis bonum, eamque adversus vim hostium defendendam, pertineant. Hoc capite ea quoque explicantur, quae ad ius civitatis, vel indigenatus, ad civium officia, ad operarum publicarum compensationem, ad duplicem adipiscendae civitatis modum, ad discrimen et ordinem civium, spectant. Primam procurationem iusti civium numeri collocat Vir Cl. in civitatum primordiis: propositis maioribus pluribusve privilegiis, alibi non habendis, largitione civitatis gratuita, eaque ne hostibus quidem temere neganda, immunitatibus ab oneribus civilibus concessis, aliis. Porro ostendit, quomodo civium discessus prohibendus, propagatio sobolis praemiis et poenis promovenda, legitima progenies augenda, liberi pauperum et spurii educandi, unde repentina civium instauratio petenda? Postremo loco monentur quaedam de recipiendis aliunde emigrantibus civibus, de civium abundantia sapienter minuenda, de coloniis instituendis. Proponuntur etiam quaestiones aliquot: e. c. an urgente necessitate virorum loco feminae adhibendae? an minuendi civium numeri caussa bellum gerendum? Reliquam huius Voluminis partem occupat *Sectio tertia, de sapienti cura mentem civium perficiendi.* Haec in *duo* capita abit: *de perficiendo civium intellectu,* sive *de perficiendis scientiis et artibus,* et *de scientiis atque artibus per nova inventa ulterius perficiendis.* Agitur primum de recta liberorum educatione, de lingua vernacula addiscenda, de scientiis et artibus nobilioribus ignobilioribusve, de scholis privatis et publicis, de aedificiis scholarum, de scholis inferioribus et superioribus, de iusto scholarum numero, de scholis in certas classes dividendis. Deinde pergit Noster ad Gymnasia et Academias, ostenditque, quae Professorum in docendo libertas esse debeat? quae sint digni-

dignitates Academicae, qui tituli et gradus? qui honores, quae munera Rectoris Universitatis? quae partes Senatus Professorii? quae Academiarum eminentia et iurisdictio? cur Academia praeferatur magistratui urbano? quaenam complectatur sceptrum Academicum? cui subsint Doctores in Academiis? Porro enarrat privilegium eligendi et removendi Professores: ius condendi Statuta academica: immunitates Academicas: Academias gregales: ius scholas et Academias instituendi. Hic etiam quaeritur, quando in condenda Academia consensu domini directi sit opus? Vir Cl. ita respondet: quoniam nemo iure Academiae condendae gaudet, nisi rector civitatis, summo imperio praeditus: ubi rector nullo, nisi utili dominio fruitur, directo vero alius, ibi domini directi opus est consensu in Academia condenda. Interest enim domini directi, feudum dantis, ne quid a domino utili mutetur, quod forte in fraudem ipsius possit cedere. Qua igitur de re iudicium arbitriumque penes dominum directum, qui feudum dedit, esse debet, in ea sine illius consensu nihil est novandum. Si vero feudum non sit datum, sed oblatum domino directo ab eo, cuius antea quoque directum illius erat dominium, dispiciendum erit, quid offerens sibi reservaverit, quidve in dominum directum transtulerit. Si se libertate Academias instituendi non abdicaverit, eo iure gaudebit, et uti poterit in ditione sua, inconsulto et vel invito domino directo, cui ius id prohibendi est nullum. Quemadmodum rector civitatis, suo utens iure, nemini iniuriam facit: ita is, si nullum cum exteris pactum obstat, non opus habet consensu eius, cui feudum obtulit, domini directi, etsi illius aliorumque Academiae non eum sint postea fructum percepturae, quem ante novam conditam Academiam perceperant. Ex oblati igitur feudi natura Vir Cl. derivandam esse existimat causam, cur Duces Saxoniae, Fridericus et Wilhelmus, in condenda Lipsiensi Academia nullam petierint confirmationem Imperatoris, sed tantummodo Pontificis Romani, Alexandri. Sed de hoc hactenus.

Post

Post a Nostro exponuntur rationes, novarum instituendarum Academiarum: ubi sint condendae? unde sumtus petendi? quae Professorum immunitates, quae minervalia, sive salaria esse debeant? quomodo iuvenum inopia sublevanda, et reliqua studiorum adiumenta in Academiis procuranda? Hoc loco exhibetur omnium Academiarum catalogus, annis fundationis et restaurationis additis. In altero capite agitur potissimum de Societatibus litterariis et Academiis, eum in finem constituendis, ut scientiae et artes novis incrementis augeantur. Hic docetur, in quibus occupari debeat harum Societatum diligentia? quinam, et quomodo excitandi publice sint ad artem inveniendi? quomodo in speciminibus exhibendis, examinandis, diiudicandis, praemiisque distribuendis, sit versandum? quae immunitates et privilegia hisce Academiis debeantur? quae in his sentiendi libertas permittenda? quomodo Astronomica inventa procuranda? qualis in his Academiis ordo recipiendus? quae officia praesidis, quae classes constituendae? etc. Ad minutissima enim quaeque Vir Cl. descendit, multaque admiscet, quae vel ad historiam et ius publicum potius, quam ad Politicam, pertinent; vel, nisi omnino omittenda, certe multo brevius explicanda erant.

FRAGMENTA MARCHICA, SIVE COLLECTIO documentorum historiam Brandenburgicam illustrantium, edita a PHILIPPO GUIL. GERKEN.

Guelpherbyti, apud Io. Christoph. Meisnerum. *Pars III.* 1757. plag. 13. *P. IV.* 1759. plag. 11. in 8.

Pergit Cl. *Gerkenius* in his, quas indicamus, Partibus, consilium, historiam Brandenburgicam ex documentis adhuc ineditis illustrandi, prosequi. Neque enim certiores limpidioresve sunt fontes, e quibus certior historiae cognitio hauriatur, quam ii, quos Vir Cl. adiit, et quibus

quibus ſitim ſuam explevit. Ipſe quidem vidit, fore fortaſſe, quibus editio quorundam documentorum non necesſaria fuiſſe, ſed inutilis potius videatur ſuſcepta opera. Sunt enim complura edita, quae nullum alium uſum habent, quam quem in ſtemmatibus familiarum nobilium ordinandis digerendisve praeſtant. Verum neque haec commoda, varias ob cauſas, negligenda ſunt, nullumque Auctor documentum a quoquam parvi aeſtimandum eſſe arbitratur. Nam quae tibi exigui momenti videantur, aliis grata ſunt et iucunda, immo ſaepius praeter omnem ſpem atque exſpectationem magno uſui eſſe poterunt.

Habet *Pars tertia* documenta LIII. quibus additur codicillus documentorum X. Ottonis Largi, Ducis Brunſuicenſis, et coniugis Agneſae. Atque quoniam hiſtoria eorum temporum nondum ſatis explicata eſt, non exiguam hic codicillus iis utilitatem adferet, qui ſibi illam illuſtrandam ſumere velint. Eminet prae reliquis documentum II. quo Gevehardus Comes de Arnſtein advocatiam eccleſiae in Litzke recipit, eidemque protectionem pro ſe et haeredibus promittit, d. A. 1211. Egregie enim hinc indoles et officium Advocatorum monaſticorum explicatur, et bene Noſter optat, ut, quia *Paulini de Advocatis monaſticis* libellus brevior ſit, optimaque poſteris demum temporibus documenta in lucem ſint protracta, aliquis copioſe et diligenter de hac re exponat. E documento V. quo Iohannes et Otto, Marchiones, praeſcribunt iura et indulgent civitati Pritzwalck A. 1256. multum iuri antiquo Germaniae lucis affundi poteſt. Memorabilia inprimis ſunt, quae de haereditatibus monentur. In documento XI. occurrit verbum *domicellus*, unde Noſter occaſionem arripit, illius vim uberius enarrandi. Erat vero hic titulus illis ducibus et comitibus proprius, qui nondum maiorennes, ut aiunt, fuerunt, certe qui nondum imperio potiti. Sic in doc. Alberti Ducis Saxo-Lauenburgici d. A. 1295. *Fratrueles ſui, Iohannes Albertus et Ericus, tunc temporis iuvenes et domicelli*, atque in doc. Alberti Comi-

tis de Sualenberg: *quod cum consensu domine Iutte uxoris nostre Henrici atque Alberti Domicellorum filiorum nostrorum*—. Ex hoc tamen documento apparet, maioribus quoque dynastis hunc titulum tributum fuisse. In Theotiscis vero documentis verbum *domicellus* plerumque per *Iuncker* redditur. E documento I. d. A. 1170. et XXIV. d. A. 1324. constat, cameram imperialem in urbe Brandeburgo antiquissimis temporibus fuisse. Memoranda inprimis haec verba: — *civitati nostre veteri Brandenborch, a qua noster principatus traxit originem, in qua etiam officium Archicamerarii sacri imperii, qua Elector imperii dicimur et sumus, principaliter radicatur.* In docum. XXXVI. d. A. 1415. legitur: — *her Fritze myn sone und Busse hern Fritzen sone* — qua illud patrem indicare voluisse Noster animadvertit, filium Equitem fuisse. Titulus enim *Herr* in medio aevo, si clericos excipias, Equitibus fere proprius fuit. Illo non solum ab aliis equitibus, sed etiam a principe insigniti fuerunt, atque ipsi etiam suo nomini illum addiderunt. Sic in docum. d. A. 1351. *Wy her Albrecht unde her Hermann von Brakele brodere und riddere* —. Dignitas Equitis tantum tum temporis valuit, ut Comites quoque hunc titulum adamarent, illoque nomini suo addito meritorum suorum testimonium edere vellent. Sic in docum. Comitum de Halremunt et Hoie: *We her Otto Rittere Heinrich unde Ghert Iuncheren alle Greven to Halremunt bekennet,* atque in alio docum. A. 1372. *Wy Erick Ridder Greve thor Hoye, Iuncher Otte Dumprovest tho Munstere unde Iunchere* —: ubi illud etiam notandum, nomen Erici Comitis nomini fratris, licet sacerdotis, praeponi. Verum non pauca occurrunt exempla, in quibus filius, ut *Herr* sive *Ritter*, patri, ut *Knapen*, praeponitur. Sic in docum. A. 1344. *dat wy ghedan hebbet eine rechte Orveide den edlen heren Greven Gherde thor Hoie, und eren rechten erven,* unde Hern Clavese von dem Horne riddere, unde Clavese von dem Horne sinemo Vadere Knapen —. Pag. 103. Auctor verba *Wedeme*, i. e. dos ecclesiastica: pag. 104. *bewedemen*,

wedemen, dotare: pag. 109. *beiden*, ſive *beiten*, exponit. Sunt enim in hiſce Particulis, ut in prioribus, animadverſiones quaedam adſperſae. Ipſa haec documenta excipit hiſtoria *Iodoci*, Marchionis Brandenburgici. Noſter illa tantum ex hac hiſtoria excerpſit, quae ad Marchiam pertinent, reliqua vero omiſit. Omnia ad fidem documentorum et Scriptorum coaevorum examinantur et enarrantur.

Pars IV. continet documenta XLVIII. quorum primo Balderamus, Brandenburgicus Epiſcopus, Eccleſiae et Capitulo Brandenburg. iura et privilegia confirmat, A. 1186. ultimo de Advocatia Havelbergenſi agitur. Haec documenta ſequitur Diplomatarium Diſtorfienſe, continens documenta XXXII. Etſi vero nullum eſt horum, quod non utilitatem aliquam adferat: ex iis tamen, quorum praeſtantia ſtatim apparet, memoranda ſunt docum. VIII. et IX. Nam illo Genealogia Woldemari, hoc Hermanni et Iohannis, confirmatur et ordinatur. E docum. XII. ad vitam Marchionis Miſnici, Friderici Severi; et doc. XXXVII. ad hiſtoriam Agneſae, filii Barnimi, Ducis Pomeraniae, varia colligi poſſunt. Plurima vero ad familias nobilium, atque ad hiſtoriam ſingularum urbium, praefecturarum, et pagorum ſpectant. Obſervationes quidem paucae in hac quarta Parte occurrunt; neque tamen omnino, ubi neceſſarium, omiſſae. Bene merebitur Cl. *Gerkenius* de hiſtoria Brandenburgica, ſi, quae in tenebris deliteſcunt, pergat documenta in lucem proferre, atque etiam ipſe aliquas huius hiſtoriae particulas, ut ſpem fecit, ſibi explicandas ſumat. Nam etſi ea via, quam iniit Vir Cl. qui omne ſuae narrationi robur e documentis et ſcriptoribus coaevis arceſſit, difficilis eſt, aſpera, minimeque eorum ſcriptorum oculis grata, qui facilia, prona, promta et laevia malint: certa tamen eadem eſt, omniumque tutiſſima.

HEBRAICI SERMONIS ELEMENTA, CUM ILLIUS hiſtoria breviſſima: publici iuris fecit IO. GOTTFR. HAUPTMANN, ill. Ruth. dir.

 Ienae,

Ienae, 1760. plag. 19. in 8.

Opus per se tripartitum est. Complectitur enim tractationem generalem, historiam, elementa. Tractatio generalis habet tria capita. Primum agit de nomine, alterum de utilitate partimque necessitate sermonis Hebraici, tertium de praerogativis eiusdem ac laudibus. Illic ipsa vocabuli scriptio ratioque perquiritur. Scriptio per H quidem praefertur, sed ut liberum cuique maneat iudicium suum. Derivationes aliorum partim, non sine caussis additis, reiiciuntur; partim Heberum Selae filium quae nominat, eligitur: non quasi linguam is invenisset, sed quod eius in eandem insignia merita exstiterint. Sanctitas linguae conceditur talis quidem, quae cum *Bocharti*, *Grotii*, *Huetii*, *Clerici*, *Schultensii*, *Michaelis*, et aliorum mente, nequaquam pugnare videatur. Ad παρέργον de utilitate necessitateque, ne quis recentiorum offendatur, occasionem praebet *Leonardus Aretinus* Lib. IX. ep. 12. cuius argumenta tum ordine suo proponuntur, tum refutantur. Ad haec dolor significatur, de contemtu, similiter apud alios purioribus partibus addictos; non sine commoventibus, ad diversa facienda, caussis. Has inter haud ultimum locum merentur ipsae linguae praerogativae, in quibus inprimis simplicitas, brevitas, gratiosa suavitas, insignis gravitas, accuratio primaria, vel ad minutias usque, singula demonstrandi facilitas, neque tamen minus ipsa ubertas et copia, praedicantur. Historicam partem, omni linguarum et artium institutioni non minus utilem esse, quam adhuc desideratam, Auctor arbitratur. Hinc, eamdem adiectam, inter praerogativas libri sui numerat. Habet autem capita X. Primordium fit ab origine sermonis Hebraici, ubi, variis opinionibus enarratis, ad eorum quidem sententiam A. inclinat, qui primum faciunt Hebraeum: nihil tamen definit. Alterum caput primam aetatem Hebraicae linguae, Babylonicae turris ad constructionem extendit, qua quidem incrementa cepit

in

in dies, licet quae fuerint, extra res recens inventas, monimentis destituti, definire nequeamus. In medio similiter relinquitur, in quo linguarum Babylonae confusio constiterit; neque minus tamen linguarum inde diversitates, vel per ipsam dispersionem, deducuntur. Postea florens Hebraici sermonis aetas, in tres ambitus distinguitur, ante Mosen, ante reges, sub regibus, ad captivitatem usque Babylonicam; quorum singulis notabilia sua vindicantur. Simul observationes quaedam criticae, diversaque sentientium refutationes miscentur. Spectant eo comparationes Aegyptiacae captivitatis cum Babylonica, puritatis fontium, et quadratarum litterarum, prae Samaritanis, antiquitatis vindiciae, cum aliis. Caput IV. *παρακμὴν* Hebraicae linguae sistit, in minorem et maiorem corruptionem, ad vastationem usque Romanam, distinctam. Sequens caput est de maximo Hebraicae linguae detrimento, deque dialecto, quam *Rabbinicam* dicunt, inde nato. Iunguntur hic etiam, occasionibus detrimenti, nimius amor philosophiae Graecae, Cabbalaeque; vexationes Iudaeorum Palaestinorum, ab Antonini morte; simulque primarii magistri Iudaeorum, eorumque labores, per universam aetatem mediam, una cum illius temporis fatis, nominantur. Caput VI. fata recentiora sermonis Hebraici persequitur, a reparatione litterarum elegantiorum, ad nostrum usque tempus. Partitim hic subinde versatur Auctor, neque modo patriam, ubi *Io. Wesselum* et *Io. Reuchlinum* inter primos nominat; sed et reliquas Europae partes contingit, primariorumque doctorum merita, deque iis scriptores, enarrat. Addit Arabicam linguam, germanam Hebraicae sororem. Memorat aeque *Neumannum* et *Hutchinsonum*, novam docendi rationem stabilire laborantes. Denique nec hostes omittit, piaque vota repetit, cum sequentis ardoris concitatione. Fulciunt eandem, Capite VII. principes aliaeque illustres personae, linguam Hebraicam edoctae, propagantes, ac foventes. His annectuntur Cap. VIII. collegia linguam Hebraicam iuvantia, non sine consilio

de ſocietate, ſacris interpretationibus ſalutari, condenda. Penultimum caput dialectos Hebraicae linguae: poſtremum filias, iterum non ſine diſtinctione legitima, perſequitur. Agmen claudit indicium breve librorum hiſtoriam linguae ſpectantium, quorum primarius Cel. *Michaelis* latet adhuc in promiſſis; et multo copioſior appendix, ultra CCXXV. grammaticorum ſacrae linguae librorum, quorum auctores, ad ordinem litterarum, referuntur, vita partim tangitur, et, ubi fuſius illuſtretur, ſcripta nominantur. Ipſa elementa generali grammaticae *Hauptmannianae*, quae vero lucem nondum vidit, innituntur; ſic autem, ut iis nihil deroget, alterum librum nondum impenſas facientem reperiſſe. Capitum ſive recitationum ſunt XXXII. quas hic vel indicabimus. Hoc autem ordine ſunt: I. de litteris, atque numeris Hebraeorum generatim; II. de variis litterarum diviſionibus et momentis; III. de punctis vocalibus; IV. de reliquis punctis et adfectionibus litterarum; V. de ſyllabis et vocabulis generatim; VI. de accentibus vulgo dictis; VII. de accentus ſede mutationeque; VIII. de vocalium punctorum mutatione generatim; IX. de notatione; X. de nomine; XI. de mutatione punctorum vocalium in nomine; XII. de pronominibus ſeparatis; XIII. de pronominibus nomini ſuffixis; XIV. de verbo generatim; XV. de formatione temporum et perſonarum, in verbis, maxime perfectis; XVI. de mutatione litterarum et punctorum, in verbis perfectis; XVII. verbi perfecti παράδειγμα; XVIII. de verbis imperfectis, commutantibus, vel duarum litterarum generatim; XIX. de forma פ"ן; XX. de formis פ"א et ל"א; XXI. de forma פ"י; XXII. de formis ע"ו et ע"י; XXIII. de forma ע"ע, ſeu litteram poſteriorem duplicante; XXIV. de forma ל"ה; XXV. de adfixis verborum; XXVI. de particulis generatim; XXVII. de particularum adfixis, et aliis eo ſingulatim pertinentibus; XXVIII. de figuris ad notationem ſpectantibus; XXIX. de vocabulorum ἀναλύσει, ſive reſolutione; XXX. de proprietatibus compoſitionis vocabulorum; XXXI. de omiſſione vocabu-

lorum,

lorum, et XXXII. de abundantia vocabulorum ἐμφατικῇ. Studio totum indicem ordine suo posuimus, ut adpareat inde, quid praestitum fuerit. Nexus capitum passim exhibetur. In verbis imperfectis duplex demonstrandi via reperitur, communis et tertiae litterae supplendae, quatenus ostenditur, naturae viam, in addendo componendoque versatae, videri meliorem. Hoc fine, non raro linguarum aliarum consensio suppeditatur. Ceterum, unumquodque caput in minora membra separatur; hisque semper primarii Scriptores, et insignia sacri codicis loca, subiiciuntur. Non autem modo recentissimi quilibet, sed vel magis, unde forsitan hauserunt alii, fontes indicantur. Finem denique faciunt tres indices, summorum capitum, auctorum, rerum. In litteris animo facilius imprimendis, non semper accuratius operas cepisse mentem Auctoris, actutum patebit; dum II, 5. litteras Germanorum, ut imprimi solent, addiderunt, ubi scripturam ille satis expresse respexit. Earundem vitio, inter ipsas litteras, Kaph pro Koph esse positum, vel iuxta positum Hebraicum nomen ostendet.

Johann Jacksons Chronologische Alterthümer rc.

i. e:

IOANNIS IACKSONI ANTIQUITATES CHRONOLOGICAE antiquissimorum regnorum, inde ab initio mundi per 5000. annos deductae; — ex Anglico in vernaculum sermonem translatae a CHRIST. ERNESTO DE WINDHEIM, Philos. Profess. Erlangensi.

Norimbergae, apud Ge. Petr. Monath. 1756. Alph. 5. plag. 7. in 4to.

Quod saepius optabamus, ut ii libri, e quibus, ob multiplicem et variam verae et accuratae, qua efflorescunt, eruditionis copiam, plurimum utilitatis percipi

cipi poſſet, et quorum lectione aegre viri docti carerent, communi eruditorum ſermone, id eſt Latino, ſcriberentur, omnibusque limpidos illos fontes, qui totam rempublicam litterariam eleganti doctrina irrigare deberent, adire liceret; idem etiam, huius libri praeſtantia perſpecta, nobis in mentem venit. Nam, ſive laborem et operam ſpectes, quam Vir doctiſſimus in componendo hoc opere collocavit, per quindecim annos optimorum chronologorum libris excuſſis, inter ſe comparatis, atque excerptis; ſive eruditionem toto in libro eminentem conſideres: quanta ubique antiquitatis cognitio apparet! quo acumine obſcurarum et involutarum rerum intelligentia explicatur! quot loca omnis generis omnisque aetatis Scriptorum explicantur et illuſtrantur! quot errores Scaligeri, Petavii, Uſſerii, Marshami, aliorum, corriguntur! quot difficultates, quibus impedita olim antiquiſſimorum temporum hiſtoria, e medio tolluntur! Hoc profecto e libro, tanquam ex opimis et pinguibus paſcuis, colligere poterunt harum litterarum ſtudioſi, quae ad ſaturandos explendosque doctrinae copiis animos pertinent. Quoniam igitur, id quod iucundiſſimum nobis fuit, a Cl. *Windhemio* verſionem praeclari operis accepimus, lubentiſſime illius argumentum indicabimus. Sed cum totus liber nobis exſcribendus eſſet, ſi Syſtema chronologicum (ut aiunt), Viri Cl. exponere vellemus, praecipua tantum delibabimus, et ſumma, ut ille ait, ſequemur veſtigia rerum. Propoſuit ſibi vero Noſter, chronologiam biblicam, cum chronologia aliarum nationum, ut Aegyptiorum, Pelasgorum, Sinenſium, Phoenicum, reliquorum, ita inter ſe coniungere atque conciliare, ut illa, quae toto coelo ab hac diverſa disiunctaque eſſe videatur, cum eadem amice conſpiret: vetuſtiſſimorum ſcriptorum loca inter ſe comparare, quaſi in ordinem redigere, eorumque conſenſum tam cum natura, quam cum chronologiae veritate, demonſtrare. Arduum profecto opus, quod multi aggreſſi, nemo perfecit! Deſcripſit librum A. ſuum in partes *tres*, quarum *prima* ſequentia habet capita:

capita: I. de Chronologia et antiquitatibus Hebraeorum: II. de Samaritano textu bibliorum, et tempore quo litterae Hebraicae cum Samaritanis commutatae: III. de Chronologia Iosephi: IV. de genealogia Patriarcharum inde ab Abrahamo usque ad Mosen: V. de spatio temporis, quod ab Israelitarum ex Aegypto discessu, usque ad aedificationem templi, quarto imperii Salomonis anno factam, effluxit: VI. de serie regum Iudae et Israelis, ab aedificato templo usque ad incendium urbis et templi per Nebucadnezarem: VII. de Chronologia et antiquitatibus Babyloniorum, sive Chaldaeorum: VIII. de aera Nabonasaris, et canone Astronomico Ptolemaei: IX. de fluvio Aegypti: X. de tempore, quo versio LXX viralis elaborata sit: XI. de regibus Tyri, ab Abibalo usque ad Pigmaleonem. Hinc nunc potiora delibabimus. Maxime id operam dat Cl. *Iackson*, ut Hebraicum textum corruptam, versionem vero LXX. viralem veram chronologiam tradere, ostendat. Si Masoreticus textus verus, integer, et incorruptus est, omnium, ait; aliarum nationum chronologia falsa, et antiquissima historia mera fabula sit necesse est. Nullo modo ille cum chronologia Aegyptiorum, Chaldaeorum, Assyriorum, conciliari potest: chronologia, quam nunc habemus, Hebraica, secundo demum seculo aerae Christianae nata est: neque ante haec tempora, illa vel Iudaicis, vel Graecis historicis, nota fuit. Versio LXX viralis a Iudaeis e codice Hebraico, eoque omnibus, quos novimus, codicibus vetustiori, composita est: haec in Synagogis, tanquam vera et incorrupta versio, publice fuit recitata: nemo de illius auctoritate et integritate, per 400. annorum seriem, sive usque ad Seculum II. dubitavit. Eadem chronologia duorum Graecorum scriptorum, Demetrii et Eupolemi, testimoniis confirmatur: quorum hic circiter A. 174. ante aeram Christianam, sive A. 112. post elaboratam illam versionem; ille ante Christum A. 222. sive A. 64. post natales Graecae versionis, vixit. Neque solum hi, sed Iosephus quoque, cum chronologia

τῶν LXX. convenit: chronologia igitur versionis Graecae tempore Iosephi, et aliquot seculis ante, aetate Ptolemaei Philadelphi, chronologia Hebraica fuit, et cum hodie illa eadem sit, incorrupta et Mosaica existimanda est. Atque hanc suam sententiam Vir Cl. quae quasi fundamentum totius ab eo exstructi aedificii est, multis exemplis suffulcit. Sic in enumeratione annorum, a creatione usque ad diluvium, magna est differentia. Textus Hebraicus annos 1656. et Samaritanus 1307. versio τῶν LXX. 2262. et Iosephus 2256. enumerat. Est igitur inter Hebraicum textum et Iosephum differentia 600. annorum. Hunc ultimum numeros recte subduxisse Noster contendit, Iudaeos vero Hebraicum textum corrupisse dicit, tum ut chronologiam de adventu Christi turbarent, tum ut de auctoritate, quam Christiani versioni τῶν LXX. tribuerunt, detraherent. Atque etiam multo facilius Iudaeos ob auctoritatem Synedrii, cui tota natio subiecta, Hebraicum textum, quem pauci Christiani intellexissent, mutare potuisse, quam Christianos Graeca apographa. Hos per omnes Romanae ditionis Graecas provincias fuisse dispersos, atque varietate lectionum in variis codicibus hanc mutationem facile apparituram fuisse: Graecos Iudaeos, non secus ac Christianos, Graecis apographis usos fuisse, atque eiusmodi aliquid si observassent non fuisse tacituros, etc. Nimis enim longum esset, omnia haec repetere. Sed unum, idque maxime illustre exemplum, quo Auctor ad suam sententiam confirmandam utitur, paullo copiosius afferemus. In Genealogia Patriarcharum, a diluvio usque ad nativitatem Abrahami (*Genes. XI.*), in Samaritano atque Hebraico textu Cainan omittitur, qui tamen in versione τῶν LXX. legitur, atque inde 130. annorum differentia enascitur. Iam Cainanem in Hebraico textu, e quo Graeca versio derivata, fuisse Noster ita probat. Primum confirmat hoc Demetrius, qui circiter A. 220. a C. n. vixit, cuius ex historia regum Iudaicorum, apud Euseb. *Praep. Evang.* IX, 21. apparet, illum a Cainane usque ad nativitatem Salae annos 130. numerasse.

raſſe. Idem etiam apparet ex conſenſu Eupolemi cum Demetrio, cuius Clemens Alexandrinus mentionem facit. Horum teſtimonia eo maioris aeſtimanda ſunt, quo minus intelligi poteſt; quomodo tam exiguo temporis ſpatio, a verſionis elaboratione usque ad Demetrii aetatem, tanta differentia inter Graeca et Hebraica exempla inveniri potuerit, quae, e priſcorum Iudaeorum teſtimonio, tempore, quo verſio Graeca elaborata, optime conſenſerunt. Notandus praecipue eſt locus Philonis *de vita Moſ.* L. II. pag. 658 — 660. Occurrit porro Cainan in genealogia apud Lucam III, 36. Omnes codices in hac lectione conſentiunt, unum ſi codicem Bezae excipias, qui nunc in bibliotheca Cantabrigienſi aſſervatur. Sed Cainanem in textu Evangeliſtae fuiſſe inde liquet, quoniam, ut reliqui Novi Teſt. ſcriptores, ſemper verſionem τῶν LXX. adhibuit. Iam cum, ut ex Demetrii et Eupolemi teſtimoniis apparet, Cainan annis 250. prius, quam Lucas Evangelium ſcripſit, in Graeca verſione fuit, idem nomen a Luca ut legeretur neceſſe fuit. Porro hic probe noſſe debuit, an convenirent genealogiae τῶν LXX. cum Hebraicis, et an Cainan ab his commemoraretur. Ni in textu Hebraico omiſſus fuiſſet, ſi hoc in loco corruptam verſionis Graecae lectionem eſſe vidiſſet, nunquam profecto illum in genealogiae ſerie poſuiſſet. Neque ulla inveniri cauſa poteſt, cur Cainanis nomen in verſione Graeca effictum et additum ſit, cum, ut deinde videbimus, cauſa poſſit afferri, cur in Hebraico textu omiſſum. Cainanem etiam in Genealogia poſt diluvium fuiſſe, probant Beroſus, et Eupolemus. Hi Abrahamum μετὰ τὸν κατακλυσμὸν δεκάτῃ γενεᾷ vixiſſe ſcribunt. Sed ſi Cainanem omittas, non niſi novem generationes inveniuntur. Verba Ioſephi, (*Antiqu. Iud. I, 6.*) Abrahamum eſſe decimum a Noa ita explicanda ſunt: eſſe illum decimum ex iis, qui poſt diluvium e Noa prognati. Atque ita ipſe Ioſephus paullo poſt ſua verba explicat, ubi Beroſi teſtimonium advocat. Nam ea de cauſa illud advocet neceſſe eſt, ut textus S.S.

veritatem confirmet: alias teſtimonium ſibi ipſi contrarium laudaſſet. Noſtro probabile videtur, Ioſephum Cainanem in textu Hebraico nondum corrupto inveniſſe, atque numeraſſe: fortaſſe autem illos, qui tot in locis Ioſephum mutilaſſent, ut conſenſum cum Hebraica Chronologia efficerent, nomen Cainanis expunxiſſe. Porro oſtenditur, Africanum in ſuo codice Cainanem legiſſe: Origenem, licet Obeliſco adnotet, Cainanem non in Hebraico textu fuiſſe, tamen annos hoſce 130. numeraſſe videri: denique Moſem Choronenſem, et Epiphanium, in ſuis codicibus Cainanem inveniſſe. Ex hiſce apparere dicit Auctor, Cainanem initio in Hebraico textu fuiſſe, et inde a τοῖς LXX. ſumtum, eiusque nomen in omnibus Graecis et Hebraicis apographis, usque ad aeram Chriſtianam, usque ad Ioſephum, et finem Seculi I. lectum. Sed inde a Seculo II. magnae mutationes in Hebraicis apographis, recentioribusque Graecis verſionibus, inveniuntur. Quare Iudaei et Samaritani nomen Cainanis expunxerint, certo definiri nequit: forte tamen ideo hoc fecerunt, quoniam idem hoc nomen eſſe putaverunt ac nomen Canaanis, maledicti filii Hami; atque genus Semi, e quo originem ducebat, homine tam turpis nominis deturpari exiſtimaverunt. Pari modo impium regem, Iehoiakim, adeo deteſtati ſunt, ut illius nomen pronunciare nollent. Sed antiqui Iudaei atque Chriſtiani agnoverunt Cainanem. Nam hi populos 72. tanquam progeniem filiorum Noae numerant, atque in verſione τῶν LXX. nomina 72. leguntur; cum contra ii Iudaei, qui ſerius vixerunt, et Cainanem atque Eliſam, filium Iapheti, omittunt, tantummodo 70. populos numerent. Verum haec hactenus. Neque tamen hoc unicum eſt exemplum, quo Vir Cl. ad corroborandam ſuam de Hebraici textus corruptione ſententiam utitur. Longe plura allata ſunt, eaque non minoris momenti, nec minori acumine propoſita. Forte multis diſputationes *Iackſonianas* legentibus idem accidet, quod ſibi Cicero librum Platonis de animo legenti evenire narrat. Dum legent, aſſen-

aſſentientur; libro autem de manibus depoſito, aſſenſio, niſi elabatur, certe diminuetur. Sed ad alia tranſeamus. Quod ad tempus attinet, quo mundus creatus, multis probat, vernale aequinoctium illud fuiſſe, atque primos parentes medio Martio, A. 5426. ante aeram Chriſtianam, creatos eſſe. Originem oſſium, teſtarum, et exuviarum piſcium, quae in montibus ſaepe inveniantur, a diluvio repetendam eſſe negat; ſed potius e natura Chaos, e quo mundus creatus, explicandam. Chaos rudem, indigeſtam, et liquidam maſſam, magna certe ex parte aqua tectam, fuiſſe: hac aqua exaltatione terrae ſeparata, oſſa et teſtas piſcium, antea cum chaotica materia mixta et coniunctas, tum reſolutas, relictas in cacuminibus montium, et petrefactas fuiſſe. — Templum Salomonis A. 579. poſt diſceſſum Iſraelitarum ex Aegypto, anno mundi 4412. et ante Chriſtian. aeram 1014. aedificari coepit. Atque haec ratio maxime confirmatur loco Paulli in Act. Apoſt. XIII, 17—21. — Primus Chaldaeorum rex, Alorus, veriſimiliter ille eſt, qui in S. S. Tubalkain appellatur. In vetuſto Aegyptiaco Chronico, ap. *Syncell. Chron. pag.* 51. deorum et regum dynaſtiae ante diluvium commemorantur, et Aurites dicuntur. Hoc nomen a primario Aegyptiorum deo, Vulcano, acceperunt. Vulcanus a Phoenicibus, qui hunc deum ab Aegyptiis mutuaverant, Chryſor appellatus eſt, ut ex Sanchoniathone conſtat; et Philo, qui hiſtoriam Sanchoniathonis ex Phoenicio in Graecum ſermonem tranſtulit, eundem eſſe putat Chryſorem ac Hephaeſtum, ſive Vulcanum. Bochartus docet, חרש־אור artificem ignis indicare: τὸ Aurites derivatum eſt ex *Aur* ſive *Or*, quod Phoenicibus ignis eſt: apparet igitur, cur Aegyptiaci Aurites ita a Vulcano denominati ſint, cuius in lingua Phoenicum nomen *Chrys-Or* ſive Chrys-Aur fuit. Bene obſervavit Perizonius, nomen Alori fuiſſe אל אור, (deus ignis). Hinc liquet, Alorum et Chryſorum (Vulcanum) eundem fuiſſe, et hanc denominationem bene Thubalkaino convenire, cuius nomen Thubal tabulam ae-

neam ſive ferream indicat, et cui a Moſe inventio artis metalla liquefaciendi tribuitur. Cum igitur Sanchoniathon Chryſorem eundem cum Thubalkaino eſſe putat, eundemque dicat una cum fratre ſuo ferri uſum inveniſſe, Alorus, qui idem eſt ac Chryſor (Vulcanus,) nullus alius ſit neceſſe eſt, quam Thubalkain. Verbum Vulcanus videtur ex illo Thubalkain ortum, et Sanchoniathon eundem Chryſori ab Adamo gradum tribuit, quem Moſes Thubalkaino. Eadem eſt horum nominum origo, eademque vis: nomina igitur Alorus, Chryſor, Thubalkain, unicam tantummodo indicant perſonam. — Interpretatur porro Vir Cl. locum notabilem *Ion. III,* 4. ubi, etſi in Hebraico textu quadraginta dies commemorantur, quibus elapſis Ionas Niniven interituram eſſe praedicit, Graeca tamen exempla habent *ἡμέρας τρεῖς*. Conſentit cum hac lectione verſio Arabica, atque etiam Ioſephus (*Antiqu. Iud.* IX, 10.) Ionam ſcribit dixiſſe, *μετ᾽ ὀλίγον πάνυ χρόνον* urbi interitum imminere. Ioſephus igitur in ſuo Hebraico apographo nullum dierum numerum invenit, atque exiguum temporis ſpatium interpretatus eſt. Hoc melius cum lectione *τῶν* LXX. quam cum lectione Hebraici textus convenit. Atque lectioni *τῶν* LXX. ipſa orationis ſeries favet. Nam Ionas usque ad illud tempus in urbe remanſit, quo interitum urbis adventurum eſſe dixerat: hoc tempore, neque homines, neque beſtiae, aliquid cibi potusque ceperunt; non igitur hoc ieiunium duorum dierum ſpatium exceſſiſſe credibile eſt. Itaque in incorrupto Hebraico textu, aut nullus dierum numerus expreſſus fuit, ſed a *τοῖς* LXX. per tres dies explicatus, et a Iudaeis in quadraginta dies mutatus eſt; aut, ſi numerus fuit commemoratus, probabilius eſt, illum trium quam quadraginta dierum fuiſſe. Origenes quidem in ſuo exemplo Graecae verſionis lectionem invenit, nam ſaepius illius mentionem facit, ut *Homil. I. in Ierem.* pag. 53. et *Homil. XVIII.* pag. 182. ſed Hebraicus textus in Hexaplis habuit quadraginta dies. Iuſtinus etiam Martyr tres dies commemorat.

Quor-

Quorsum haec a Viro Cl. disputata sint, facile intelligitur. — Historia libri Iudith, Nostro, tempora Iosiae, et A. 625. ante Christum attingere, atque Iudith anno secundo Cyaxaris Iudaeos ab Assyriis in libertatem vindicasse, videtur. Cappelli quidem contra veritatem huius libri obiectionibus non multum A. tribuit, sed ipse etiam sibi in *Cap. XVI,* 23. 25. non levem errorem invenisse videtur. Nam quod ibi narratur, Iudith annos 105. vixisse, et neminem postea, neque ea vivente, neque diu post obitum illius, populo Israelitico molestum fuisse, nullo modo cum historia Iudaeorum conciliari potest. Nam quoniam Iudith, pulchritudine faciei Holofernem allicienti, vix maior, quam triginta annorum, aetas tribuenda est, illa, si adhuc annos 75. posthac vixerit, ea necesse est tempora vivendo attigerit, quibus ruina urbis, et templi eversio, et totius populi captivitas, sub imperio Nebucadnezaris accidit. — — Fluvium Aegypti eundem esse demonstrat fluvium, ac Sihor, idque ex *Ios. XIII,* 3. 1 *Chron. XIV,* 5. 1 *Reg. VIII,* 65. 2 *Chron. VII,* 8. ostendit, et Nilum Sihor appellari docet ex *Ierem. II,* 18. atque ideo fluvium Aegypti nullum esse alium, quam Nilum, efficit. — Versio LXX. viralis Nostro A. 206. a. C. vivo adhuc Ptolemaeo Sotere, atque una cum filio suo imperante, elaborata esse videtur. — Fuga Didonis, et Carthaginis sive Byrsae aedificatio et prima initia, ab Auctore ad A. 890. sive 891. a. C. referuntur. Sed ad *alteram* partem properamus. Summa rerum capita haec sunt: I. de annis, aeris, et chronologia veterum: II. de antiquitatibus et chronologia Aegyptiorum: III. de aetate Homeri et Hesiodi: IV. de Aegypto atque Mene, primo Aegypti rege: V. de sede regum Mediae atque inferioris Aegypti: VI. de Phoeniciis sive Cananiticis regibus pastorum (Hycsos) in Aegypto, apud *Iosephum*, L. I. c. Apion. VII. de obeliscis Aegypti: VIII. de figuris Hieroglyphicis: IX. de Labyrintho: X. de lacu Maeride: XI. de saxea Memnonis effigie: XII. de mausoleo Osymandis: XIII. de antiqui-

tatibus

tatibus et chronologia Sinensium. Maxime illud Vir Cl. operam dat, ut verum Dynastarum Aegypti ordinem ostendat, atque solum Apollodorum Syncellum sibi in his tenebris lucem accendisse profitetur.. Hanc Chronologiam, addit, cum vero Hebraico textu optime convenire, eandemque minime a Thebana discrepare, atque ideo nullo modo de vero ordine Dynastiarum Manethonis dubitandum esse. Hasce etiam Manethonis Dynastias reliquias antiquitatis pretiosissimas appellat. Deinde copiose probat, antiquissimis temporibus ubique terrarum annum solarem 360. dierum, neque uspiam annum ab hoc diversum lunarem fuisse. Porro de Hermete exponit; et cum duo sint hoc nomine insigniti, eos a se accurate distinguit. Alterum Hermetem non solum inscriptiones a priori in lapidibus insculptas descripsisse, sed suorum quoque temporum historiam adiecisse, mythologiam et rem litterariam Aegyptiorum emendasse, suaque inventa in columnis insculpsisse. Haec ab aliis in libros esse translata, Aegyptiosque omnem suam doctrinam, ut eo maiorem illi conciliarent auctoritatem, Hermeti tribuisse; atque inde explicari debere, quomodo Manetho dicere possit, se omnem historiam e libris Hermetis hausisse. — Homerum atque Hesiodum aequales fuisse, licet Homerus prius carmina scripserit, et A. 910—920. sive paucis annis ante, a. C. vixisse. — Initia templi atque oraculi Iovis Ammonis, Thebis erecti, circa A. 2230. a. C. ponenda esse. — Menem nullum esse alium, quam Osiridem Aegyptiorum. Primum enim Diodorum Siculum et Plutarchum commemorare, verbum Osiris in lingua Aegyptiaca idem significasse, quod Helius, solis nomen. Eandem vero esse vim verbi Menes. Tempora quoque imperii Menis et Osiridis inter se convenire. Diodorum enim scribere, se ab Aegyptiacis sacerdotibus accepisse, a temporibus Osiridis et Isidis usque ad Alexandrum M. prope 23000. a. effluxisse; eundemque narrare, idem ab iisdem spatium ab imperio Helii usque ad Alexandrum numerari: Osirin vero et Helium

lium unum eundemque eſſe regem. Porro e Pauſania conſtare, Graecos Menem et Dionyſium pro iisdem habuiſſe; atque ex Herodoto, Plutarcho, Diodoro apparere, Oſiridem etiam Dionyſium appellatum fuiſſe. Plutarchum narrare, Typhonem interfeciſſe Oſiridem, prope Tanin: unde ſequatur, hanc regionem Oſiridis tempore iam ſiccatam incoli potuiſſe, et Tanin fuiſſe iam aedificatam: nullum vero alium, quam Menem, Tanin exſtruxiſſe. Confirmare hanc etiam ſententiam cultum Apis, ſigni Oſiridis, et Mnevis, ſigni Helii. Memphi Oſiridem Apin, Heliopoli Helium, ſive Men, fuiſſe appellatum. Denique, quae memoriae prodita ſint de rebus geſtis Oſiridis et Menis, ſibi maxime favere. Utrumque imperaſſe multis annis poſt diſperſionem hominum: utrumque Iove Ammone prognatum, et Hermete conſiliario uſum eſſe: Menem primum agreſte vivendi genus ad mitius deduxiſſe, atque pro herbis et radicibus panem inveniſſe: Oſiridem homines ſeminare, vineas colere, et vinum bibere docuiſſe: Menem primum cultum deorum in templis, et ſacrificia, inſtituiſſe: Oſiridem templa aedificaſſe, et ſacerdotes conſtituiſſe, etc. — Reges mediae et inferioris Aegypti Memphi, ſuperioris Thebis ſedem habuiſſe; in aliis urbibus Nomarchas, Thebanis et Memphiticis regibus ſubiectos, habitaſſe. Eos igitur errare, qui Zoan ſive Tanin regiam ſedem dicant. — Iudaeos textum Hebraicum corrupiſſe, ubi legatur, populum Iſraeliticum 430. annos in Aegypto habitaſſe. Certiſſimum eſſe, eos non diutius, quam annos 215. ſive 218. ibi verſatos eſſe. — Buſiridis aetatem ex Iſocrate et Apollodoro intelligi poſſe. Hoſce illum filium Neptuni et Lybiae, filiae Epaphi, appellare: Epaphum A. 1640. a. C. Lybiam A. 1610. a. C. natam eſſe: Buſiridem igitur A. 1590. a. C. in lucem editum, et A. 1560. a. C. imperio potitum eſſe, igitur aequalem Atlantis, Promethei, et Epimethei fuiſſe. — In obeliſcis Theologiam et Philoſophiam, nunquam vero hiſtoriam Aegyptiorum, fuiſſe inſculptam. Quid autem de

memorabili loco Taciti, *Ann. II.* 60. dicas, ubi res geſtas Rhamſis ſive Seſoſtris, in obeliſcis Thebanis inſculptas fuiſſe, ex ipſorum ſacerdotum Aegyptiacorum ore narratur? Duplici modo Cl. *Iackſonus* ad haec reſpondet. Neque licuit ſacerdotibus, cuiquam, niſi myſteriis religionis initiato, arcana ſuae Theologiae, obeliſcis inſcripta, enarrare, neque voluntati Germanici, interpretationem hanc audire cupientis, repugnare. Nonne igitur probabile ſit, illos veram interpretationem reticuiſſe, et, ne omnino nihil dicerent, aut dicto inobedientes eſſent, res geſtas Seſoſtris commemoraſſe? Sed ille obeliſcus potius ſepulchro Seſoſtris impoſitus fuiſſe, et hiſtoriam illius, Aegyptiaco ſermone traditam, prae ſe tuliſſe videtur. Iuſſit Germanicus ſacerdotes *patrium ſermonem* et *litteras* interpretari: hinc vulgares litteras, vulgaremque ſermonem, nullas hieroglyphicas figuras, in illo obeliſco ſcriptas fuiſſe liquet. Haſce enim quis non imagines potius, quam ſermonem et litteras dixiſſet? Quae porro ſacerdotes Germanico commemorant, optime conveniunt cum hiſtoria Seſoſtris, ab Herodoto, Strabone, Diodoro tradita. Idem hic Diodorus Siculus memoriae prodidit, Seſoſtrin, quem Seſooſin appellat, Thebis duo obeliſcos erexiſſe, quibus magnitudinem imperii, multitudinemque populorum bello a ſe victorum, inſcripſerit. Horum obeliſcorum forte unus fuit, cuius inſcriptiones ſacerdotes interpretati ſunt. Illos enim columnas ſepulchrales fuiſſe, e Strabone coniici poteſt. Hic, Thebanorum regum prope templum Memnonis ſepulchra commemorans, ibi addit obeliſcos poſitos fuiſſe, in quibus recenſio divitiarum et magnitudinis aliquot regum, quorum imperium usque ad Scythiam, Bactriam, et Indiam extenderetur, ſimilisque recenſio tributi ipſis ſoluti, et magni exercitus legeretur. Haec cum inſcriptionibus bene conveniunt, quarum Diodorus et Tacitus mentionem faciunt. Illae inſcriptiones, quas Ammianus Marcellinus e libro Hermapionis repetiit, inſcriptiones Noſtro videntur quae in honorem Seſoſtris columnis portarum templi

templi Heliopoleos, quod Sesostris post reditum e bello exstruxerat, insculptae sint. Neque igitur has inscriptiones obelisco alicui Heliopoleos incisas fuisse; neque cum Kirchero illas, tanquam effictas, reiiciendas esse. Eundem temere Herodotum reprehendere, erogatam pro opera mercedem pyramidi inscriptam fuisse commemorantem. — Porro chronologia Pythagorae definitur, quam huc describere visum est:

Olymp.	*anno*	*a. C.*	
52	4	569	*Pythagoras natus est,*
58	2	547	*in Aegyptum pervenit.* Laert.
63	4	525	*postquam A. 22. in Aegypto commoratus erat, eo tempore, quo a Cambyse eadem oppugnatur, capitur, Babylonem mittitur, unde post A. 12. natus A. 56. et A. 514. a. C. Samos redit.* Jambl.
66	4	513	*Pythagoras, post obitum Pherecydis, natus A. 57. Italiam petit.* Gell. Porphyr.
71	4	493	*natus A. 77. e Crotona Metapontum transit.* Justin.
75	2	479	*natus A. 90. in Metaponto obiit.* Jambl. Porphyr. Justin. alii.

Labyrinthum Vir Cl. arbitratur Maerin extruxisse, atque initio quidem suae sepulturae destinasse, sed illum deinceps usibus Nomorum mediae et inferioris Aegypti cessisse. Cretensem Labyrinthum non ad exemplum Aegyptiaci, sed ad exemplum alius, longe vetustioris Labyrinthi Cretensis, esformatum fuisse. — Lacum Maerin exundatione Nili extitisse, per vallem Baher-Bellomah effusi. Regem Maerin aggeres aliaque fecisse, ut inde lacus nomen acciperet. Quis hic Maeris fuerit, ex Herodoto elici posse. Hunc, ad illud tempus, quo in Aegypto versatus sit, sive ad A. 450. a. C. a morte Maeris nondum A. 900. effluxisse, commemorare; illum igitur circiter A. 1350. vel 1340. a. C. obiisse. Herodotum etiam successorem Maeris Sesostrin appellare. Iam in Dynastia decima octava regem decimum septimum, et pa-

trem Sesostris, Amenoph sive Menoph nominari, illumque obiisse A. 1338. a. C. Itaque hunc illum regem esse, qui apud Herodotum Maeris audiat. — Mausoleum, sive templum Thebanum Osymandis, cuius pulchra est descriptio apud Diodorum Siculum, L. I. Sesostrim post expeditionem Bactrianam circiter A. 1320. a. C. exstruxisse. Primum enim, neque ante, neque post Sesostrim, ullum Aegypti regem tot tantasque res gessisse, quot ibi depictae fuerint: nullum tantum exercitum habuisse, nullum ante hunc expeditionem in Asiam Scythicam fecisse. Sesostrin vero, sive Rhamsen, Scythas et Bactrios devicisse. In mausoleo quatuor regis filios effictos esse, qui in Bactriano bello quatuor turmis praefuerint. Herodoto teste, Sesostrin eo tempore quatuor filios habuisse, quos in expeditione secum duxerit, et quos artes belli docuerit. — Transimus ad partem *tertiam*. Huius capita haec sunt: I. de antiquitatibus et chronologia Phoenicum: II. de ortu et progressu idololatriae: III. de Titanibus: IV. de origine litterarum: V. de antiquitatibus Graecis et Italicis, atque de Pelasgis: VI. de vetustate litterarum: VII. de antiquissimis scribendi modis: VIII. de litteris Hebraicis: IX. de litteris Aegyptiorum, atque figuris hieroglyphicis: X. de mythologia Graecorum: XI. de origine et aera oraculorum: XII. de mysteriis: XIII. de mysteriis Persicis Mithrae: XIV. de regno Sicyone: XV. de initiis regni Pelasgici: XVI. de aetate Epaphi, Beli, Agenoris, Cadmi, aliorum: XVII. de expeditione Argonautica: XVIII. de expugnatione Troiae: XIX. de origine ludorum Olympicorum: XX. de Americanis: XXI. de regno Mexicano: XXII. de anno quo Herodotus historiam suam composuit. Haec breviter indicavimus, quae nunc paullo copiosius explicabimus. — Tyrum in insula sitam, eodem prope tempore, quo Sidonem, et ante aedificatam in continenti terra urbem Tyrum, cultam esse credit. Hanc urbem fortasse coloniam quandam ex insula advenientem aedificasse. — Historiam Sanchoniathonis vetustam, sed multis fabulis mixtam, collectionem esse antiquissimarum traditionum, a prima mundi origine, in annalibus templorum

Phoe-

Phoeniciorum asservatarum. Dodwelli argumenta, quibus hanc historiam suppositiam, et a Philone effictam esse, ostendere studeat, ne digna quidem esse quae refutentur. Esse hanc historiam insignem antiquitatis particulam, quae, licet et antiquitate et veritate historiae Mosaicae cedat, cum eadem tamen in multis, iisque magni momenti rebus, conveniat. Sanchoniathonem sive ipsum libros Mosis vidisse, sive a Gideone, aut Ierubbaale, aliquid de illis accepisse. — Nullum idololatriae genus prius post diluvium extitisse, quam aliquot annis post Noae et Semi obitum, et dispersionem posterorum Noae. Deos coelestes a mortuis hominibus, divino quos cultu et honore post obitum prosequebantur, nomen accepisse; et quoniam vulgus credidisset, animas regum praestantiumque virorum, quos deos putarent, in sole, luna, astris habitare, atque ibi coli, inde divinum cultum solis, lunae, et astrorum, sensim paullatimque originem traxisse. Causam, cur historia Graeca ab historia Phoenicum, Aegyptiorum, aliorumque, adeo discrepet, esse hanc: Graecos, deos suos, eorumque historiam, circa tempora Cecropis, sive A. 1550. a. C. demum ab Aegyptiis accepisse, sed nihilominus ad haec tempora illorum vitam retulisse, et inde historiam rerum gestarum, multis annis vetustiorem, numerasse. Graecos poetas et historicos, vitam Saturni et Iovis, aliorumque, ad eorum regum aetatem referre, qui eo tempore, quo istorum nomina Graecis audita, et quo illi dii quasi civitate in Graecia donati, vixissent. Hoc modo Graecos veram historiam cum fictis historiis heroum miscuisse, qui aliquot seculis serius floruissent, sed iisdem nominibus insigniti, iisdemque post mortem divinis honoribus fuissent ornati. Graecorum Iovi, Saturno, Herculi, reliquis, ea tributa esse, quae diis Phoenicum et Aegyptiorum, multis annis ante viventibus, tribuenda fuissent. — Hoc loco non pauca ab Auctore de Cabiris, Dioscuris, Corybantis et Curetibus, disputantur. — Quod ad historiam Titanum attinet, potissimum ea refutantur, quae *Pezronius* in *Antiquitatibus* de iis exposuit, et deinde tempora mysteriorum Cabiriorum definiuntur.

niuntur. Origo antiquissima eorum, procul dubio in Phoenicia, post mortem Saturni, annis 809. post diluvium et A. 2360. a. C. sive paullo post, collocanda est. Cabiraea mysteria Aegyptiorum, Memphi, post obitum Isidis, atque adeo A. 1004. post diluvium, et A. 2164. a. C. instituta sunt. Inde translata fuerunt a filiabus Danai A. 1486. vel 1485. a. C. Argos. — Valde probabile esse, primis temporibus genus quoddam litterarum, sive signorum, fuisse, aucto hominum numero: fuisse etiam scriptas quasdam de rebus primorum temporum historias, a Noa illiusque posteris adservatas, et Mosi traditas: ea vero, quae proprie litteras dicimus, signa, et ante diluvium, et ante dispersionem, ignota fuisse. Filium Misor, sive Misraim, Taaut, teste Sanchoniathone, paullo post dispersos homines litteras invenisse; atque hunc Taaut primum esse Aegyptiorum Hermetem sive Thoth, ex Phoenicia venientem, et cum colonia Mesritica Aegyptum occupantem. Hunc vixisse tempore dispersionis posterorum Noae, A. 531. post diluvium factae, atque non multum aberrare, qui inventionem hanc litterarum ad A. 550. post diluvium, sive A. 20. post dispersionem, id est A. 2619. a. C. referat. Alterum vero Thoth, sive Hermetem, ab illo non satis semper distinctum, linguam et litteras Aegyptiorum emendasse, et quasi canones quosdam Grammaticos constituisse. Non esse autem verisimile, Graecos ante Cadmi adventum nullas litteras habuisse; sed eos antiquissimis temporibus litteris Pelasgicis usos esse. — Ex S. S. apparere, Iavanem, filium Iapheti, filium procreasse Chittim sive Kittim; posteros vero Chittim Italiam incoluisse, liquere ex vaticinio Balaami, A. 1553. a. C. facto. Verba ex interpretatione Aegyptiaca haec sunt: *Et naves e regione Chittim venient, atque augent Assur et Eber* etc. Horum verborum, ex mente Nostri, nullus alius sensus est, quam, venturos esse Romanos cum legionibus suis, primum Assyrios, deinde Hebraeos debellaturos. Hoc enim in vaticinio Hierosolymitanam expugnationem indicari, perniciemque illi a Romanis imminentem. *Chetim* sive *Ketim* in lingua Arabica rem occultam indicare, atque inde intelligi, cur, qui primum Cetii sive Citii appellati sunt, deinde Latium regionem suam nominaverint. Romanos etiam Chittim audire apud *Dan. XI*, 30 Esse igitur primos partis Italiae incolas Chittim, ex Macedonia advenientes. Eodem fortasse tempore Umbros, Gallos, Tyrrhenos,

rhenos, et Ausones venisse, atque Italiam a quibusdam horum circiter A. 200. post dispersionem, sive A. 2439. a. C. cultam fuisse. — Pelasgos origine Phoenicas esse, suasque litteras, et sua mysteria, Thracium, multas in partes Graeciae, Peloponesum, et Italiam, multis annis ante Cecropis, Deucalionis, et Cadmi aetatem transtulisse. — Historia litterarum a Cl. *Iacksono* contexta, si breviter omnia complectamur, erit haec: Litterae in Phoenicia a Taaut, filio Misor, non diu admodum post dispersionem posterorum Noae, inventae sunt. Inde ab eodem Taaut in Aegyptum translatae, unde mox in Syriam, Arabiam, Chaldaeam, et Aethiopiam penetraverunt. Pelasgi, a Dioscuris, sive Cabiris, orti, eas primum ex Asia in insulas maris Aegei, Atticam, et Peloponesum transtulerunt. Sed, quantum constat, Pelasgi nunquam suam, quae erat Phoenicia, linguam, in Graeciam induxerunt. Posteri Iavanis et Tirae, Thraciam, aliasque Graeciae regiones, ut Macedoniam, Thessaliam, Achaiam, Boeotiam, Atticam, totamque regionem, olim Ioniam appellatam, ante adventum Pelasgorum incolentes, alia locuti sunt lingua, quam secum attulerant, atque haec fuit origine Graeca, a Iapheto orta. — Tempus, quo Iudaei vocales e medio vocum eiecissent, certo definiri non posse: verisimile quidem videri, hoc ante captivitatem decem tribuum accidisse; sed dubitari adhuc posse, an mediae vocales, tempore, quo versio τῶν LXX. facta, iam eiectae fuerint. Hanc vero vocalium omissionem adeo linguam Hebraicam perturbasse, ut nunquam illi pristinus ordo restitui possit. Nisi divina providentia nobis Graecam versionem, summa diligentia et fide eo tempore elaboratam, quo linguae Hebraicae usus vigebat, conservasset, summam fore V. T. obscuritatem. Hanc igitur non solum optimum, sed una cum antiqua latina versione unicum interpretem V. T. esse, et neminem sine illius auxilio veram lectionem, verumque verborum sensum, eruere et demonstrare posse. Nihil vero imbecillius et ineptius esse, quam, nulla Graecae versionis ratione habita, Hebraicum textum e lectione Masorethica interpretari velle. — Litteras hieroglyphicas et symbolicas, quibus libri sacerdotales exarati fuissent, antiquissimas, et a secundo Aegyptiorum Hermete inventas fuisse. — Posteros Iapheti, post dispersionem posterorum Noae in Graeciam venientes, non prius deorum cultum didicisse, quam postquam seculo nono post diluvium Pelasgi Phoenicii illos mysteria Cabirica docuissent. — Antiquissima oracula ab Osiride, sive Mene, Thebis et in Lybia, in honorem patris Iovis Ammonis instituta esse circa A. 1982. a. C. Litteras EI, Delphico templo inscriptas, nomen summi dei indicasse, et ex Phoenicio IE, contracto ex IEVE (יהוה) ortas esse. Antiquissimum enim nomen Apollinis fuisse Ἰήιος quod

Graeci

Graeci quidem ab ἰᾶσθαι, alii vero ab εἶναι derivassent, melius vero a Plutarcho per εἷς καὶ μόνος explicetur.— Mysteria Persica Mithrae, ex Aegypto Babylonem, et inde in Persiam translata esse: Mithram apud Persas, ut Osiridem apud Aegyptios, solem indicare: fuisse igitur procul dubio haec mysteria sacra Osiridis, qui Persarum Mithras.— Diluvium Ogygium vel ad A. 1771. a. C. sive nonum imperii Phoronei; vel ad A. 1761. a. C. s. ad A. 19. Phor. vel ad A. 1752. a. C. s. ad A. 28. Phor. referendum esse. Ultimum numerum proxime ad veritatem accedere.— Expeditionem Argonauticam optime ad A. 1225. a. C. referri; expugnationem vero Troiae ad finem A. 1184. a. C. aut ad initium A. 1183. a. C.— Herculem Thebanum, aliosque ante illius tempora, Olympiae ludos instituisse: ludos Herculis celeberrimos fuisse: posteris Herculis Peloponeso expulsis per A. 120. cessasse: eosdem a rege Aetoliae Oxylo renovatos esse. Duas esse aeras Olympiadum: primam ab Iphito incipere, alteram a Coroebi victoria. Hanc certo ad A. 776. a. C. referri posse; illam non accurate definiri. — Insulas maris Atlantici, et magnam terram Americam continentem, olim Phoenicibus, Carthaginiensibus, atque Aegyptiis et Graecis notas fuisse. Quoniam vero lege, cuius Aristoteles mentionem facit, a Carthaginiensibus sancitum fuisset, ne quis se eo conferret, inde fabulam ortam, insulam Oceano submersam esse. Phoenicas, Carthaginienses, et Tartaros Scythicos, praecipue videri Americam incolis auxisse: Mexicanos populum esse Sinensem, qui a Tartaris, Sinam ab A. a. C. 1260. usque ad A. 1279. expugnantibus, fugatus in Americam transiisset, se cum incolis regionis coniunxisset, circa A a. C. 1324. regnum erexisset, et a. C. 1381. Mexicum aedificasset.— In tempore definiendo, quo Herodotus historiam suam scripsit, Auctor Plinium sequitur, atque ideo ad a. V. C. 310. sive A. 444. a. C. illam refert.—

Atque haec quidem de Cl. *Iacksoni* opere dicta sunto. Facile intelligimus, non omnia omnibus Virum Cl. probaturum esse, praesertim quae de auctoritate versionis τῶν LXX. prae textu Masorethico disputat. Fatemur tamen, Auctorem in huius opinionis defensione certos sibi limites posuisse, minimeque illa vel ad necessitatem summi in terra ecclesiae praesidis ostendendam, vel ad auctoritatem divinorum oraculorum minuendam, abusum esse. Sed cum prope impium non paucis videatur, et reverentiae, quam Sacrae Scripturae debemus, contrarium, vel varias lectiones e codicibus bibliorum adnotare, et de iis iudicium ferre, quid tandem hi de *Iacksoniana* sententia dicent? Neque pauca nobis ipsis in mentem venerunt, quae contra sententiam, quam Vir Cl. de perpetuo Iosephi cum versione τῶν LXX. consensu tuetur, dici possent.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiae

Calendis Iunii Anno MDCCLX.

Pars II.

IACOBI DE RHOER FERIAE DAVENTRIENSES: sive Miscellaneorum Libri duo, in quibus multi veterum auctorum loci, tam sacrorum, quam profanorum, explicantur, vindicantur, vel emendantur. Accedit oratio ligata de pace Aquisgranensi, pro concione publice recitata.

Traiecti ad Rhenum, apud Paddenburgos, 1758. plag. 18. octon.

Elegantissimi huius libri Auctor varias, e divite suae eruditionis penu depromtas, observationes proposuit, iisque cum sacris, tum profanis Scriptoribus lucem affundere studuit. Delibavit multa iucunda ex historia atque antiquitatibus: plura poetarum loca vel emendavit, vel ab aliorum emendationibus vindicavit: dictionem denique Novi Testamenti e profanis Scriptoribus saepissime docte atque eleganter illustravit. Nam etsi certissimum sibi videri (pag. 8.) scribit, plures adhuc Hebraismos superesse, quam Vorstius aliique ostenderint; peculiare tamen hoc dicendi genus, addit pag. 150, saepissime cum verbis et sententiis aliorum conspirare. Inde in *Lib. I. cap.* 2. et *Lib. II. cap.* 2. Vir doctissimus multa e Novo Testamento verba, quae apud Lexicographos, inprimis H. Stephanum,

vel non inveniuntur, vel nude tantummodo citantur, nullius, nisi Christiani scriptoris, testimonio addito, recensuit, atque idonea Graecorum scriptorum auctoritate munivit. Eodem modo complures locutiones dicendique formulas similibus profanorum scriptorum illustrat. Multa etiam loca acutissime Vir Cl. interpretatur, novasque interpretationes plerumque adeo probabiles reddidit, ut, licet invitus, tamen vix eis assensum denegare possis. Ita e. c. in *Cap. XI. Matth. v.* 12. ἡ βασιλεία τῶν ȣρανῶν βιάζεται, καὶ βιαςαὶ ἁρπάζȣσιν αὐτήν: βιαςαὶ hi Nostro in *Lib. I. cap.* 4. videntur Pharisaei, ceterique regni Iudaici custodes et ministri. Nam cum inde a Ioannis Baptistae tempore novum regnum Messiae praedicari coepisset, Pharisaeos, aliosque, qui antiquum regnum curabant, et *Matth. VIII*, 12. υἱοὶ βασιλείας vocantur, nihil magis urebat, quam quod novum Nazareni regnum condi viderent. Inde sibi regni coelestis curam unice relinqui cupiebant, omnique elaborabant studio, ut sibi istud vindicarent. *Rapiebant* igitur *regnum*, quoniam illud non iure, sed vi, et temerario ausu, sibi vindicabant. Est enim Graecis ἁρπάζειν *usurpare*. Appianus *de bell. Syriac. pag.* 187. posteaquam Heliodorum εἰς τὴν ἀρχὴν βιαζόμενον eiectum esse dixerat, Antiochum addit Syria potitum, et Ἐπιφανὴς appellatum fuisse, ὅτι τῆς ἀρχῆς ἁρπαζομένης ὑπὸ ἀλλοτρίων βασιλεὺς οἰκεῖος ὤφθη. In *Lib. I. cap.* 8. id agit, ut verba *Marc. cap. III. v.* 21. καὶ ἀκούσαντες οἱ παρ' αὐτȣ̃ ἐξῆλθον κρατῆσαι αὐτόν· ἔλεγον γὰρ ὅτι ἐξέςη, ita, ut etiam Arabica versio habet, explicet: *exierunt ad eum sustentandum, quoniam illum deliquium pati dixerunt.* Verbi κρατῆσαι significationem adstruit e Dion. Halic. *L. IV. pag.* 241. ἀπῄει ξένων, κρατούντων καὶ παραπεμπόντων αὐτὸν ὀλίγων: alterius vero ἐξίςασθαι vim, multis, e Plutarcho inprimis in *Lycurg. pag.* 49. λέγεται γὰρ ἐξίςασθαι τὰ ἐπιληπτικὰ καὶ νοσώδη, locis probat. In *Lib. I. cap.* 24. explicantur verba Paulli ex *Ep. ad Galat. VI*, 16. καὶ ὅσοι τῷ κανόνι τȣ́τῳ ςοιχήσȣσιν. Κανόνα dicit Vir Cl. a Grae-

cis

cis eleganter de homine usurpari, quem, tanquam ducem normamque certissimam, sequimur. Sic praeter alios Dion. Halic. περὶ τ. Δημοσθ. δεινότ. *pag.* 188. ταύτης τῆς ἁρμονίας κράτιστος μὲν ἐγένετο κανὼν ὁ ποιητὴς Ὅμηρος. Forte non inepte huc etiam advocare potuisset *Cicer. L. XVI. epist.* 17. *qui κανὼν esse meorum scriptorum soles.* Eodem sensu Κανόνα hic a Paullo de Christo, de quo proxime ante locutus, adhiberi. Illum esse normam, atque κανόνα illum, quem sequi nos oporteat. Στοιχεῖν τούτῳ κανόνι itaque dici, uti alibi ad *Rom. IV,* 12. στοιχεῖν τοῖς ἴχνεσι. Est locus vexatissimus in *Epist.* Paulli 1 *Corinth. XV,* 29. ἐπεὶ τί ποιήσουσιν οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, εἰ ὅλως νεκροὶ οὐκ ἐγείρονται, de quo Cl. Heumannus septemdecim virorum doctorum sententias in *Poecile* collegit. Noster novam interpretationem, eamque acutissimam, proponit in *Lib. II. cap.* 15. Βαπτίζεσθαι, ait, proprie quidem est mergi, sed metaphorice dicitur de iis, qui aerumnis et laboribus quasi immerguntur et obruuntur. Sic apud Plutarchum est βαπτίζεσθαι πόνοις; et apud Platonem in *Eutyd.* ἔτι δὴ ἐπὶ τὸ τρίτον καταβαλῶν ὥσπερ πάλαισμα ὥρμα ὁ Εὐθύδημος τὸν νεανίσκον, καὶ ἐγὼ γνοὺς βαπτιζόμενον τὸ μειράκιον, βουλόμενος ἀναπαῦσαι αὐτὸν κ. λ. Neque Christus *Matth. XX,* 22. per τὸ βάπτισμα, ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι, aliud quidquam intelligit, quam adflictiones et aerumnas, quibus premeretur. Igitur τί ποιήσουσιν οἱ βαπτιζόμενοι est, *quare id facient illi, qui adfliguntur, vexantur?* Quid vero est βαπτίζεσθαι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν? Nempe, ὑπὲρ τίνος aliquid facere, passim Graecis is dicitur, qui aliquid facit pro aliquo ea de causa, ut utilitas inde in eum redundet. Sic πρεσβεύειν ὑπὲρ πατρίδος apud *Ael. V. H. I,* 21. et saepius. Νεκροὶ sunt cadavera, ut interpretes ad *vers.* 15. *h. c.* ostendunt. Est igitur sensus locutionis hic: *calamitatibus et aerumnis adfligi pro causa mortuorum, cadaverum;* quasi dicatur: quis pro cadaveribus tot tantasque calamitates ferret, si in universum ea non resurgant? nisi hanc eorum nosset esse conditionem,

ut in vitam redeant. Christiani stultissimi essent mortalium, tot tantaque qui pro cadavere paterentur, nisi suorum cadaverum resurrectionem scirent. Hoc iam in superioribus dixerat, et statim pergit: *cur etiam nos periclitamur omni momento?* etc. Hactenus de primo observationum genere: videamus alterum, ex historia et antiquitate repetitum. In *Lib. I. cap.* 1. et 14. exponit Noster de victimis humanis, atque *Potterum* et *Coyerum* refutat, qui Graecos humana sacrificia habuisse dicunt. Tria potissimum hic notanda esse arbitratur: primum exempla danda de Graecis in universum, iisque qui proprie sic fuerint appellati, atque in certam reipublicae formam coaluerint: deinde ostendi debere, homines innocentes, scelerumque puros, ad gratiam deorum demerendam mactatos fuisse: denique docendum esse, haec sacrificia publice fuisse recepta, et ordinaria, non tantum ab uno alterove oblata. Nullum vero dicit esse locum, unde appareat, eiusmodi sacra Graecis in usu fuisse. Hac occasione ostendit etiam quid sit ἑκατομφόνια, eiusque nominis hanc rationem esse ostendit, quoniam ab iis, qui in pugna centum hostes occidissent, essent peracta. Immerito quoque docet hoc crimen Romanis obiici, si ordinaria et publice recepta sacra, iam constituta republica, intelligantur: in imperii provinciis autem ea fuisse usitata, non repugnat. Exstant de eadem re duae satis elegantes dissertationes in *Tom. I. Actor. Acad. Inscript. Parif.* ubi *Boissius* et *Morinus* suas de hoc crimine sententias exponunt. Has ignorasse Vir. Cl. videtur. Ad hoc genus porro referenda sunt, quae in *Lib. I. cap.* 6. de Praxitelis Venere: in *Cap.* 16. de Eumolpis et Eumolpidis, quos contra *Falsterum* non feminas, sed viros fuisse, probat: in *Cap.* 21. de diis, daemonibus, et heroibus: in *Cap.* 25. de mulieribus libidinosis, eos, a quibus reiectae fuissent, accusantibus, eisque, qui legibus et inventis suis periere: in *Lib. II. cap.* 1. de Herodoti et Ctesiae dissidio in rebus Assyriorum: in *Cap.* 6. de tauro Iovi immolato: in *Cap.* 10. de partibus galearum veterum, disserit. In

Cap.

Cap. 28. eleganter disputat, aeri an ebori fuerint inscriptae leges XII. Tabularum. Notum est, Pomponium *Lib. II. de Orig. Iur.* et Dionys. Halic. *Lib. X. pag.* 681. de hac re dissidere. Hos igitur inter se ita conciliare studet. Constat, leges apud Romanos bis in loco publico fuisse propositas, et primo quidem in tabula descriptas, ut quilibet eas legere et examinare posset, priusquam populus in suffragia mitteretur. Hoc dicitur *promulgare leges:* atque de hac promulgatione Pomponium loqui Vir Cl. existimat. Hinc illum dicere: *quas in tabulas eboreas perscriptas pro rostris composuerunt, ut possent leges apertius percipi, datumque est eis ius eo anno in civitate summum, uti leges et corrigerent, si opus esset, et interpretarentur.* Utique leges iam latas, et in aes inscriptas, corrigi non potuisse. Atque Pomponium ipsum paullo post distinguere videri, *his legibus latis*, dicentem, tum quippe demum in aes fuisse incisas. Neque repugnare Dion. Hal. l. c. Illum, uti Pomponium, de priori illa promulgatione decem tabularum, (quaeritur enim hic proprie de legibus X. Tab.) dicere: *in decem tabulis proposuerunt cuilibet cognoscendas.* Posteaquam vero iam perlatae, et in comitiis centuriatis confirmatae, uti idem subiungit, *in aereas columnas incisas una serie proposuerunt, in loco fori maxime conspicuo.* Tum enim demum legum nomen meritas fuisse. Liv. *lib. III. cap.* 34. commemorat decem istas tabulas propositas, populique examini subiectas, *quum vero satis correctae viderentur, centuriatis comitiis decem tabularum leges perlatae sunt.* Antequam igitur eo modo essent probatae, leges appellari posse Vir Cl. negat; sed ipsam rationem postulare addit, leges illas tum demum aeri incisas fuisse, cum ratae habitae essent, vimque legum nactae. Verum etiam de hoc genere observationum satis. Auctores, quos Noster in his Miscellaneis illustrat, sunt fere: *Ovidius, Horatius, Manilius, Seneca, Phaedrus, Apuleius, Minucius Felix, Servius, Orosius,* et e Graecis *Thucydides, Plutarchus, Appianus, Polyaenus,* et *Scholiastes Homeri*, quem *Didymum* vocant. Hosce vero cum et emendet,

et exponat Vir Cl. dabimus utriusque generis exempla. Ovid. XVII. *Her.* 170.

Et melius famae verba dedisse foret,

ita vulgo exponitur: melius fuisset, me iam olim furtivis amoribus operatam fuisse, et rumores decepisse, quos de mea pudicitia homines dispergebant. Verum haec interpretatio Nostro in *Lib. I. cap.* 3. non probatur: neque enim se intelligere dicit, quomodo id fuerit melius? et quomodo rumor pudicitiae illi apud maritum obesse potuerit? Id enim Helenam dicere. Potius eam de fama loqui, quam forma sua sibi conciliasset: hinc in *vers.* 167. *Fama quoque est oneri* etc. Haec igitur esse ita explicanda: melius foret, si fama, quae nunc est oneri, mentita fuisset, si formae meae elegantiam non adeo laudasset, vel contrarium potius dixisset. Verum nos quidem non assequimur, quomodo hic sensus inde eliciatur, nisi Vir Cl. legat:

Et melius famam verba dedisse foret.

Lib. II. *Metam.* vers. 774.

Vultumque ima ad suspiria duxit:

Tuetur Noster *ibid.* hunc locum contra eos, quibus *vultum ducere* non recte dictum videtur. *Vultum ducere*, ait, esse frontem contrahere, seu indignationem et dolorem vultu prodere, ut Lib. IV. ex Pont. VIII, 13.

Hei mihi! si lectis vultum *tu versibus istis*
Ducis, *et adfinem te pudet esse meum.*

Vultum ima ad suspiria duxit est igitur cum suspiriis ex intimo pectore profectis vultum contrahere. Lib. XV. *Metam.* vers. 637.

Quod petis hinc, propiore loco, Romane, petisses,
Et pete nunc propiore loco etc.

Multum haec interpretes exercuerunt. Vir Cl. *ibid.* sic interpretatur. E *Liv. X,* 47. disci, pestilentia grassante libros Sibyllinos Romanos consuluisse, atque invenisse in iis, Aesculapium ab Epidauro Romam arcessendum: nihil vero eo anno de hac re actum, nisi quod Aesculapio per unum diem supplicatio fuerit habita. Recte igitur Apollinem le-

gatis

gatis consulentibus respondisse: *Quod petis hinc* etc. id est, domi vestris incommodis remedium quaerite: libris vestris Sibyllinis morem gerite, et, quae illi praecipiunt, facite: non adeo opus fuerat, hac de causa tam longum iter suscipere. *Lib. I. Trist. II,* 475.

Tessera quot numeros habeat: distante vocato
Mittere quo deceat, quo dare missa modo:

Locus est subdifficilis, quem Vir Cl. *ibid.* ita exponit: Calculos dispositos fuisse in lineis sive scriptis, ea ratione, quam tesserae iactus praecepisset. Cum vero aliquis calculum iam promovisset, et mox, poenitentia ductus, eundem revocare et reducere vellet, id quidem ei licuisse, si is, quicum luderet, permisisset. Cum itaque secundum puncta calculi darentur, seu per lineas vel scripta currerent; illi autem, qui iam essent dati seu promoti, revocari possent: *τὸ distante vocato* intelligendum esse de calculo distante, qui revocatur, aptiorique loco collocatur. Usum verbi *vocare* adstruit Ovid. *Lib. III. Art.* 355. et Auson. *in Comment. Professʃ. Burdigal. Carm. I. Narrantem fide* etc. In *cap.* 27. *L. I.* defendit Noster illa Horatii I, 37, 9.

Contaminato cum grege turpium
Morbo virorum.

ab emendationibus *Bentleii* et *Bossii*. Per *gregem* enim non intelligit turbam eunuchorum, sed Romanos, qui ad Antonium et Cleopatram transierant. Hos dici putat contaminatos morbo turpium Aegyptiorum, quoniam turpes eorum mores induissent, pravarumque consuetudinum contagio adflati fuissent. Vitia et perversos mores *morbos* appellari, et ab aliis, et ab ipso Horatio *Serm. I,* 30. et *II,* 3, 121. Romanos autem turpissime se ad Aegyptios applicuisse, cum Dion. Cass. *Lib.* 50. *pag.* 434. tum Horat. *Ep. IX,* 11. docere:

Romanus (eheu posteri negabitis)
Emancipatus foeminae etc.

In *Lib. II. cap.* 5. interpretatur Vir Cl. vexatissimum locum Livii in *Epit. L.* 89. *Sylla Dictator factus, quod nemo unquam*

quam fecerat, cum fascibus viginti quatuor processit. Omnes locum corruptum putant, quoniam idem Plutarchus de Fabio, et Dion. Hal. de Cincinnato, tradit, atque ideo Livius non dicere potuisse videtur: *quod nemo unquam fecerat.* Ipse haec: *quod nemo* etc. non referenda esse censet ad proxime sequentia: *cum fascibus v. q. p.* sed ad illa, quae deinceps sequuntur: *rebus,* (sive ut *Gron.* legit, *legibus,*) *novis reipublicae statum confirmavit, tribunorum plebis potestatem minuit* etc. atque ideo verba: *quod nemo u. f.* post illa: *cum fascibus v. q. pr.* collocanda esse. Similiter prorsus de Sylla Dion. Hal. Lib. V. extr. *Cornelius Sylla primus et solus acerbe crudeliterque ea* (Dictatura) *usus est. Nam et Senatum ex qualibuscunque constituit, et tribunitiam potestatem quam artissime contraxit.* Hinc apparet, Dionysium primum Syllam fecisse illud dicere, quod Livius neminem unquam fecisse scribit. Adiiciamus adhuc aliam interpretationem Plutarchi, *de capiend. ex host. util. pag.* 86: e *Lib. I. cap.* 19. Ibi dicitur Creta *χώρα ἄθηρος*, quod interpres reddit, *regio feris carens.* At contrarium alii docuerunt, uti apparet ex illis, quae *Meurs. in Creta cap.* 7. attulit. Quid multa? *χώρα ἄθηρος* non est hoc loco regio quae feris, sed quae noxiis, venenatis, serpentibus praecipue, careat. *Θηρίον* in specie Graecis bestiam venenatam notat, unde apud Medicos *θηριόδηγμα*, *θηριόδηκτος*, *θηριακὰ φάρμακα*. *Ἄθηρος χώρα* igitur recte dicitur regio ea, quae eiusmodi bestiis caret. Atque eas in Creta non inveniri, magno consensu veteres tradunt. Hanc denique Auctoris mentem esse, ipsa orationis series indicat. Sed pergamus ad Emendationes Viri Cl. In *L. I. cap.* 7. emendatur Senec. *Oedip. vers.* 230.

Incipit Lethaea vates spargere horrentes comas,

corrigit *Cirrhea;* ita paullo post habetur v. 269. *Fatidica vatis ora* Cirrheae *movens. Ibid. v.* 886. pro

Ne pressae gravi
Spiritu antennae tremant,

mavult *gemant. Gemere* et *tremere* saepe a librariis confusa,

ſa, illudque melius τῷ *preſſae* reſpondere Noſtro videtur. Saepius etiam Seneca Horatium imitatur, qui *Antennas gemere* dicit I, 14, 5. Apud Polyaenum Strat. IV, 6, 19. legitur: τὸ δὲ βάθος εὐκαταφρόνητον ἔχοντες. Noſter in *L. I. cap.* 15. corrigit ἀκαταφρόνητον, vel οὐκ εὐκαταφρόνητον. Commemorat Auctor, hoſtes quidem phalangis extenſam longitudinem vidiſſe: τὴν μὲν ἔκτασιν τοῦ μήκους τοῦ φάλαγγος ὁρῶντες, τὸ δὲ βάθος — — — ἔχοντες. Ὁρῶντες et ἔχοντες ſibi opponuntur: prius oculis conſpiciebant, poſterius animo cenſebant. Vertendum igitur: *Phalangis quidem extenſam longitudinem conſpicientes, denſitatem autem non contemnendam eſſe cenſentes.* In *L. II. cap.* 9. complura Manilii loca vel vindicantur, vel emendantur. Sic *I,* 47.

Delectique Sacerdotes in publica vota
Officio vinxere *deum:*

vix dici poſſe arbitratur, deum officio vincire, pro ſibi devincire. Mavult igitur: *officio vixere deûm,* pro *deorum.* Vivunt officio deorum, qui in rebus divinis occupantur. *Ibid. v.* 167. pro

Imaque de cunctis mediam tenet undique ſedem,

unde nullum ſenſum exſculpi poſſe dudum viri docti docuerunt, legit: *Terraque de cunctis* etc. Haec coniectura confirmatur v. 202. ſeq.

Eſt igitur tellus mediam ſortita cavernam etc.

et *Plin. H. N. II,* 5. *L. IV. v.* 35. *pendebat ab uno*

Roma viro, regnumque orbis ſortita iacebat:

dura eſſe ilia dicit, quae concoquere poſſint illud *iacebat,* atque adeo reſcribit *pavebat. Ibid. v.* 612.

Et Peloponeſi patulas circumvolat oras.

Iam Scaliger obſervavit, neminem dixiſſe: *mare terram circumvolare.* Illius tamen emendationem, *circumluit,* tanquam longius a ſcriptura recedentem, reiicit, veriſimilius putans, ſcriptum fuiſſe *circumſonat* vel *circumtonat,* ut Ov. *Met. I,* 187. *Qua totum Nereus circumtonat orbem.* Neque tamen Manilium, verbo *volare,* aliquoties, audaci admodum

metaphora, eaque vix apud alium obvia, uti negat. In *L. II. cap.* 11. duo Phaedri loca emendantur. Adſcribamus alterum e *L. V. fab.* 1.

Demetrius, Phalereus qui dictus eſt,
Athenas occupavit imperio improbo etc.

Erraſſe dicit auctorem, ſi ea omnia in hac fabula, uti nunc circumferuntur, ab eo ſint profecta. Nam ad Demetrium Phalereum tanta omnes ordines frequentia confluxiſſe a nemine commemorari, ſed illud de Demetrio Poliorcete, Antigoni filio, tradi a Plutarcho in vita eius pag. 892. et 893. Turpem etiam hanc Athenienſium adſentationem plures notaſſe. Accedere, quod Menandrum poetam ignoraverit Demetrius iſte, cuius hic Phaedrus meminit, ut e ſequentibus apparet. Id autem de Phalereo dici non poſſe, qui Menandrum non tantum noverat, ſed etiam amicitiam cum eo coluerat. vid. *Diog. Laert. in Demetr.* pag. 354. et 51. Putat igitur Vir Cl. Phaedrum ſcripſiſſe:

Demetrius, non qui Phalereus dictus eſt,

aut, ſi hoc durius cuiquam videatur:

Demetrius, non qui dictus Phalereus.

In *Cap.* 22. emendantur illa Apuleii *L. X. Aſin. pag.* 457. *Pallor deformis, marcentes oculi, laſſa genua.* Loquitur de homine efflictim amante, deque amoris vi, in vultu ſe exſerente. Inde corrigit Noſter, *lapſae genae*, ut Senec. Hipp. 364.

Erumpit oculis ignis et lapſae genae
Lucem recuſant.

Hoc *pallori deformi* et *marcentibus oculis* bene convenire putat. In *Cap.* 24. et 25. complura Minucii Felicis aliorumque loca, contra Cl. *Cruſium* in *Probab. Crit.* vindicantur. Sed ecce! in L. I. cap. 7. emendatio nobis occurrit, quam non probamus. Nam in Senec. *de Ira III,* 18. pro *M. Mario, cui vicatim populus ſtatuas poſuerat, cui thure et vino Romanus populus ſupplicabat* etc. legit: *Romana plebs. Quis ferat*, addens, *bis repetitum illum populum?* At ferendum hoc eſt apud *Liv. XXX.* 33. *elephantos* inſtruxit, *et ſub-*

ſubſidiariam aciem inſtruxit: ferendum apud eundem *IV*, 3. *ſpes* — *ſi dignus* ſummo honore, *adipiſcendi* ſummi honoris: apud *Salluſt. B. C.* 51. *Tunc* lex *Porcia aliaeque* leges *paratae ſunt*, *quibus* legibus etc. Sed ſatis alii hanc dicendi formam illuſtrarunt. Caeterum, laudamus Viri docti diligentiam, illiusque ingenio et acumine nos vehementer delectatos fuiſſe, ingenue fatemur.

ANTONII STOERCK, MEDICI VIENNENSIS, ET in Noſocomio civico Pazmariano Phyſici ordinarii, Libellus, quo demonſtratur: Cicutam non ſolum uſu interno tutiſſime exhiberi, ſed et eſſe ſimul remedium valde utile in multis morbis, qui hucusque curatu impoſſibiles dicebantur.

Vindobonae, typ. Io. Thom. Trattner, 1760.
plag. 7. in 8vo.

Eam herbam, cuius ſuccum Athenis capite damnati bibere coacti ſunt, quae ſapientiſſimum antiquitatis virum extinxit, quae apud omnes adhuc, tanquam atrociſſimum venenum, male audivit, quam ipſae pecudes horrent, quis credidiſſet olim optimum periculoſiſſimorum morborum remedium fore? Ineſſe vero huic herbae vim ſaluberrimam, multumque eandem in ſolvendis inveteratis ſcirrhis, ſanandisque cancris, prodeſſe, luculenter in hoc libello Cl. *Stoerck* demonſtravit, cui hoc nomine genus humanum multum debere apparet. Eſt hoc opuſculum in capita *tria* deſcriptum, e quibus, quae nobis videbuntur ad rem quam maxime pertinere, bono Lectorum noſtrorum, promemus. *Primum* caput cicutae deſcriptionem atque utilitatem exhibet. Creſcit herba iſta in locis umbroſis et pinguibus, prope foſſas et agrorum aggeres gignitur, et menſe Iulio floret. Folia habet longis, craſſis, et cavis pedunculis appenſa, et, ſicut myrrhidis, in alas plures tenues et atrovirentes diviſa. Culmo nititur procero,

ferulaceo, glabro, laevi, crasso, inani intus, dilute virenti, maculis quibusdam subrubentibus, veluti serpentum, distincto, et trium cubitorum mensuram non raro excedenti. Fastigia occupant umbellae, in quibus candidi sunt flosculi. Semina ad anisi similitudinem accedunt, sed aliquanto sunt candidiora. Radix est dodrantalis, digiti crassitudinem explet, quando caulem facit, interius cava; antea solida. Odorem planta haec spargit foetidum, et maxime ingratum. Huius igitur plantae vim ut Vir Cl. perspiceret, ab externo usu faciundi periculi initia cepit. Consuit illam siccatam et conscissam intra linteamina decussatis filis in matratium, hoc in aqua ebulliente per aliquot minuta reliquit, et deinde, superfluo liquido expresso, calide ad partes affectas applicuit. Hoc modo non solum gangraenae progressum aliquoties inhibuit, sed corruptum quoque a sano separavit. Qui ingratum foetorem, et natum inde pruritum ferre non potuerant, iis matratia, lacte incocta, adhibuit. Eiusmodi fomento, viro sexagenario, podagricis doloribus multos per annos excruciato, dolores sedavit, et tophos podagricos emollivit atque dispulit. Podagra, quoties rediit, neque violentia, neque diuturnitate pristina saeviit. Porro hoc fomento, et pilulis, de quibus paullo post dicemus, annosum rheumatismum et dolorem arthriticum aliquoties multum mitigavit, penitus etiam interdum sustulit. Etsi etiam quosdam nequaquam, continuato licet usu, se iuvisse ait, nemini tamen hoc medicamine se nocuisse adfirmat. At in strumis scirrhosis, in glandularum et mammarum indurationibus, et pessimis in cancris curandis, non sine insigni utilitate hac ope instructus versatus est. Neque tamen hoc fomentum, si tumores inflammatorii aut serosi calidi adsint, adhibendum esse monet, nisi debitae evacuationes antea factae sint. Sed succum etiam cicutae Vir Cl. explorare voluit: expressit igitur, et in vase terreo lentissimo igne in extractum inspissavit. Dedit per triduum huius extracti unum scrupulum cani, qui sanus et alacer mansit. Ipse per octiduum, mane ac vesperi, unum

unum granum extracti sumsit, atque altera septimana dosin duplicavit, neque ullam inde sensit molestiam. At e radice recenti, in taleolas discisso, lacte amaro et acri effuso, unam alteramve guttulam linguae apice delibavit. Inde lingua riguit, intumuit, doluit: nullum verbum loqui Noster poterat. Sed succo citri lingua aliquoties abluta, dolores tumorque abierunt. Radicem exsiccatam, et in pulverem redactam, minus nocivam esse observavit. Nam sine incommodo, pulveris unum granum duove sumsit. Denique pilulas paravit, earumque faciundarum sequentem formulam proposuit: *Exprimatur succus, isque recens lentissimo igne in vase terreo, (saepius agitando, ne amburatur,) coquatur ad spissi extracti consistentiam, hoc extractum, s. q. pulveris foliorum cicutae in massam pilularem subigatur; ex qua fiant pilulae granorum duorum.* Hisce in pilulis dandis Auctor semper a minima dosi incepit: sub initium mane et vesperi unicam pilulam dedit, sed tertio quartove die ter talem exhibuit. Post octiduum ter de die coepit duas dare, et, urgente necessitate, eo usque numerum auxit, dum ad drachmam unam, vel drachmam unam cum semisse, spatio unius diei devenit. Licet etiam has pilulas sanis quoque, per unum alterumve annum, numquam intermisso eorum usu, dederit, nihil tamen se inde mali observasse dicit. Qualibet denique vice, dum assumuntur pilulae, datur unum alterumve vasculum infusi theae, vel iusculi vitulini. In capite *altero* Vir Cl. viginti affert exempla aegrorum, quibus fomento, pilulis, et infuso cicutae, optimo successu subvenit, omnibus aliis remediis antea frustra adhibitis. Foeminas maxime Noster hoc remedio sanavit, parotide scirrhosa, scirrho et cancro, sive occulto, sive aperto, glandulis sub axillis, in inguinibus, colloque intumentibus, scirrho supra claviculam sinistram magnitudine ovum anserinum superante, et percusso sonum cartilaginis edente, scirrho in mamma, et struma scirrhosa laborantes: virum etiam testiculo, scroto, et pene cancroso, maximo cum foetore, adflictum, aliumque, cui ex quartana, subito suppressa, durities unam spithamam

longa, et ſemiſpithamam lata, ex anteriore abdominis parte nata erat. Hoc quoque medicamen dedit feminae ſcirrho et deinde cancro aperto in mamma laboranti, una cum tuſſi ſicca, quae tamen, etſi ſenſim bona ſuppuratio exterius, atque durities mollior et minor fieret, apoplexia obiit: ſectione tum facta apparuit, pulmonis ſiniſtri lobum medium totum ſcirrhoſum et gravem, lobum ſuperiorem partim ſcirrhoſum, partim ſuppuratum, cerebellum autem copioſo grumoſo ſanguine compreſſum fuiſſe. Dedit porro feminae, apertum cancrum in mamma ſiniſtra habenti, eumque tantae amplitudinis, ut limbus eius ſuperior fere maxillam ſuperiorem attingeret, inferior autem ad ventrem usque deſcenderet. Sed cum fomenti et pilularum ope cancer prope ſanatus eſſet, illa a ſubito violento vento frigoreque ingentes ventris dolores ſenſit, et, admodum copioſo alvi fluxu cum ſanguine conſecuto, extincta eſt. Pari modo ſanavit feminam in ſiniſtra colli parte binas fiſtulas habentem, quae tam numeroſos et mirabiles ſinus produxerant, ut ſtylo ad linguam, ſternum, et inter oeſophagum atque aſperam arteriam ad oppoſitam colli partem penetrari poſſet, et qui ſinus per totum thoracem diſtributi erant. Sanavit denique pilulis hiſce virum ex cataracta in ambobus oculis coecum, item virginem, cuius ex incipiente in utroque oculo cataracta viſus adeo debilis factus erat, ut vix ſola incedere poſſet. Eodem modo reſtituit feminam ſtrumam ſcirrhoſam habentem, quae non tantum anteriorem colli partem occupaverat, ſed et in pectoris cavum penetraverat, atque reſpirationem reddiderat difficilem. Alia exempla omittimus. Caput *tertium* habet *Corollaria, Monita*, et *Quaeſtiones.* Nam, ex iis, quae antea diſputavit, Vir Cl. colligit: ex ſucco cicutae, lento igne inſpiſſato, parari remedium maxime innocuum, et quod in omni temperamento, aetate, ſexu, etc. ad ſatis magnam doſin poſſit exhiberi: hoc remedium nullam corporis actionem, ſecretionem, aut excretionem, turbare, ſed inſenſibili modo agere, (verum exempla ab Auctore allata prope contrarium dicere

dicere videntur, ut vel *caſ. V.* ubi femina dicitur pilulis adſumtis urinam copioſius emiſiſſe, et infantem ſugentem in levem diarrhoeam incidiſſe: *caſ. VII.* ubi commemoratur, feminam his pilulis uſam, alvum quotidie praeter conſuetudinem poſuiſſe etc.) nec alvum, nec vomitum, nec urinam, nec ſudorem movere: indurata et ſcirrhoſa iis etiam in caſibus reſolvere, ubi alia medicamenta, eaque maxime valida, nihil efficiant: quae non reſolvat, ea plerumque ad benignam ſuppurationem redigere: cancro limites ponere, acre cancroſum emendare, foetorem diſpellere, ichorem cancroſum in bonum pus convertere, dolores ſedare, cancrum curare, ulcera alias vix ſananda ſanare, fiſtulas et ſinus claudere et conſolidare, tumores oedematoſos uſu externo diſſipare, viſum cataracta nondum inveterata ademtum reſtituere, et incipientem cataractam aut ſolvere, aut eius progreſſus impedire. In *Monitis* Auctor, quae ad Diaetam hac in curatione obſervandam, pertinent, exponit, quaeque cum regulis, in cancri curatione obſervandis, conveniunt. In *Quaeſtionibus* agit illud potiſſimum, ut, quoniam remedii huius effectum modo celerem, modo tardum, obſervavit, exploret, quomodo in tarda illius actione ab externis remediis effectus poſſit accelerari? Quaerit igitur, annon conveniat, aliquoties per diem ad partem affectam calidos vapores decocti cicutae applicare? an ſit utilius, ſi cataplaſma ex cicuta paratum laeſis partibus ſtatim applicetur? cum aliqui hoc nudae cuti applicatum ferre nequeant, annon praeſtet, horum aegrorum cutim emplaſtro diapompholygos tegere, et tectam eiusmodi cataplaſmate fovere? an, dum ſcirrhum adhuc irritare liceat, proſit, ſi emplaſtrum de cicuta, de ladano, aut de galbano apponatur? an ſub uſu pilularum, aegris, quorum vires id ferre videntur, ſaepius dandum ſit purgans? an, ſi acre cancroſum altiores radices egerit, humores omnes corruperit, et ſolida adeo debilitaverit, ut non ſolae hae pilulae ſufficiant, tum iſtis cortex Peruvianus ſit adiungendus? Illud etiam non omittendum eſt, has

has pilulas ſcirrhum hepatis ſolviſſe, et inde natum icterum fugaſſe, largo ſeri lactis potu adiuncto: verum liene poſt febres intermittentes inflato, et ſubſtantia illius ſpongioſa reddita, easdem parum effeciſſe. Haec ſunt, quae Cl. *Stoerckius* in hoc libello expoſuit. Nactus hic erat occaſionem, varia ex antiquitate de cicuta repetendi, quae non iniucunda lectu forent, ſi fuiſſent addita. Sed, quod etiam utiliorem hunc libellum reddidiſſet, vellemus, Vir Cl. ex analyſi chymica ſal eſſentiale compoſitum in cicuta aperuiſſet atque explicaſſet. Caeterum huic labori minime noſtras laudes denegamus, qui fortaſſe plures excitabit, ut validas nobilesque venenorum vires ſolerter explorare, atque ad ſalutem humani generis convertere allaborent.

PHILOSOPHIAE CIVILIS SIVE POLITICAE, PARS TERTIA, ſiſtens ſapientiam publicam in perficiendis civium voluntate, eorundemque corpore et ſtatu externo: tanquam continuationem ſyſtematis philoſophici Chriſtiani L. B. de Wolff, Potent. Boruſſ. Reg. Conſil. Intimi, Friderician. Cancellar. cet. Auctore MICHAELE CHRISTOPH. HANOVIO, Gymnaſ. Academ. Gedanenſ. Prof. Philoſ. eiusdemque Bibliothec.

Halae Magdeburgicae, ex offic. Rengeriana, 1758. Alph. 3. plag. 5. in 4to.

Abſolvitur in hac parte, quae in ſecunda inchoata fuit, doctrina de felicitate civium paranda, ſtabilienda, et augenda. Haec ut obtineatur, quomodo virtutes intellectus excolendae ſint, demonſtratum eſt: nunc, quemadmodum voluntas ſit emendanda, docetur. In *Sectionis primae cap. I.* agitur de ſapienti cura ſacrorum, ſive religionis. Cum ius ſacrorum apud eosdem in qualibet civitate eſſe nequeat, ſed conſiderandum ſit, quibus ipſo legitimo pacto

pacto debeatur, exponit Vir Cl. quibus hoc ius in Democratia, Aristocratia, Monarchia, et in civitate mixta, sive temperata, concedendum, quibusque, si sint in civitate, qui diversam a plerisque religionem profiteantur. Porro ostendit, solum Deum esse dominum conscientiae hominum: religionem internam imperio civili neque subesse, neque subesse posse, et qui contra hanc peccent, Dei iudicio relinquendos esse; eaque, quae in religione externa necessario nexu cum interna coniuncta sint, pariter in debito usu libera esse a coactione imperii civilis: ubi diversae in civitate vigeant religiones, ibi unius non esse, alterius, vel reliquarum asseclas cogere, ut utantur subsidiis animos in cultu divino perficiendi iisdem, quibus ipsius socii uti obligantur; praemiis tamen, et amice, ad eorum usum allici et invitari posse. Post, de doctoribus religionis agit, de sacerdotibus, de dissidiis turbulentis tollendis, de arcenda coactione occulta, de religione aulica; atque hanc carere ostendit iure caeteris imperandi, et molestias exhibendi, eique nullum deberi ab aliis obsequium, nisi quod in externis pacto receptum: quaecunque religio saluti publicae externae vel secundariae non adversetur, illam esse tolerandam; sed ut de illius indole iudicari possit, edendam illi esse professionem dogmatum, atque etiam in vitam asseclarum inquirendum, ut constet, num aliquid periculi inde sit civitati metuendum? Denique exponit A. de iure emigrandi: hoc inferre aeque liberum discessum cum familia et familiaribus, ae si discedens religioni praepollenti sit addictus; et aequum esse, ut emigrantes liberi sint a censu emigrationis, et a vectigalibus: de locis sacris, de aedium sacrarum forma, de diebus festis, de cultu interno et externo, de contemtu religionis, de imperio ecclesiastico, de iure reformandi, de defensione religionis. *Caput II.* habet doctrinam de cura sapienter perficiendi imperium sui ipsius. Primum ostenditur, quomodo notitia sui distincta sit perficienda? pleniorem regiminis sui ipsius perfectionem petendam esse a solida animi convictione de officiis

ſuam emendandi excolendique voluntatem, quatenus illa in civitate recte procuratur. Deinde de regimine affectuum agitur, et tranquillitate atque ſecuritate animi. *Caput III.* continet curam ſapienter perficiendi iuſtitiam publicam. Agitur de probitate, honeſtate, charitate, aequitate, magnanimitate, iuſtitia, praemiis publicis, de gratia, dignitatibus, et opibus publicis, de titulis, de nobilitate civili, de documentis, inſignibus, et privilegiis nobilitatis, de ſocietatibus honorificis, publicis et privatis, ſacris et ſecularibus, aulicis et litterariis, de poenis publicis, laeſione maieſtatis et blaſphemia, de mulctis denique. *Caput IV.* proponit curam ſapienter perficiendi iuſtitiam et aequitatem privatam, praeſertim in pactis actibusque beneficis. Salute publica flagitante imperari quoque civibus id poſſe et debere, quod naturalis ſit aequitatis, et humanitatis officium; prohibendum autem in eodem caſu, quod iniquum, inhumanum, indecorum: liberam eſſe debere cuique donationem vel omnium bonorum ſuorum, quando licita ſit, i. e. neminem laedat, ſed ad officio cuidam erga Deum, nos, et alios ſatisfaciendum pertineat: libertatem teſtamentorum faciendorum et mutandorum non ſolum in civitate ſalvam manere debere civibus, quoties ſalus publica non repugnet, ſed etiam iuris huius uſum genuinum in civitate faciliorem, meliorem, certiorem et tutiorem reddendum eſſe, ac futurus eſſet in ſtatu naturali. Tum, quae ad exheredationem, legata, teſtamenta reciproca, fideicommiſſa, pacta ſucceſſoria, cautelas in adeunda hereditate, ius albinagii, (iniquum, niſi retorſionis cauſa adhibeatur,) ſucceſſionem ab inteſtato, ſucceſſionem aequalem et inaequalem, ad collateralium in ſucceſſione iura, pertinent, explicantur. Liberis inceſtuoſis, adulterinis, et ſuppoſititiis, recte denegari hereditatem: ubi alii heredes deſint, ultimum heredem eſſe aerarium publicum, vel fiſcum: ius accreſcendi iis relinquendum; quibus naturaliter debeatur: ius hereditarium et ſucceſſorium civiliter quoque alienari non poſſe in fraudem tertii, et quatenus incertum, niſi con-

contractu aleam continente. *Cap. V.* complectitur curam ſapienter perficiendi iuſtitiam privatam in contractibus, ubi exponit Auctor de legibus matrimonialibus, de legibus ſponſaliorum, de legibus nuptialibus, de legibus forenſibus connubialibus, de divortiis. Tum tranſit ad leges mercatorias, et quid in commercio domino et mercatoribus tribuendum? quatenus reipublicae cauſa reſtringendum commercium? docet, variaque de iure cambiali, de iudicio mercatorio et proceſſu ſummario, de decoctoribus, de iure nautico, addit. Ultimo loco oſtenditur, unde verum praediorum pretium aeſtimandum? quid ſtatuendum de praediis cenſiticis et angarialibus? quid ſeparatio dominii directi et utilis requirat? quid circa partes proprietatis civiliter curandum? quando locatione et conductione plenum dominium alienetur? quomodo litibus circa locationem perpetuam occurrendum? quid in contractibus libellariis curandum? quid ſtatuendum de clientela laxiori, ſeu nuda? quid in emendis vitae praeſidiis curandum? Adnectuntur etiam aliqua de legibus de mutuo ferendis, de legibus tutelaribus, de uſuris, de locatione et conductione rerum. Tranſimus ad *Sectionem alteram*, quae capitibus *tribus* abſolvitur. Agitur vero *Cap. I.* de ſapienti civium vitae eiusque praeſidiorum cura. Puniendam eſſe voluntariam omnis generis *αὐτοχειρίαν*; prohibenda et punienda vehementer duella; arcendos latronum, furum etc. globos, tollendosque; evitanda homicidia; in ſuppliciis modum tenendum; quando poenae capitales vel remittendae, vel mitigandae ſint? Porro Noſter exponit de cura circa aeris ſalubritatem, circa victum, circa amictum, circa domicilium, ubi, quae huc pertinent, explicantur, additis variis de cura rei pecuariae, rei venatoriae, de neceſſario examine potionum artificialium et peregrinarum, de modo quo homines infecti atque etiam ſuſpecti tractandi. *Cap. II.* explicat Vir Cl. doctrinam de ſapienti cura ſanitatis reliquorum corporis bonorum. Sanitatem omni cura in civitate eſſe ſervandam et reſtituendam; eſſe diverſos

 vale-

valetudinis et morborum gradus, diverſam quoque ſanitatis et morborum vim, durationem et efficientiam in vitam humanam mortemque; curam valetudinis praecipuam verſari debere in tuenda valetudine bona organorum ſenſus et motus voluntarii; quatenus tamen illa haberi nequeat, niſi functionum vitalium et naturalium ſalva continuatione, eatenus et illarum valetudinem bene eſſe curandam; delirorum et furioſorum eſſe curam habendam, atque ideo in urbibus et emporiis amplis gyrgathis opus eſſe, et noſocomiis; excolendas et exercendas in civitate ſcientias et artes ſanitati tuendae et recuperandae inſervientes, ut medicas, chirurgicas, pharmaceuticas, chemicas; cura publica procurandam eſſe copiam ſalubrium alimentorum, veſtimentorum, lectorum, habitaculorum, ipſiusque aeris reſpirandi; explorandam eſſe diligenter naturam praeſidiorum vitae; diaetam civium publice eſſe obſervandam; integritatem inſtrumentorum corporis promovendam eſſe legibus, laeſionem membrorum cum civium, tum peregrinorum, pro gradu culpae interdicentibus, et punientibus. Publica cura opus eſſe, ut artes, quaecunque uſui eſſe poſſint civitati, in eadem quam optime perficiantur et excolantur, bene doceantur, et diſcantur, ideoque adſint idonei magiſtri, aut aliunde invitentur; difficiliora artium publicae ſocietati eſſe commendanda. Rectori civitatis videndum eſſe, ut optime proſpiciat civium cunctorum commoditati et iucunditati vitae, quatenus ea privatorum vires excedat; eidem ea inſtituenda pro civitatis opibus et dignitate, quae praxin officiorum reddant tam facilem, certam, copioſam et commodam, quam fieri poſſit, atque, ubi naturalis negligatur, civilem obligationem adiungendam; procurandam rerum utilium et gratarum copiam, pulchritudinem in civitate naturalem et artificialem, oculorum, aurium, narium oblectamenta etc. *Cap. III.* explicatur ſapiens cura fortunae civium. Tria eſſe fortunae bona, benevolentiam, honores, opes ſive divitias; curandam eſſe mutuam bonorum fortunae amplificationem; mutuam benevolentiam com-

complecti mutuum favorem, amorem, gratiam; haec excitanda inter cives et servanda esse tum per eos, quorum in civitate obligatio sit officiumque alios docendi et perficiendi in virtutibus, tum per leges ad eam obligantes, earumque sapientem exsecutionem; avertendam civium discordiam, sopiendas lites, praecavendas factiones, promovendam societatum minorum concordiam; iuvanda matrimonia; feminarum et viduarum fortunae prospiciendum; promovendum parentum officium liberos fortunandi; pupillorum fortunae consulendum; bene meritos honorandos ordine, titulo, insignibus etc. Poenarum limitationem esse necessariam; poenas arbitrarias atque extraordinarias sapienti quidem iudicis arbitrio definiendas esse, sed ita, ut, cui illa iusto gravior videatur, provocatione gaudeat ad arbitrium iudicis superioris: iudicem inferiorem vel contra iniurias sibimet illatas sententiam ferre posse; vindictam privatam fugiendam. In procurandis divitiis diligenter considerandum, quid rerum naturalium in ipsa civitate procreari possit, et enitendum, ut illud quam optime et copiosissime procreetur; alliciendos et fovendos artifices opificesque eximios; validos mendicos non tolerandos: diligenter explorandum, quaenam commercia interna civitati utilia, quae publice et privatim noxia sint, illaque excolenda, haec tollenda; si commercia externa lucrosa esse debeant, plures res naturales artificialesque ex his factas exportandas esse minori sumtu, quam importentur, ut nos plus lucri ab exteris habeamus, quam illi a nobis; commercia externa lucrosa fieri, si parum vel nihil exportetur, praeter paratam pecuniam eiusve materiam, sed res importatae aliis civitatibus cum lucro vendantur; in coloniis commerciorum externorum causa institutis utiliter adhiberi tesseras chartaceas loco auri et argenti; propolia in civitate esse prohibenda, monopolia autem, si in detrimentum reipublicae aut multorum civium vergant, tollenda, si ita limitentur, ut merces bonae nec maiori, quam si nullum sit monopolium, sed potius viliori pretio comparari queant,

admittenda et fovenda; occurrendum annonae caritati, et damnis monetae vilioris; prohibendam prorſus eſſe monetam reprobam, ſaltem allatam aliunde deteriorem ad iuſtum valorem redigendam; opus eſſe ut pecunia proba in civitate habeatur et retineatur, eiusque exportatio ſevere interdicatur puniaturque; minores autem nummi circumforanei vicinis circiter aequiparentur, et iuſtam ad auream et argenteam pecuniam proportionem habeant; idem quoque tenendum de vaſis aliisque rebus ex auro argentove conflatis, ne in his ſimili fraude civium opes minuantur; idem etiam valere de aliis metallis, nec non de mercibus quibuscunque, carioribus praeſertim; peritos igitur iuratosque monetarios publica auctoritate monetam ex lege praeſcripta cudere, et nummos ſeu peregrinos, ſeu adulterinos, explorare debere; non eſſe ferendum, ut pecunia deſtruatur, et operibus mechanicis conſumatur: neque ferendum ut privatorum pecunia otioſa ciſtis includatur, ſed operam eſſe navandam, ut pecunia in perpetuo ampliſſimoque uſu verſetur, et iuſta inter omnes proportione diſtribuatur. Ut quaeſtuoſus ſit pecuniae uſus, ipſos civitatum rectores pro dignitate erogare debere pecuniam ex officio in perſonas alendas, meritisque praemiis afficiendas, resque ſibi comparandas decoras, et opulentos hoc ſuo exemplo ad imitandum incitare; ut cives tenuioris ſortis rem facere poſſint, curandum eſſe ut vel nulla, vel leviori pecunia, frui poſſint pecunia aliena; hoc fieri poſſe, ſi vel ex aerario publico illis pecunia, in eo otioſe recondita, ea lege credatur, ut, ſi minus recte illa utantur, vel aerarium ſit exhauſtum, ſtatim reddatur, vel ſi ex privatorum abundantia aerarium pium ſimili lege inſtituatur. Eorum iuvandorum cauſa, qui non, niſi ex uſuris patrimonii ſui honeſte ali et fortunari poſſint, inſtituenda eſſe aeraria foeneraticia, praeter vulgares et privatas foenoris rationes, ab uſuraria tamen pravitate immunes; prodigis dandos eſſe curatores; prohibendos ludos, quibus bona dilapidentur; nec permittendum, ut divites temere diſcedant cum opibus

bus in civitate partis, nisi damnum inde oriturum resarciant, aequa bonorum parte relicta, veluti decima; idem observandum esse divitum mortuorum heredibus, hereditatem ad peregrinos exportaturis. Ferendas denique non esse ineptas sumtuosasque iuvenum peregrinationes; etsi concedi viris nonnullis possit facultas, modicis sumtibus alienarum regionum artes et scientias perscrutandi, atque opificum ad peregrinos excursiones concedendae, et ad bonum publicum convertendae sint.

PETRI WESSELINGII DISSERTATIO HERODOtea ad TI. HEMSTERHUSIUM V. C.

Traiecti ad Rhenum, apud Paddenburgos, 1758.
plag. 14. in 8vo.

Non sine molestia quadam animi atque aegritudine, iucundissimam spem, Herodotum, nova editione a Cel. *Wesselingio* ornatum, accipiendi, irritam fuisse intelligimus. Etsi igitur lubentius illud faceremus, ut et litteris, et ipsi Herodoto, hanc editionem gratularemur: tamen, huius consilii rationibus conturbatis, non committendum esse putavimus, ut hanc dissertationem omitteremus, sed potius hoc specimine Lectores docere visum est, quantam iacturam, Phidiaco opere illo intercepto, fecerint. Sunt enim in hoc libello, ut nemo facile, qui *Wesselingianum* ingenium et doctrinam cognitam habeat, dubitabit, multa eleganter et docte disputata, quae cum ad Herodotum, tum ad alios Scriptores emendandos et intelligendos, multum conferant. Ipsum opusculum in capita XII. descriptum est, quorum nos ordinem sequemur. In *Cap. I.* haud negari posse Vir doct. docet, Herodotum rerum Assyriarum commentarios composuisse, et edidisse. Nam Aristotelem *Hist. anim. VIII.* 1. διήγησιν περὶ τὴν πολιορκίαν τῆς Νίνου excitare, quae, siquidem in Musarum opere non legatur, commodissimum in historia Assyria

ria locum occuparit: neque, cum ea parte libri primi, qua res Babyloniae et Aſſyriae exponuntur, omnia inter ſe tam apte ſint nexa, nullus ut hiatus aut defectus appareat, putandum eſſe, Ariſtotelem forte integrioribus Herodoti Muſis uſum eſſe, quam nos nunc in manibus habeamus. Lectionem Gazae, Ἡσίοδος ἠγνόει τοῦτο, corruptam videri non magis, quam ſcholia Pindari ad *Od. IV. Pyth.* ubi pro Ἡσίοδος μνημονεύει legendum Ἡρόδοτος. Neque tamen ſe aſſentiri *Vignolio*, cuius in commentariis chronologicis, etſi doctis et laborioſis, non pauca ſint a temeritate non prorſus aliena, quale iſtud eſt, quod ea de cauſa illos libros interiiſſe putat, quoniam negligenter ſcripti fuiſſent. Hoc, *quibus*, ait Noſter, *indicibus, quo teſte probatur?* Neque veriſimile ſibi videri, illam de Seſoſtri ῥῆσιν in Chronico Paſchali, p. 38. eſſe fragmentum hiſtoriae Aſſyriae: nam cum Chronicon hoc non ante ſeculum quartum quintumque p. C. N. compilatum ſit, atque ideo hi libri usque ad illud tempus ſuperfuerint neceſſe ſit, quomodo tandem accidiſſet, ut nemo praeterea Hiſtoricorum, Grammaticorum, Geographorum, hiſtoriae Aſſyriae mentionem fecerit, ſe non intelligere. Fontem potius, e quo illa in Chronicon Paſchale manaverint, eſſe Chronographiam Io. Malalae, p. 28. In Suidae Πανύασις vero, pro ὁμοίως δὲ καὶ Ἡρόδοτος Θούριον (ἀνέγραψε), probabiliter aut ab ipſo, aut illo certe, unde ſua excerpſerit, ſcriptum fuiſſe videri: ὁμοίως δὲ Ἡρόδοτον Θούριον, ut Panyaſin domo Samium, Herodotum Thurium fuiſſe ſcripſerit. Herodotum enim a multis Thurium eſſe habitum. In *Cap. II.* tranſit Auctor ad Λιβυκοὺς λόγους, ſive rerum Africanarum libros, quorum Herodotus II, 161. mentionem iniicit. Vix veriſimile eſſe, Herodotum, operoſe Libycas res L. IV. extr. enarrantem, ſingularem de illis commentarium fuiſſe meditatum; ſed recte *Bouherium* coniicere, illam libri IV. partem indicari, qua Apriae in Cyrenen expeditio, atque Aegyptiorum defectio narretur. Obiter fragmentum Callimachi, Epigramma Nicaeneti, et Herodotus, emendantur. In *Cap. III.* antequam

Hero-

Herodorum a librariis ſaepe in Herodoti locum ſuffectum eſſe doceat, oſtendit fontem huius corruptionis, ſive conſuetudinem librariorum, compendioſo ſcribendi genere verba exprimendi; atque hac occaſione loca quaedam ſcriptorum emendat. Sic in Orat. Libanii, qui ſaepius a Noſtro emendatur, *in Iulian. necem, pag.* 318. narratur, milites nocte in hoſtilem turrim penetraſſe, et deinde ingentem clamorem edidiſſe, ῥαγείσης πολλῆς ἐκείνης καὶ τῶν ΦΥΛΩΝ σὺν ἐκπλήξει τῶν (ἀνθρώπων ita Morellus pro ſcripto αἰῶν) εὐνῶν ἐκπηδώντων—. Legendum omnino φυλάκων. Sic apud eundem *Orat. ad Iuven. pag.* 569. *tom. II.* pro νέος χρήματα παρά τȣ ΠΡΟΣλαμβάνων, ὡς τῷ σοφιςῇ κομιῶν, legendum eſt παρὰ τȣ̃ πατρὸς. Apud eundem *Declamat. XIX. pag.* 506. *T. I.* nunc legitur: Ἀλλὰ κἀκείνȣς, ὡς ἀνθρώπȣς οἱ σαγηνεύσαντες ἀπήγαγον, καὶ νέμονται μὲν τὴν βάρβαρον ἄλλοι γῆν. Quid in hoc loco νέμονται — ἄλλοι γῆν? Quin potius captivi, ἁλωτοὶ. Verum hanc corruptionem non in appellativis modo, ſed in propriis quoque nominibus factam eſſe, exemplis Σωκλῆς, Προκλῆς, Ἡρακλῆς, et aliis, oſtendit. Deinde multa laudat loca, ubi Herodoti nomen pro Herodori ſcriptum, ut Apollodori, Athenaei, Tatiani, Scholiaſtarum Sophoclis, Euripidis, et Theocriti, Stephani Byzantini, Tzetzis ad Lycophr. et Georgii Cedreni. Ultimo loco quaedam de amica Herculis apud Scythas Echidna e veteri lapide, et de ingenti corporis eiusdem proceritate, afferuntur. In *Cap. IV.* multa veterum loca emendantur, in quibus modo Herodianum pro Herodoto, modo hunc pro illo, librarii vitioſe ſcripſerunt. Hac occaſione explicatur, quid ſit γαῦλος, de qua voce Etymolog. Λέγεται δὲ καὶ τριήρης γαῦλος, διὰ τὸ πλεῖςα δέχεσθαι, ὥς φησὶν Ἡρόδοτος ἐν τῇ τρίτῃ τῶν Ἱςοριῶν. Codex MS. Traiectinus habet: γαῦλος ὁ ἐξ ἀλλοτρίων ζῶν. Λέγεται δὲ τὸ σκάφος, διὰ τὸ κοῖλον καὶ πλεῖςα δέχεσθαι, ὥς φησιν Ἡρωδιανὸς κ. λ. Herodiani, ait Vir Cl. importuna mentio: neque tamen Herodotus ineptam vocabuli originationem firmat, neque

illi eſt γαῦλος triremis, verum oneraria navis, trireme minor, ut III, 136. αὐτίκα μὲν τριήρεας δύο ἐπλήρωσαν, ἅμα δὲ αὐτῇσι καὶ γαῦλον μέγαν. Sed in eodem capite corruptus Noſtro videtur locus: Ἐνθαῦτα δὲ (Tarenti) ἐκ Κρηστώνης τῆς Δημοκηδέος, Ἀριστοφιλίδης τῶν Ταραντίνων ὁ βασιλεὺς, τοῦτο μὲν, τὰ πηδάλια παρέλυσε τῶν Μηδικέων νεῶν. Valla vertit: *Ibi Ariſtophilides Tarentinorum rex, et ipſe Crotonienſis, gubernacula Medicarum navium reſolvit.* Unde putat, in Vallae libro, quod etiam alii praeferunt, fuiſſe ἐκ Κρότωνος. Sed ſe dubitare, an ἐκ Κρότ. τ. Δ. verti ita poſſit; et vulgatum ἐκ Κρηστώνης longe diverſum poſtulare: nempe fortaſſe ἐκ ῥηστώνης τῆς Δ. *ex negligentia et facilitate Democedis*, ut apud Ioſephum: ἄλλως δ᾽ ὑπὸ ῥαστώνης καὶ τοῦ βουλεύεσθαι πάντα κακῶς. Denique aliqua de Abari Hyperboreo adſperguntur. In *Cap. V.* docetur, Grammaticos Herodoto multa tribuiſſe, quae illius non ſint, atque hoc inprimis Suidam feciſſe, cuius plura loca examinantur et corriguntur. Ecce tibi admodum ridiculum errorem, adeo, ut Vir Cl. dicit, portentoſum, ut tota Graecia non turpius monſtrum reperiatur. Χοίνικες, οἷς τὰς περιόδους μετροῦσιν Αἰγύπτιοι. Σπανιώτερον δὲ τὸ γένος θεωρητικωτάτων ψυχῶν ἢ τὸ τοῦ χοίνικος, ᾧ τὰς περιόδους μετροῦσιν Αἰγύπτιοι· οἷον ἦν Ἄμους καὶ Ἀντώνιος. Quam belle haec vertunt! *Choenices: inſtrumenta, quibus Aegyptii ambitum terrarum dimetiuntur. Rarius eſt genus animarum contemplationi deditarum, quam choenicis, quo Aegyptii ambitum terrarum metiuntur. Qualis erat Amus atque Antonius.* Eſtne credibile, viros doctos credere potuiſſe, choenicem, receptiſſimam olim aridorum menſuram, eſſe inſtrumentum, quo menſores Aegyptii terrae ſpatia exploraverint? Ubi vero fontem erroris indagabis? Nempe apud Syneſium, qui in Dione pag. 49. ait: Σπανιώτερον δὲ δήπου τὸ γένος τῶν τοιούτων ψυχῶν, ἢ τὸ τοῦ ΦΟΙΝΙΚΟΣ, ᾧ τὰς περιόδους μετροῦσιν Αἰγύπτιοι. *Rarius autem ſane animarum iſtud, quam Phoenicis eſt, genus, quo Aegyptii temporum circuitus metiuntur.* Hiſce Suidas, aut is potius, unde haec

ex-

excerpsit, nonnulla addidit. Multum debent harum litterarum studiosi Cel. *Wesselingio*, huius monstri domitori. Addamus aliud exemplum. Ἐυμάρεια, ἡσυχία παρὰ Ἡροδότῳ. τȣτο φυγῆς τῷ Ἀννίβᾳ πλεῖστα εὐμάρειαν παρέχει. De Hannibale, ait Noster, eiusque fuga, Herodotus? Nova res prorsus. Credo Polybii aut Appiani esse. Ἐυμαρείην dabit Halicarnassius, cum alibi, tum L. IV, 113. ubi glossator, cuius ex scholiis Lexicon Herodoteum, λέξεις Ἡροδότȣ, conflatum, adposuit Ἡσυχίαν, εὐκολίαν. Hinc, uti saepe, Suidas hausit, una cum Scholiaste egregie aberrans. En aliud. Ἄρπεζον de maceria Herodoteum esse Suidas scribit: Ἄρπεζον· τὸ ἐκ χαλίκων ᾠκοδομημένον τειχίον ἄνευ πηλȣ παρὰ Ἡροδότῳ· οἵτινες ἄρπεζον καλȣσιν. Verum negat hoc Noster, et αἱμασίην quidem hac notione Herodotum adhibuisse, illud vero nunquam, dicit. Graecorum alios ἄρπεζον vocasse; fortasse etiam Iones, quo pertineant, quae Lexicographus in voce αἱμασία. Errori causam praebuisse aut Aelium Dionysium, aut alium Grammaticum: de illo Eustathium ad Homer. pag. 1851. Αἴλιος δὲ Διονύσιος εἰπὼν καὶ αὐτὸς, ὅτι αἱμασία τὸ ἀπὸ τῶν χαλίκων τειχίον, ἐπάγει· ἣν τινες καὶ ἄρπεζον, ὡς καὶ Ἴωνες· δηλοῖ δέ φησι τȣτο καὶ Ἡρόδοτος. Haec quidem indicare videri, ἄρπεζον Herodoto familiare fuisse; sed attentius considerata nihil aliud, quam αἱμασίης, de maceria, ex lapidibus temere congesta, significationem eundem stabilire. In *Cap. VI.* docetur, Libanium saepissime Herodotum imitatum esse, atque ideo huius ope multa ex illo vitia tolli posse. Sic ubi (*pag.* 346. *T. II.*) de Dario narratur, quod illi Τάναρος ἐν Θρᾴκῃ ποταμὸς ἔδοξεν εἶναι κάλλιστος, scribendum est ex Herod. IV, 91. Τέαρος. Nunquam enim hoc nomine in Thracia fluvius. Pro *Saltat. pag.* 489. ȣδὲ γὰρ οἱ τȣς περὶ Μαγάβαζον ἀποκτείναντες ἐν Μακεδονίᾳ: *qui Magabazum interfecerant in Macedonia.* Falso. Legendum: τȣς παρὰ Μαγαβάζȣ, *legatos a Magabazo ad Amyntam Macedonem missos*, ex Herod. V, 20. Et sic saepe alias. Sed sunt etiam non pauca a veteribus ex

Herodoti Musis laudata et advocata, quae aut non in iis reperiantur, aut diverso plane modo legantur. Hoc a Viro Cl. exemplis e Iulio Africano, Stephano Byz., Gellio, Harpocratione, Zosimo, Eustathio, Hesychio, Athenaeo, Plutarcho repetitis, confirmatur. Nos aliquot huc loca transferemus. *Stephanus Byz.* Ἀρτεᾶται, γένος Περσικόν· Ἡρόδοτος πρώτῃ. Nunc evolvamus Herodotum: quid ille? ἔστι δὲ τάδε, ἐξ ὧν ὧλλοι πάντες ἀρτέαται Πέρσαι, Πασαργάδαι, Μαράφιοι, Μάσπιοι. At ἀρτέαται nihil aliud, quam ἤρτηνται. L. V, 31. VI, 109. Latine reddas: *ex quibus omnes alii pendent Persae* etc. *Harpocratio:* Ἀποσάξαντα, ἀντὶ τοῦ Φράξαντα τὸ τρῆμα, καὶ ἀποπληρώσαντα. Ἡρόδοτος ἐν τῇ ἕκτῃ. Suidas, Herodoti nulla mentione facta, haec Dinarcho tribuit, Harpocratione exscripto. Hinc mendi suspicio orta, quoniam ἀποσάττειν in illo Herodoti libro non legitur. At illam dilabi dicit Vir Cl. si in animo habueris cap. 125. πρῶτον μὲν παρέσαξε παρὰ τὰς κνήμας τοῦ χρυσοῦ ὅσον ἐχώρεον οἱ κόθορνοι. Hoc si verum, ἀπέσαξε illum legisse, et reliqua, ab Herodoto alienissima, Dinarchi illustrandi causa addidisse. Clemens Alex. ἀποσεσαγμένοι ταῖς τροφαῖς, *multo cibo farti.* Hoc verbum etiam reddendum esse censet Herodoto IV, 7. ubi, (postquam dictum est, Aegyptios in arida Syriae sibique vicina loca deportasse vasa testacea, aqua referta, in usum peregrinantium.) Persas narratur in Aegyptum per ea loca iter fecisse, κατὰ δὴ τὰ εἰρημένα ἔλξαντες ὕδατι. Potius σάξαντες ὕδατι, ut Archen. cod. et schedae S. Remig. quod idem, ac praecedens πλήσαντες ὕδατος. Sic etiam Lucianus, ἀγγήϊον ὕδατος σεσαγμένον; et Cercidas apud Stobaeum, πῶς ἐνίδοιεν τὰν σοφίαν πέλας ἑστακυῖαν Ἀνέρες, ὧν τὸ κέαρ Πηλῷ σέσακται καὶ δυσεκνίπτῳ τρυγί; ubi Noster πηλῷ sive παλῷ σέσακται interpretatur: vino oppletum est: qua notione praeter alios utitur Tryphiodorus vers. 336. Γαῖαν ἀνεκνισσωσε χυτὴν εὐωδέϊ πηλῷ: ubi male corrigitur ὄνῳ. In *Cap. VII.* afferuntur varia Scriptorum loca, e quibus Herodotus emendatur.

datur. Duobus exemplis contenti erunt Lectores nostri. *Eustathius* pag. 1282. *τοῦτο δὲ ὅμοιόν ἐστι τῷ, ἅμ' ἔπος, ἅμ' ἔργον· ἅπερ Ἡρόδοτος ζηλώσας φησί· ταῦτα εἶπε καὶ ἅμα ἔπος τε καὶ ἔργον ἐποίεε.* Nemo non videt, recte Eustathium adnotasse, esse hoc expressum ex Homerico: *Αὐτίκ' ἔπειθ' ἅμα μῦθος ἔην, τετέλεστο δὲ ἔργον.* Hanc lectionem, quam etiam cod. Vindob. et Arch. confirmat, reddendam esse censet Noster Herodoto III, 135. pro illa *καὶ ἅμα ἔπος τ' εἶπε καὶ ἔργον ἐποίεε*, aut hac: *καὶ ἅμα τ' ἔπος ἔφα.* Idem Eustathius ad Odyss. pag. 1594. *Λέγει δὲ καὶ Ἡρόδοτος· οὗτος μὲν ὁ λόγος ἄλλως πέπαισται ὑπὸ Ἑλλήνων.* Horum verborum si veram sedem investigare velimus, attendendum est ad lectionem Vind. et Arch. cod. IV, 77. *οὗτος ὁ λόγος ἄλλως πέπαισται, per ludum iocumque a Graecis narratum fuit*, pro vulgato *πέπλασται.* Atque huius verbi usum adstruit Vir Cl. e Platonis Phaedro pag. 278. B. et Symposio Plutarchi pag. 740. A. Eodem denique libro ab Herodoto commemorantur cap. 106. et 107. Androphagi et Melanchlaeni, additurque: *ἀνδροφαγέουσι δὲ μοῦνοι τούτων.* Primum monet Noster, Eustathium in Dionys. Perieg. v. 309. et MSS. *ἀνθρωποφαγέουσι* praeferre, idque in Strabone et Philostrato reperiri; deinde haec de esu carnis humanae falso Melanchlaenis tribui dicit. Nam si soli hominum carne pasti essent, unde Androphagis nomen hoc inditum? potius a librario male ordinem verborum mutatum, et scribendum esse: *Ἀνδροφάγοι — ἐσθῆτα — γλῶσσαν δὲ ἰδίην· ἀνθρωποφαγέουσι δὲ μοῦνοι τούτων. Μελάγχλαινοι κ. λ.* In *Cap. VIII.* agitur de Latina *Laurentii Vallae* versione. Errasse quidem saepe Vallam, deceptum codicis sui scriptura, saepe ingenii vires non bene intendentem; sed et condonanda haec esse difficultati negotii, nec omnium culpam ipsum praestare debere. Schedas, quas inter vertendum usurpaverit, fuisse mutilas multis partibus. Plurima praeterea in Laurentiana versione abscondita latere, unde sanitas, verusque Herodoto color reddi possit. Hoc pluribus exemplis a Nostro probatur.

Herod. I, 193. εὖ εἰδὼς ὅτι — καὶ τὰ εἰρημένα καρπὸν ἐχόμενα ἐς ἀπιςίην πολλὴν ἀπῖκται. Valla: *Probe sciens — quae de frugiferis dicta sunt, perquam incredibilia visum iri*. Haud dubie, ut etiam alii cod. habent, legit καρπῶν ἐχόμενα. Probat hoc, et vulgatum vitio laborare dicit Vir Cl. cui καρπῶν ἐχόμενα sunt *fructus, res frugiferae*, ut in aliis locis σιτίων ἐχόμενα, ἰχθύων ἐχόμενα etc. L. III, 79. Δαρεῖος δὲ πυθόμενος ὦσε τὸ ἐγχειρίδιον. Valla: *cui Darius obtemperans pugionis ictu* etc. Habuit, ut duo quoque codd. πειθόμενος, quod Herodoti Noster esse arbitratur. Ibid. c. 130. Ἑλληνικοῖσι ἰήμασι χρεώμενος, καὶ ἤπιά μετὰ τὰ ἰσχυρὰ προσάγων. Valla: *Graecis medicamentis utens, et lenia post acria admovens*. Patet hinc, illum legisse καὶ ἤπια μετὰ τὰ ἰσχυρὰ, quibus codd. consentiunt. Haec lectio illi melior videtur, atque si attentius historiae seriem consideres, prope est necessaria. L. IV. c. 111. ἐκ δὲ τῆς μάχης τινὰς τῶν γυναικῶν ἐκράτησαν οἱ Σκύθαι, καὶ οὕτω ἔγνωσαν ἐούσας γυναῖκας. Valla: *Sed commissa cum illis pugna, potiti cadaveribus earum, ita demum noverunt feminas esse*. Praeclare, addit Vir Cl. Τῶν νεκρῶν ἐκράτησαν fuit olim, et esse oportet. Ipsam historiam lege. Consentiunt plures codd. L. VII, 223. de Graecis, summa vi in barbaros impetum facientibus: παραχρεώμενοί τε καὶ ἀτέοντες. Valla: *ingruentes ac sese intrudentes*. Recte Portus coniicit, illum ἀττέοντες invenisse, ut etiam cod. Arch. habet. Hesych. Ἄττοντες, ὁρμῶντες, πηδῶντες: Iones autem ore suo ἀττέοντες, ut μηκυνέων, ἀγγελέων, etc. Sed haec sufficiant: plura qui velit, ipsam dissertationem evolvat. In *Cap. IX.* de schedis Mediceis primo loco Auctor exponit. Etsi autem fatetur, codicem illum Florentinum, quem Gronovius fere superstitiose veneratus est, egregiam operam praestitisse, neque tamen omnes uni postponendos esse censet, multa igitur profert, in quibus ille aut deficit, aut errat. L. I, 32. Solon de homine, quem beatum opinatur: Ἄπειρος δέ ἐςι, ἄνουσος, ἀπαθὴς κακῶν, εὔπαις, εὐειδής—. Ἄπειρος non dicitur, nisi alia voce adiuncta, ut ἀγαθῶν, κακῶν,

κῶν, νόσων, et sic porro. Si cum Stephano vertas *expers malorum*, idem erit ac ἀπαθὴς κακῶν. Alii iam coniecerunt ἀπηρὸς, *membris integer*, quae lectio duobus codd. Vatican. confirmatur. Idem mendum inhaeret Libanio, *Orat.* 32. *pag.* 665. ἡ γὰρ ἐδὲν ἐγίγνετο ἂν ἢ κομιδῆ τινα εὐαρίθμητα, ἐδὲ αὐτὰ ἄπειρα. Noster emendat ἄπηρα, et interpretatur: *aut nihil nasceretur, aut profecto exiguo numero, neque ea omnibus membris integra.* Ibid. c. 88. Croesus Cyro πόλιν τε τὴν σὴν διαρπάζει, καὶ χρήματα τὰ σὰ διαφθορέει. Alii codd. habent διαφορέει, id quod Vir Cl. probat: rapiebant, agebant, ferebantque res Cyri. Ibid. c. 133. de Persarum epulis σιτίοισι δὲ ὀλίγοισι χρέωνται, ἐπιφορήμασι δὲ πολλοῖσι καὶ ἐ καλοῖσι. Placet Gronovii emendatio ἐκ ἁλέσι: etsi, quid hoc sit, explicare neglexit. Noster interpretatur: *cibis autem utuntur paucis, bellariis multis, sed minime confertis.* Multa enim in mensam intulisse bellaria, verum non confertim omnia. Hoc verbum etiam restituendum esse fragmento Hesiodi apud Strabonem:

> Τὲς ῥά ποτε Κρονίδης Ζεὺς ἄφθιτα μήδεα εἰδὼς
> Λεκτὲς ἐκ γαίης ἀλέας πόρε Δευκαλίωνι.

Ἀλέες enim hoc loco nihili esse. L. II, 141. cod. Med. ὥστε τῇ ὑστεραίῃ φευγόντων σφέων γυμνῶν ἀνόπλων πεσέειν πολλές. Usum loquendi postulare: γυμνῶν καὶ ἀνόπλων, ut Plutarch. ἢ δοτέον τὰ νῶτα, γυμνοὺς καὶ ἀνόπλες ἀπιόντας. Verum reniti cum Aldo plures membranas, non sine ratione γυμνῶν ὅπλων praeferentes, ut Xenoph. μηδαμῇ τοῖς πολεμίοις γυμνὰ ὅπλων τὰ σκευοφόρα φαίνεσθαι. L. III, 154. ἄλλῳ μὲν ἐκ ἐφράζετο ἔργῳ δύνατος εἶναί μιν αὐτοχειρίη ποιῆσαι. Neutrum esse sine menda: hoc esse, *sua manu aliquid absolvere,* ut αὐτοχειρίῃ κτείνειν; illud quod attineat, desiderari loquendi genus, quo πόλιν αὐτοχειρίην ποιῆσαι, positum sit de urbe, in suam aut alterius potestatem redacta. Usum postulare ὑποχειρίην ποιῆσαι, ut codd. habeant. L. VI, 8. σὺν δέ σφι, καὶ Αἰολέων, ὅσοι τὴν Αἰολίδα γῆν νέμονται: ait se non intelligere, quid haec ultima

ultima sibi velint, cum praeter Aeoles nulli terram Aeolidem coluissent. Duos codd. habere ὅσοι τὴν Λέσβον νέμονται, atque hanc veram esse lectionem. Ipsum in navium catalogo tantum Lesbios, nullos Aeoles, recensere: esse porro L. I, 151. inter Aeolicas civitates insulares, αἱ τὴν Λέσβον νέμονται: Stephanum Byz. denique dicere: λέγονται καὶ οἱ τὴν Λέσβον οἰκοῦντες Ἀιολεῖς. L. VIII, 22. ὑμέες δὲ ἔτι καὶ νῦν ἐκ τοῦ μέσου ἕζεσθε καὶ αὐτοὶ καὶ τῶν Καρῶν δέεσθε τὰ αὐτὰ ὑμῖν ποιέειν. Sched. Ask. ἐκ τοῦ μέσου ἕζεσθε, quod Nostro Herodoteum videtur: est illi ἐκ μέσου ἕζεσθαι, rei se non immiscere, et adeo e medio eius quasi sedere. Ita L. VIII, 73. αἱ λοιπαὶ πόλις — ἐκ τοῦ μέσου ἐκατέατο: et mox ἐκ τοῦ μέσου κατήμενοι: adde III, 83. IV, 118. Sed de hoc genere hactenus. Obiter multi Scriptores a Viro Cl. emendantur in hoc capite, ut Libanius, Basilius Seleuciensis, Arrianus, Philo, Athenaeus, Lucianus, Porphyrius, Proclus, alii. Praeterea adnectuntur plura Ionicae dialecti verba, neglecta in editionibus Herodoti, illique restituenda. Atque idem hoc agitur in *Cap. X.* Notum illum locum Hermogenis de Form. Orat. L. II. pag. 513. non mixtum ex variis characteribus dicendi genus Herodoto tribuere, sed διάλεκτον ποικίλην, sive multis orationum figuris et numeris distinctam. Verum esse ait illud Dionys. Halic. Ἡρόδοτός τε γὰρ τῆς Ἰάδος ἄριστος κανών: sed statim subiungit: *Talis erat, quantum mutatus ab illo Hectore!* Addamus exempla aliquot. L. VI, 107. ὡς δὲ οὐκ ἐφαίνετο οἱ ὁ ὀδοὺς, et paullo post ὁκόσον — ὁ ὀδοὺς μετέχει. At Iones dicunt ὀδὼν, ut codd. etiam praeferunt, et Eustathius testatur, Ἰωνικὸν δὲ φασιν ὁ ὀδών. Ionum est κῶς pro πῶς. Reddendum igitur hoc, suasu cod. III, 155. κῶς οὐκ ἐξέπλωσας τῶν φρενῶν. L. VI, 89. ἐν ᾧ ὦν Κορινθίων ἐδέοντο χρῆσθαί σφι νέας. Codd. habent χρῆσαι, quod est a manu Herodoti, qui III, 58. ἐδέοντο τῶν Σιφνίων δέκα τάλαντά σφι χρῆσαι. Paucis interiectis: Ἀθηναίοισι διδοῦσι δεομένοισι εἴκοσι νέας, διδοῦσι δὲ, πενταδράχμους ἀπο-

ἀποδόμενοι. Iniuria displicet illis, qui πενταδράχμȣ praeferunt. Sic Epigramma apud Diophantum:

Ὀκταδράχμȣς καὶ πενταδράχμες χόεας τὶς ἔμιξε,
Τοῖς προπόλοισι πιεῖν χρῆς' ἀποταξάμενος.

Etenim adiectiva sunt, aliis verbis nexa. Hoc neglectu corruptus est Theocritus Id. 15, 19. Ἑπ7ὰ δραχμῶν κυνάδας. Aldus, et alii, melius: Ἑπ7αδράχμως κυνάδας κ.λ. L. IX, 52. ὁ δὲ Παυσανίης τε καὶ Εὐρυάναξ — δεινότερον δ' ἔτι, κείνȣ ταῦτ' ἀναινομένȣ, ἀπολιπεῖν τὸν λόγον. Euripideum ȣ̓κ ἀναίνομαι, hanc lectionem non defendere Nostro videtur. Cod. Arch. κείνȣ ταῦτα νενωμένȣ, *illo ita apud animum suum statuente*, e vetere dialecto esse. Hesych. νένωται, ἐν νῷ ἔχει, et Etym. ὁ δ' ὑψηλὰ νενώμενος. Ipse Herodotus I, 77. ἀλίσας δὴ τȣ́τȣς — ἐνενῶτο κ.λ. et c. 68. ὁ δὲ ἐννώσας τὰ λεγόμενα. In *Cap. XI.* pluribus Graecis Scriptoribus vitia a Nostro deterguntur, ut Plutarcho, *de Sollert. Animal. pag.* 985, ubi narratur fabula de delphinis, Byzantii sagena captis, et beneficio Coerani, domo Parii, dimissis, eidemque in naufragio gratiam referentibus: ὀλίγῳ δὲ ὕστερον ἔπλει, πεντηκόντορον ἔχων, ὥς φασι, λῃστῶν ἄνδρας ἄγȣσαν· ἐν δὲ τῷ μεταξὺ Νάξȣ καὶ Πάρȣ πορθμῷ τῆς νεὼς ἀνατραπείσης καὶ τῶν ἄλλων διαφθαρέντων κ.λ. Haec Aelianus *Hist. Anim. VIII*, 3. ad verbum fere excerpsit: ἔπλει γȣ̃ν πεντικόντορον ἔχων, ὡς λόγος, Μιλησίȣς τινὰς ἄγȣσαν ἄνδρας· ἐν δὲ τῷ μεταξὺ τῆς Πάρȣ πορθμῷ τῆς νεὼς ἀνατραπείσης κ.λ. Ex his apparere dicit Vir Cl. Aelianum in Plutarcho invenisse Μιλησίων ἄνδρας, meliore sententia; et Plutarchum vicissim ostendere, Aelianum olim habuisse: ἐν τῷ μεταξὺ Νάξȣ καὶ τῆς Πάρȣ πορθμῷ, quod et rei, et sermonis series, requirat. Adiungere Plutarchum, Coeranum a delphinis ἐξενεχθῆναι τῆς Σικύνθȣ κατὰ σπήλαιον, quo nomine cum nulla maris Aegaei insula fuerit, legendum esse Σικίνȣ, quae insula inter Cycladas a Paro et Naxo non longe disiuncta. Sed redimus ad Herodotum I, 194. μάλιστα δὲ βίκȣς φοινικηΐȣς κατάγȣσι οἴνȣ πλέȣς, *sed maxime dolia ex palmis vino onusta*

 defe-

deferunt. At, scribit Vir Cl. cur dolia ex palmis? an quia laetissime ista arbor illorum in solo surgebat? Atqui et aliae exuberabant. Verius erit Φοινικηΐς — οἴνε πλέες, *palmularum vino*, ut Valla. Ipse paullo ante docuit, ibi vinum e palmis fieri, memoravitque II, 86. τὸν Φοινικήϊον οἶνον, et III, 20. Φοινικηΐε οἴνε κάδον. L. II, 162. ἐδένα λόγον αὐτῷ δόντα, ἀλλὰ περιθύμως ἔχοντα, περιταμεῖν προστάξαι κ. λ. Non haec recte monet verti: *nullo verbo edito, ira percitum praecidi aures nasumque iussisse;* sed regem potius minime rem secum reputasse, verum ira abreptum iussisse. Quemadmodum igitur III, 25. ἔτε λόγον ἑωϋτῷ δὲς, et VI, 86. ἐμεωϋτῷ λόγες ἐδίδεν: ita et hic legendum: λόγον αὐτῷ sive ἑωϋτῷ δόντα. L. III, 97. ἔτοι οἱ Αἰθίοπες καὶ οἱ πλησιόχωροι τέτοισι. σπέρματι μὲν χρέωνται τῷ αὐτῷ, τῷ καὶ Καλαντίαι Ἰνδοί. Memorabilene est, dicit Vir Cl. homines, licet longo locorum spatio seiunctos, eodem semine uti? Exspectaveram signatius aliquid a scriptore in minimis etiam sollerte et curioso. De semine porro, quod in Calantiarum usu, nihil usquam. Verum c. 38. Ἰνδῶν τὲς καλεομένες Καλλατίας, narrat, τὲς πατέρας ἀποθνήσκοντας κατασιτεῖσθαι. Idem Herodotus Aethiopibus tribuisse Nostro videtur, atque ideo scripsisse: ἔργματι μὲν χρέωνται τῷ αὐτῷ τῷ καὶ Καλατίαι (sic cum Steph. Byz. cod.) Ἰνδοί· *eodem defunguntur facinore quo* — Ἔργματα καλὰ sunt in Perictiones fragmento; et apud Euripid. Μέλεος ἐχθίςων θεόθεν ἐργμάτων. Ibid. c. 72. refert, Leutichidem in expeditione Thessalica peculatus manifestum fuisse: ἐπ' αὐτοφώρῳ δὲ ἁλὲς αὐτε ἐν τῷ ςρατοπέδῳ, ἐπικατήμενος χειρὶ διπλῇ ἀργυρίε, ἔφυγε ἐκ Σπάρτης. Vix Graecum videri χειρὶ ἀργυρίε, de manu argentum complexa; et, si haec lectio vera, exiguum illud fuerit, oportere, quod utraque manus contineat: at multum fuisse, ἐδωροδόκησε ἀργύριον πολὺ, indicat. Legendum ἐπικατήμενος χειρίδι πλέῃ ἀργυρίε, *insidens manicae argento plenae.* In *Cap. XII.* probat Cl. *Wesselingius*, vere Solonem, Atheniensium legislatorem, cum Croeso collocutum fuisse,

fuiſſe, neque temporum rationem huic hiſtoriae repugnare. Ultimo loco examinantur variae virorum doctorum opiniones, de forma anni in oratione Solonis ad Croeſum. Verum haec ſufficiant.

ROBERTI LOWTH, A. M. COLL. NOVI SOCII, et Poeticae Publici Praelectoris, de ſacra Poeſi Hebraeorum Praelectiones Academicae Oxonii habitae. Subiicitur Metricae Harianae brevis confutatio, et oratio Crewiana. Notas et Epimetra adiecit IOANNES DAVID MICHAELIS, Philoſ. Prof. Ord. et Societ. Reg. Scientiarum Göttingenſis Collega. PARS PRIOR.

Göttingae, ſumtib. Pockwitzii et Barmeieri, 1758. 1. Alph. octonis.

In argumento utiliſſimo iuxta et amoeniſſimo, de Sacra Hebraeorum Poeſi, pertractando, cum feliciter deſudasſet *Lowthus* libro hoc eximio, quem in Actis Noſtris A. MDCCLIV. pag. 644—651. laudavimus; ad eundem perpoliendum et exornandum ea nunc contulit Cl. *Michaelis*, ingenii copiis non par ſolum Lowtho, ſed etiam ſuperior, ut ei plurimae debeantur gratiae partim ab elegantiae poeticae acutis ſpectatoribus, partim ab interpretationis rectae librorum V. T. divinorum ſtudioſis. Nam quod in Lowtho lectores illius ſinguli laudarunt, poetam optimis Graecorum Latinorumque litteris excultum de poeſi Hebraica dicere, nec grammaticum tantum agere, (quamvis et ad hanc ſpartam tuendam apprime idoneum,) ſed ſenſu pulchritudinum orationis poeticae vehementer adfectum, eundem aliis quoque, ut intelligere et admirari vates divinos commoto animo poſſint, impertire; eaedem inſunt in hoc Editore noſtro, ſpectatae iam pridem, laudes. Deinde, quam ratione ductus deſiderat in Lowtho Michaelis, Arabicae Syriacaeque linguae, ſine quibus Hebraica ultra

 medio-

mediocritatem intelligi nequeunt, penitiorem cognitionem, qua cum careret, Hebraica nonnunquam minus recte explicavit, ubi pulcherrimos ſenſus fundunt, novas praeter neceſſitatem molitus eſt lectiones, ſive textus, ſive vocalium, carminaque Hebraica cum Graecis quidem et Latinis, numquam cum illis contulit, quibus, ut coelo et lingua, ita ingenio coniunctiſſima ſunt, Arabicis: ea igitur Noſtro locupletisſima adfuit. Noluit autem pro more noſtrorum hominum Germanice verſas prodire has praelectiones, quod intelligeret, paucos ex his qui compendiaria et meritoria eruditione contenti ſunt, Lowthum lecturos; contra ex eruditis eo nomine dignis paucos fore, qui libro in ſuo genere unico carere velint: ut alia omittamus. Ipſum ſe ſecundae harum praelectionum, vertente A. MDCCXLI. interſuiſſe, Lowthum vero A. MDCCLVI. fatis concesſiſſe, memorat.

Ac licet nemo facile, niſi puſilli ingenii homo, quaeſierit, quid proſit de poeſi Hebraica ſcriptus liber; tamen ea de utilitate diſſerentem Noſtrum ingenioſe, ut ſolet, libenter legimus. Summa huius diſputationis haec eſt. Intereſt cauſſae Dei et religionis, ut vere de poeſi Hebraica ſentiatur. Non quidem, ut ex verborum elegantia poeticaque divinitate dictionis, propriam et veram divinitatem litteris ſacris, ut Corano olim ſuo ex inimitabili poematis pulchritudine Muhammedes, adſeramus: eſt enim totum hoc defenſionis genus valde lubricum. Neque laboraret Dei cauſſa, ſi mediocria eſſent aut humilia, univerſa poemata ſacra. Nam et humilibus ſua laus eſt, inque concitandis ipſa ſimplicitate adfectibus, praeſtantia. Praeterea in divinae voluntatis interprete, cui, ut manum litterarumque ductus, ita ſuum ingenium, dictionique colorem reliquit Deus, ut indelebili nota vera eius ſcripta a ſpuriis dignoſci posſint, non elegantia ſpectatur, non delectatio quaeritur, ſed integra ſententiarum veritas. Quid ergo, inquies, rei ſacrae refert, qualia ſint carmina Hebraica? Multum vero! Plerique enim ex hoſtibus ſacrorum, non

ſimpli-

ſimpliciter inſcientia eo deveniunt, argumentorumve fallacia victi, ſed alii peccandi libidine tales exſtitere, alii contemtu eorum, qui divini feruntur, librorum, et adfectatione ſapientiae non vulgaris. Cum ergo videant rideri libros ſacros et exſibilari ab aliis, aut malis aut ignaris, multaque in illis, quales lingua noſtra leguntur, non poſſe non displicere: pudet, divinos habere, et argumenta contra eos conquirunt, ioco tamen potius utentes, quam dubitatione vere philoſophica. Quibus conſuli forte posſit, ſi penitius illis pulchritudo poeſeos biblicae ſpectanda praebeatur. Sed male hic rem agere ſolent theologi, non ſcientiae culpa, ſed quia paucis, ut inter reliquos mortales, ita et ex theologis, contigit, ingenio poetico naſci. Plus etiam interpreti ſacrarum litterarum accuratior poeſis Hebraicae cognitio praeſtabit. Mirum videri posſit, cum magna pars codicis Hebraici omnium confesſione poetica habeatur, vaticinia praeterea prophetarum pleraque multo rectius ad poeſin quam ad ſolutam orationem referantur, ad interpretationem Vet. Teſt. plerumque accedere homines, qui nulla unquam litterarum elegantia, nulla, poſtquam ex ephebis egresſi ſunt, poetarum graecorum, latinorum, patriorum conſuetudine ingenium ſeverius exhilararunt; aliquos etiam eorum tam eſſe impudentes, ut rem unam omnium difficillimam adgrediantur, leges ut condant hermeneuticas, earumque inſtitutiones ſcribant. Ab his poſtea vehementer pueriles interpretationes locorum poeticorum proferri neceſſum eſt. His proderit forte Lowthum legiſſe, atque ab illo imbui guſtu aliquo poeſeos Hebraicae. Fortaſſe etiam ſtilus eccleſiaſticus orationum ſacrarum et precum, tumoris minus habiturus erat, plus ſanae rationis, poeſi Hebraica paullo melius intellecta. Nec vero ad ſolos pertinet theologos Lowthi liber; nemo illum, qui litterarum elegantia atque etiam vernacula poeſi delectatur, a ſuis alienum exiſtimare ſtudiis debet. Multa quippe oſtendit poeſis Orientalis, noſtris quoque poetis feliciter imitanda.

His addit Cl. Editor suam de eloquentia Hebraeorum sententiam. Sunt qui ex laudibus poeseos Hebraicae colligunt, eandem gentem et eloquentiae gloria floruisse: inprimisque admirantur Iesaiam, quo fervidiorem oratorem nasci posse negant. Sed valde rudem ipsiusque nominis eloquentiae ignarum esse oportere pronuntiat Noster, cui Iesaias ut orator placere possit. Neque tamen mirandum est, confundere multos in hoc vate poeticam cum oratoria facultate. Eloquentia enim vix ulla inter nos superest: nulla illius incitamenta, exercitationes aut praemia. Academicas certe orationes ineptus sit qui fulcra eloquentiae dicat. Aliquanto rectius oratores sacrorum hic excitari possent; sed plerique horum doctores potius atque praeceptores et sunt et esse debent. Alienum est eorum institutum omne a vera eloquentiae forma, iique adeo ex illis, qui nostra aetate eloquentes habeantur, veri oratores non sunt, cum vel luxuriem et naevos orationis non satis castigent, vel delectent potius eleganti dictione quam ut moveant. (At nobis videntur tamen fuisse in illis ab utroque vitio immunes, quamvis paucissimi.) Iam autem Hebraeis nullam omnino eloquentiam fuisse, aut in illa gente fuisse sperandam, inde potissimum docet Cl. *Michaelis*, quod vix videatur extra liberam civitatem, florentem diu ac beatam, omnibusque litteris ita cultam, ut oratorem comtum etiam et elegantem cives intelligant, oritura eloquentia. Libertas enim ipsi et materiam in qua versari queat, prosternet, et maius congregabit auditorium, quo et accenditur orator, et sine illo esse omnino nequit, et coget viros prudentes patriaeque amantes, de republica ita ad cives dicere, ut erudiant omnes ac moveant; sed sensim demum in libero et docto populo suae addentur oratori virtutes. Ostendit autem Vir Cl. eundo per priores periodos historiae Iudaicae, numquam gentis huius conditionem talem fuisse, ut nasci in ea verus orator potuerit.

Huic

Huic oratorum et eloquentiae defectui tribuit, quod periodorum conformatione et artificio universa lingua Hebraica caret: quod ita peculiare Hebraeis est, ut Hebraica quantumvis pure et eleganter Graece reddita, barbarum tamen quid Graecis auribus sonent, nisi totus orationis habitus mutetur. Est tamen in quo defectum eloquentiae Hebraeis gratulandum censet, utpote illis scriptionis vitiis carentibus, quae apud Graecos et Latinos nimia eloquentiae admiratio peperit. Horum quippe historici vel optimi fictas aut supra modum ornatas orationes narrationibus suis intexunt, periodorum ea conformatione, qua nemo privatus utitur, nemo ex tempore dicens, eo saepe verborum delectu et ornatu, ut a reliquo historici stylo extemporanea oratio ducis, aut alius magni viri, multum distet. Unde etiam saepe accidit, ut minus, quam possent, tales historici delectent, eoque ipso fructu, quem mendacio elegantiore quaesiverant, destituantur. Hebraei contra in narrandis aliorum verbis testium pene religionem suscipiunt; ut vel Iosepho, eadem Graece scripturo, quae illi Hebraice, opus fuerit multa confingere, ubi verba aliorum refert, sententiisque ex tempore dictis Graecae orationis conformationem, ambitiosioremque ornatum largiri.

Haec ex Praefatione: quam patet non in minimis novae huius Editionis ornamentis ponendam esse. Promenda nunc sunt Annotationum specimina; ubi tamen parciores erimus in excerpendo, quam illarum varietas et elegantia poscere videtur. Nam prolatis non multis, satis laudaverimus universas, neque id agimus, ut Lectores nostri, ubi ipsam editionem hanc inspexerint, praerepta sibi iam omnia intelligant. Nota III. observatur, non divinae originis fuisse poesin Hebraicam, sed omnino humanae, natam sine dubio inter saltantium choros, non semper pios, cum motum corporis canticis, haecque illi accommodarent. Nota IV. corrigitur nonnihil Lowthus in

in iis, quae de anomaliae licentiaeque poeticae Hebraeorum exemplis dixerat. Litteras paragogicas ו et י pronomina redundantia oſtendit eſſe Vir Cl. cuius generis pronomina, ſed ſecundae perſonae, apud Arabes frequenter in omni ſcriptionis genere abundent, ut vel opus habeant pro, *hic eſt liber*, dicere: *hic tibi eſt liber;* ſimiliterque Chaldaeos pro *hi* ponere אלך *hi tibi.* Hebraeos contra pleonaſmo pronominis primae aut tertiae perſonae in carminibus adſueviſſe, qui ſi plebeium quid nobis ſonet, eo referendus ſit, quod plebeia aliqua et poetica congruant. Obſervat porro, jod verbis ſecundae perſ. fem. ſing. praet. additum, (קטלתי *occidiſti,*) nec mendum ſibi videri, nec poeticum, ſed merum Chaldaiſmum, uſitatum quippe Ieremiae et Ezechieli, qui ſub Chaldaeis vixerint, ignotum aliis, qui plus quam hi poetae ſint. Nempe et Chaldaeos Syrosque et Arabes J addere ſecundae femininorum (Katalti); idque et Hebraeos antiquitus feciſſe, argumento eſſe formam huius perſonae ante pronomina ſuffixa, omiſſum autem diu Hebraeos reſtituiſſe, uſum victoris populi imitantes, cum Chaldaei rerum potirentur. Eadem nota de metro Hebraico dicit. Diſtinguit *duplex metri poetici genus*, adſtrictius et liberius, utrumque ab oratorum numero tam diverſum, quam eſt ab ambulatione ſaltatio. *Adſtrictius*, in quo ſyllabarum pedumque menſura per totum carmen eadem decurrat, eosdem numeros habentibus verſibus, hoc quidem negat Hebraeis; concedit autem *liberum*, verſus habens cum brevitate ſonoros, muſicis poeticisque pedibus conſtantes, qui tibiae ſaltationibusque facile accommodentur, ut cantando atque a ſaltantibus recitati perfectum carmen videri potuerint.

Nota V. docet, puncta vocalia, ſi ad illas exigantur leges, quas nonnulli fingunt, omni omnino metro linguam Hebraicam ineptam facere. Certe ſi aequalia ſunt omnium ſyllabarum tempora, quod volunt, qui tres moras

ras cuivis ſyllabae tribuunt, non modo metrum, ſed et ipſe orationis numerus excludetur. Hae vero leges quam vanae ſint, ita evincit Noſter, ut ſimul illam vocalium longarum breviumque rationem non eſſe antiquiſſimam, ſed a nimia Maſoretharum diligentia profectam, ſatis probabiliter oſtendat. Verborum משל et חידה etyma Nota VIII. inveſtigat Cl. Editor, eodemque loco de aenigmatibus veterum quaedam monet. Quae Nota XIII. ad carmen Lamechi Gen. IV, 23. 24. diſputat, ſatisfacient, credimus, loci illius lectori; quae autem ſuperaddit hiſtoricorum carminum veſtigia alia, Geneſ. III, 24. et X, 9. obvia, erunt quibus haec obſcuriora videbuntur.

Perplacuit nobis Nota XVII. et omnibus placituram confidimus. Nam ea nimiae inſolentiae et audaciae crimen, poetis Orientalium obiectum, ſi non totum refellit, minuit tamen, et quaſi diluit. Eſt et proſae orationi, quod monet Noſter, ſua per omnes populos, tamquam *lingua metaphorica*, certis comparationibus frequentius utens, ut illi loco tamquam propriae fiant, in duplex illa genus diſpertienda, *oratorium* et *plebeium*. Haec duo genera cum ſua faciunt poetae, multo ſolent gerere ſe audacius, ac tamquam iactare, quam in ſuis: ſuntque inſolentiores etiam in plebeiis quam in oratorum figuris. Hoc ergo cum in aliis metaphoris orientales poetae faciunt quam noſtri: audaciores, quam ſunt, nobis videntur, non recordatis, idem a noſtris poetis in aliis metaphoris committi, in quibus uſu quotidiano ita iam occalluimus, ut minus novitati orationis timeamus. Sed accedunt tertio loco eae metaphorae, quas oratorum vitaeque communis uſus refugit, contra non poeta aliquis aliquando carmini ornando adhibuit, ſed lingua poetica tamquam ſuas et conſuetas ponit. Imitando autem fit, ut poetica metaphora in dies fiat audacior, donec tandem aut in tumorem abit, aut nimio ornatu laborat, aut a magno poe-

ta, ſimpliciore et iam pene obſoleta metaphora denuo utente, ac redivivae novitatis gratiam habente, illuc reducitur unde divagata e at. Eſt ergo et poetica imitatio in cauſis numeranda, quibus fit, ut carmina Orientalium, gentium denique omnium, quibuscum non multum nobis intercedit commercii, paullo inſolentiora quam ſunt videantur; quod nos in aliis metaphoris audemus, idem illis in aliis facientibus, in quibus nos timidiores ſumus. Sed ab interpretibus etiam poetarum orientalium repetenda eſt pars magna accuſationis in horum dicendi genus, quaſi tumidum, natae. Nempe illi contra quam eſt boni interpretis, etyma vocum non raro in verſione exprimunt, adeo obſoleta, ut nec auctor, nec qui linguam cum lacte matris imbiberant auditores, illorum recordarentur, quando verbum in ſignificatione ſecundaria ponebatur: aut ſi hoc non committunt, vocem tamen tropice pro communi uſu linguae poſitam, in qua iam nihil nec ſublimitatis, nec elegantiae, proprie reddunt, quo fit, ut pro tropo legamus metaphoram, ſine dubio inſolentiorem, nimioque ornatu poema obrutum laboret.

Nota XVIII. de metaphoris ab herbis arboribusque deſumtis a poetis Hebraeorum dicitur. Ad Pſ. LXVIII, 31. quaedam recte monentur Nota XXI. Longior eſt quae hanc ſequitur et lectu digna in primis Obſervatio, a pag. 111—117. de imagine rivorum et fontium, terraeque larga pluvia recreatae, frequentiſſima orientalibus poetis. Penuria quidem aquae, aeſtusque intolerabilis, et mira ipſius arenae fertilitas et luxuries, ſi rivulo rigatur, pulchriorem et iucundiorem Orienti, quam nobis eſt, illam comparationem facit. Maior illic morientis ſiccitate naturae triſtitia, et reviviſcentis amoenitas ſpectatur. Unde millenae ſimilitudines, aut inſolitae nobis et audaces, aut quae apud Orientales propriam habent ſignificationem. Sed ipſa Annotatio legenda eſt. Commendanda eſt item XXV. quae de imaginibus illis poetarum

rum Hebraeorum tradit, quas a vitiis hominum petitas ad res non turpes ſolum, ſed et laudabiles et honeſtiſſimas transferunt: quo in genere multo frequentius et audacius noſtris poetis ebrietatis et impurorum amorum pleniore pictura uti ſolent. Exempla metaphorarum, quae videntur ex erroribus ductae, Nota XXXIV. proponuntur. פחים Pſ. XI, 6. Nota XL, et Nota proxima ventus זלעפות l. c. explicatur. Graviſſimarum calamitatum cum excidio Sodomae comparatio, Nota XLII. illuſtratur. Multa inprimis ex Nota XLIV. quae picturas poeticas Pſalmum XVIII. exornantes perſequitur, depromi poſſent. Sed properamus ad Epimetron Praelectioni Nonae Lowthianae ſubiectum ab Editore Clariſſimo.

Agit hoc de Imaginibus ex fabula poetica petitis ab Hebraeis, a pag. 181 — 204. quas quidem imagines intactas reliquit Lowthus. Non indignae hae fabulae poemate ſacro ſunt, utpote quibus nemo unquam, ut proprio ſenſu acciperentur, ſed ut veras ſententias ſenſibus ipſis obiicerent, uſus eſt. Hic vero inexſpectata cernitur fabularum Hebraicarum cum Graecis Latinisque convenientia, quae ex communi utrarumque fonte, Aegypto, derivanda videtur. Igitur fabulam de ſole mari immerſo, nocturno ibidem hoſpitio excepto, amoribusque per noctem etiam indulgente, familiarem Hebraeorum poetis eſſe, vel Pſ. XIX, 5. 6. oſtendit. Iisdem equos tonantes, nimirum Cherubos eſſe, alibi docuit Noſter. Fabulam de tempore aureo adoptavit Ieſaias tribus vaticiniis, in quibus regnum Meſſiae iisdem fere coloribus deſcribit, quibus Virgilius in Ecloga IV. felicitatem Romae ſub Auguſto: Cap. II, XI. LXV. LXVI. ut adeo ineptisſimi ſint interpretes, myſtice vel proprie haec explicantes. Sed praecipue de beatorum inſulis, et fluminibus inferorum, diligenter diſputat Vir Cl. ut, ſi vel maxime ei neges quaedam harum fictionum apud Hebraeos exem-

pla, imo in omnibus dubitationis aliquid inhaerere credas, quod nos non facimus; tamen utile dulci mixtum esse in hac commentatiuncula, a pag. 193 — 204. agnoscas. Fabulae omnis originem ad Aegyptum refert merito. Vestigia autem illius in Vet. Test. haec invenisse sibi videtur: Ps. XC, 10. quem locum vertit:

Fugientes nostri anni, aerumna sunt dolorque:
Traiicit festine *(stygia cimba)*, et avolamus.

Porro Deut. XXX, 11. 12. 13. coll. Rom. X, 7. inprimis vero Iob. IX, 25. 26. XI, 16—18. XXIV, 18—21. Postremi loci, quem reliquis illustriorem dicit, hanc suam versionem:

Celerrime vehitur aqua:
Ager eius in terra, maledictus est.
Non vertit se in viam ad vineas;
Ariditas et aestus niveas illi furantur aquas.
Peccavit inferis!

ita explanat: „Celerrime cimba vehuntur Acherontia, ac tum demum portio eorum in terra ferae maledictioni subiecta est. Non vero in beatos hortos illis ingressus datur: non vertent se ad vineas, seu nobiliores hortos. Ariditas et aestus suffurantur illis aquas nivis frigidas; inferis peccarunt, nec satis in hac vita suppliciorum sustinere possunt, manibus etiam poenas daturi.„ Etiam inferorum flumina sub nomine *fluviorum Belial* memorari Ps. XVIII. existimat.

Ex reliquis Notis, Praelectioni X—XVII. in quam exit haec Pars Prior, subiectis, paucas nominabimus, quamvis plurimae, quae nominentur, dignae sint. Nota quidem LXIX. observatur, esse hoc proprium ac privum poetis Hebraeorum, ut medio carmini aliud intexant sonantius iam et maius carmen, cui collata reliqua oratio pene

prosa

prosa videtur; fingantque epinicium aut epicedium, pro more gentis a poetis mulieribusve canendum, Ies. XXVI, 1. sqq. XXVII, 2 — 5. Ierem. IX, 16 — 20. Ezech. XXXII, 2. sqq. Nota LXXIV. suspicatur Vir Doct. omni temporis indicio et nota aliquando linguam Orientalem caruisse, quaeque nunc praeterita et futura dicuntur, duo fuisse aorista, ad personas numerosque indicandos inflexa. Ipse ille defectus praesentis temporis, nulla flexione verbi notati, hanc suspicionem confirmat: accedit origo et compositio praeteriti Hebraeorum, qua a praesente periphrastico non differt. Sed, quod maius est, futurum quod dicitur, apud Arabes post particulas negativas omnis omnino temporis, ipsissimusque est Aoristus Graecorum, pro earum diversitate ut praesens, praeteritum aut futurum, interpretandum. Itaque si tractu temporis accidit, ut alterum ex aoristis suis plerumque praeterito, alterum futuro tempori destinarent Hebraei: memores nos esse decet, et Graecos aoristo plerumque pro praeterito uti, salva ipsi prima et latius patente significatione. Acute haec excogitata esse quis negaverit? Neque minus laudanda, quae Not. LXXVI. de Paronomasia traduntur. Denique nec plana intacta dimittemus ea, quibus Nota LXXXI. Ps. XC, 1 — 6. et CII, 26 — 28. loca sane duo pulcherrima de aeternitate Dei, illustrantur: his autem additur de singulari linguae Hebraicae in numeris maximis, una voce exprimendis, felicitate observatio.

Partem posteriorem libri iussit nos Cl. *Michaelis* pluribus commentationibus suis stipatum propediem exspectare. Huius promissi ut memor sit, (effluxit enim inde ab edito Tomo Priore biennium) impense eum rogamus.

IO. ALBERTI FABRICII, S. S. THEOL. D. et Prof. Publ. Bibliographia Antiquaria, siue Introductio in notitiam Scriptorum, qui Antiquitates Hebraicas, Graecas, Romanas, et Christianas, scriptis illustrauerunt. EDITIO TERTIA, ex MSCpto b. Auctoris insigniter locupletata, et recentissimorum scriptorum recensione aucta, studio et opera PAULLI SCHAFFSHAUSEN, P. P.

Hamburgi, apud Io. Carol. Bohn, 1760. Alph. 6. plag. 6. quaternis.

De ipso *Fabricii* libro non opus est ut multa dicamus, aut in illius argumento recensendo simus longiores. Est enim haec Bibliographia Antiquaria satis nota, et reliquis Viri docti laboribus simillima, quem diffusissimae lectionis copiis instructum, et indefessa diligentia in litterarum studiis defixum fuisse, constat. Videbimus igitur potius, quomodo, et quantum Cl. *Schaffshausen* Bibliographiam hanc auxerit. Nactus vero est ipsum illud exemplar, cui non paucas accessiones ipse *Fabricius* alleverat, atque his opibus adiutus multas lacunas expleuit. Ex iis autem libris, qui post mortem *Fabricii* editi fuerunt, Vir Cl. ea excerpsit, quae antiquorum temporum ritibus illustrandis inservirent. Atque etsi hac ratione plurimum auctus liber prodit, ut vel ex ipsa forma illius apparet: non desunt tamen, quos et adesse et abesse velimus. Quis non mirabitur (pag. 650.) de *Septemviris Epulonibus*, non *Epulonum*, neque *Liv.* 33, 42. aut *Cic. de Orat. III,* 19. neque *Gutherium de Muner. Pontif.* pag. 222. laudari? Ibid. de *aedituis* neque *Salmas. ad Solin.* pag. 1087. neque *Turneb. Aduers.* 14, 12. inveniri: de *furto per lancem et licium* pag. 781. *Avera-*

Averanium et *Wielingium:* de *edicto aedilitio* pag. 740. *Roevenstrunck:* de usuris pag. 807. *Petrum Halle* et *Iac. Gaitte,* omitti? Ad c. 11. §. 27. de poenitentia ecclesiastica et c. 15. §. 15. de excommunicatione ecclesiastica, exspectabamus *Io. d' Avezani* libros *de censuris ecclesiasticis, de depositione et degradatione Clericorum, de interdicto, de excommunicatione.* Ignotum quoque fuit Nostro nomen *Petri Halle,* cuius libros *de censuris ecclesiasticis, de beneficiis ecclesiasticis, de regularibus,* suo loco indicare debebat. Sed longe plures omissos esse videmus, quos Vir Cl. in supplementis sine dubio laudaturus est. Nam in tanto virorum numero, quantum in hoc libro afferri intelligimus, nihil facilius accidit, quam ut aliquot mentis nostrae aciem fugiant, et clanculum quasi se subducant. Eiusmodi libros plurium diligentia, et longa annorum series, demum perfectos reddit. Nollemus tamen, Vir Cl. tantam copiam Programmatum scholasticorum, et Academicarum dissertationum, attulisset. Nondum nos poenitet eorum, quae in eleganti praefatione *Petri Burmanni* ad librum *de vectigalibus* de eiusmodi libellis legimus. Atque illud Viri docti iudicium plurimarum dissertationum exemplo, quas nominavit Noster, facile corroborari confirmarique posset, si aut nobis hoc esset propositum, aut quenquam laedere vellemus. Ipsi lectores iudicent, (neque enim difficile erit iudicare,) quas indignas mentione censeamus. Frustra etiam magna, scholasticarum inprimis, dissertationum pars, laudata est. Nam, quoniam illae unicam plerumque plagulam comprehendunt, tanquam Sibyllae folia avolant, et paucorum annorum spatio interiecto prope omnes evanescunt. Quis v. c. de *cenotaphiis* pag. 1037. non malit *Dorvillium* ad *Lib. III. Chariton.* quam aliquem in montanis nostris, legere? Sed haec hactenus. Caeterum, diligenti comparatione prioris editionis cum hac nova instituta, facile intelleximus, non solum

lum multas acceſſiſſe res, de quibus antea nihil inveniebatur, ſed nova etiam aliquot capita addita fuiſſe. Sic *Cap.* 2. antea Sect. 11. abſolutum, nunc Sect. 17. complectitur: in *cap.* 15. acceſſit nova Sect. 15. *de excommunicatione: Capiti* 21. nova praefixa eſt Sect. *de re litteraria Hebraeorum generatim:* in *Cap.* 16. additum eſt pariter novum quid, *de commerciis ac navigatione veterum.* Denique de bibliothecis et diptychis, de ſocietatibus litterariis, de Scachia ludo, de gymnaſticis exercitiis, ludis circenſibus, balneis, ſupellectili veterum, vita privata Romanorum, combuſtione cadaverum, urnis, lucernis, inventis veterum et recentiorum, typographia, diis Romanorum, catalogo Sanctorum in eccleſia Romana, aliis, multa dicuntur monenturque, quae in priore editione fruſtra quaerebantur.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Iulii Anno MDCCLX.

DICHIARAZIONE DEI DISEGNI DEL REALE Palazzo di Caserta, etc.

i. e.

EXPLICATIO ICHNOGRAPHIAE REGII PALATII Casertani, scripta ad R.R. M.M. CAROLUM, utriusque Siciliae et Hierosʃ. Regem, Infantem Hispaniae, Ducem Parmae et Placentiae, Magnum Ducem Hetruriae, et MARIAM AMALIAM e Domo Saxonica, Reginam, etc. etc.

Neapoli, 1756. ex typographia regia, forma maxima, foliis litteratis XIII. figurarum ex aere expressarum Tabulis XIV.

Magnificentia Regum atque Principum variis sane in rebus et institutis cernitur, aliis quidem solam spectantibus delectationem, aliis nonnullam quoque utilitatem adiunctam habentibus. Sed profecto vix ullus est splendori et liberalitati regiae exercendae locus, etiam is, quem sui duntaxat caussa occupasse videntur, qui non idem publice prodesse civibus possit. Nam ut taceamus vulgaria illa, effusas largiter a Principibus opes ad cives redire, necesse est hos elegantiae quodam sensu imbui, et artium pulcherrimarum amore accendi, ubi earum

exempla propofita a Regibus fuis viderint. Quod accidit inprimis in picturae et architecturae monumentis perennibus: quae fi ex dignitate artis conftituta fint, capiunt animos fpectatorum, et in fublime raptant, faciuntque adeo, ut ifti nobiliora quaevis, adiutam quafi et exornatam arte naturam, in omni vita fectentur, impreffa mentibus eorum veriffima pulchritudinis et amoenitatis fpecie. Itaque quis non laude dignum iudicavit Periclem, Auguftum, Ludovicum, principes viros alios, quibus clariffimae civitates plurima decora, earum autem incolae, imo gentes univerfae, fentiendi vivendique rationes elegantes et generofas debent. Venit in earundem laudum focietatem fapientiffimus nuper utriusque Siciliae, nunc Hifpaniarum Catholicus Rex, CAROLUS, qui cum ab omni inde aetate fuerit et civium fuorum, et artium optimarum, amantiffimus, non fibi folum, fed artium, fed populi fui honori fplendidiffimum illud palatium conftruxiffe exiftimandus eft, cuius rationes architectonicas, imo habitum omnem, hoc opere augufto intuemur, utentes etiam exemplo eo, quod Principali munificentiae tribuendum eft.

Defcripfit illud, et lineas fcienter duxit, idem ille, qui toti operi moderator praefuit, evocatus ad id ipfum Roma, et regii Architecti nomine infignitus, *Ludovicus Vanvitellius*, vir inprimis ingeniofus, et architectonices aliarumque artium peritiffimus. Negat autem hic, in Epiftola Nuncupatoria, alias fuiffe partes fuas in perficiendo opere, quam ut Regis Reginaeque excelfa confilia et deftinata exfequeretur. Primum palatii fitum, et quo tempore, qua rituum folennitate, aedificari coeptum fit, indicat. Praedicat hoc loco Campaniae bona, fed maxime fummam eius partis amoenitatem, qua regale hoc monumentum exfurgit. Hanc aeris falubritas, vicinia fedis regiae, regionis oculo illinc emetiendae amplitudo, telluris fertilitas, collium denique interiectorum prominentia, adeo commendabant Regi utrique, ut eo loco aedes hortosque, ambitu, arte, iucunditate praeftantiffimos, exftrui a Noftro iuberent.

Funda-

Fundamento quidem palatii ponendo dictus fuit dies auspicatissimus, XX. Ianuarii, A. MDCCLII. quo trigesimum sextum natalem Rex agebat. Peractus est ritus in splendida aulae celebritate. Arcula erat marmorea, ac fere octangula, fundamenti loco collocanda. Huic, cum esset addenda benedictio Nuntii Pontificii, inscriptum fuerat: LUDOVICUS. GUALTERIUS. ARCH. MYR. NUNC. APOST. In latere, ubi primus lapis fundamentalis exstabat, haec legebantur: CAROLUS ET AMALIA, utr. Sic. et Hier. Reg. P. P. anno Domini MDCCLII. XIII. Kal. Febr. R. XVIII. Alium lapidem imponere iussus ipse Architectus, hoc illum disticho, a se quidem Hetrusce verso, ornavit:

Stet domus, et solium, et soboles Borbonia, donec
Ad superos propria vi lapis hic redeat.

La Regia, il Soglio, il Réal Germe reggn,
Finchè da' se la pietra il Sol rivegga.

Ludovicus Vanvitellius, Archit.

Iniecti etiam a Rege et Regina plurimi numi aurei, argentei, aerei, qui memoriam aedificii adservarent. Reliquas caerimonias non est quod commemoremus.

Coepta autem mox aedificandi opera adeo feliciter processit, ut quadriennio iam post haec perfecti palatii, de qua dicimus, descriptio publicari posset. Ea vel mediocriter artis gnaros docebit, dignissimum maiestate et opulentia Regis secessum ei contigisse. Nam coniunctus hic cum symmetria et elegantia constitutionis splendor sine dubio maximus, perquam iucundum praebet spectaculum. Sed haec copiosius exponi, nisi tabulis propositis, a nobis non possunt. Altera descriptionis Pars varietatem et pulchritudinem adiunctorum palatio hortorum, (quos tamen extremae iam huius Partis tabulae non omnino omittunt,) praecipue vero artificium conspicuorum in illis aquaeductuum, enarrabunt. Iam, cum Regis Catholici ea fuerit providentia, ut, etiam de regno utriusque Siciliae decedens, tamen ingentes sumtus, continuandis et amplificandis his

operibus vere ſuis, deſtinarit: facile intelligitur, in miraculis artium, quibus ſuperbit Italia, principem quendam locum delicias has Caſertanas eſſe obtenturas.

QUAESTIONES MEDICAE PARISINAE. Ex Bibliotheca GEORGII FRIDERICI SIGWART, Phil. Med. et Chirurg. Doct. huiusque et Anatomes in Acad. Tubing. P. P. O. Medic. Aulic. Würtemb. Facult. Med. Sen.

FASCICULUS SECUNDUS.

Tubingae, 1760. impenſis Io. Georg. Cottae, 43. plag. in 4to.

De pretio, quod collectioni harum quaeſtionum ſtatuendum ſit, ex iis, quae occaſione Faſciculi primi diximus, conſtare arbitramur. Dum igitur Volumen hoc, quod anni MDCCXLIII. quaeſtiones complectitur, lectoribus noſtris annuntiamus, nova praefatione Lectorem non moramur, ſed breviter ſtrictimque ſummam quaeſtionis cuiusque attingimus. *Quaeſt. I.* docere voluit Auctor, monſtra non ab origine talia eſſe, ſed eorum conformationem, ſeu, ſi mavis, deformationem, a cauſis fortuitis, compreſſione maxime in utero, repetendam eſſe; cum repugnet divinae ſapientiae, tam manca opera condere. *Quaeſt. II.* ex legibus viſionis demonſtratur, viſionem absque lente cryſtallina non modo ſtare poſſe, ſed in myopibus, qui ante depreſſionem perſpicillis concavis opus haberent, etiam faciliorem eſſe et ſine his adiumentis. *Quaeſt. III.* ex eo, quod et in elaboratione chyli, et in perficiundo ſucco nutritio obſervantur motus varii, contractiones, preſſiones, triturationes, ſecretionesque, colligitur, chylum et ſuccum nutritium ſimili perfici mechaniſmo. *Quaeſt. IV.* negatur, actionem muſculorum oculi obliquorum eſſe eam, qua oculi circa axem opticum agitentur, aſſeriturque, muſculos hos conſtringere oculum, atque in longius

longius producere, adeoque retinam a lente cryſtallina removere. *Quaeſt. V.* breviter enarrantur mutationes, quae corpori ſenili accidere conſueſcunt, indeque collectio fit, nutrimentum tandem detrimenti corporis cauſam eſſe. *Quaeſt. VI.* parum apte, et multum confuſe, dicitur, in qualibet hominis aetate ſuccus nutricius idem eſſe. *Quaeſt. VII.* docetur, ſtructuram venae ſpermaticae, qua in tot minores diviſa eſt, favere ſecretioni ſeminis. *Quaeſt. VIII.* ex diverſitate humorum ſecretorum oſtenditur, non ubique corporis eſſe ſanguinem eundem. *Quaeſt. IX.* fingitur, reſpirationem eſſe motum ſympathico-mechanicum, atque pendere a certo quodam liquidi nervei ex pulmonibus repulſu atque reflexu. *Quaeſt. X.* placentae uterinae adſignatur munus ſanguinem foetus ex ſucco uteri nutritio elaborandi perficiendique, ad inſtar pulmonum in adulto natoque homine, atque huic placentae actioni famulari reciprocas muſculorum abdominalium contractiones et relaxationes. *Quaeſt. XI.* functionum integritas adſcribitur ſpiritibus. *Quaeſt. XII.* nervorum permeabilitas demonſtratur minus commoda ratione. *Quaeſt. XIII.* Hygienen ſiſtit medicinae partem utiliſſimam, at vero etiam deſertiſſimam. *Quaeſt. XIV.* aeris, quo gaudet Verſaliarum oppidum, ſalubritas depraedicatur, et laudatur maxime eius aedium que regiarum poſitus; ſolis enim naſcentis radiis exponuntur, ad ſeptentrionem paullo magis quam ad meridiem inclinant; undique perflabile eſt oppidum, nullasque occiduorum aut meridionalium ventorum iniurias patitur. Monticuli ſatis diſſiti, neque tam alti ſunt, qui oppidum faciant aeſtuoſum. Nam cum collis Monbauronius, caeteris vicinior et altior eſſet, ſoliſque naſcentis radios impedire, aeriſque puritati atque illuſtrationi obicem ponere poſſet, Regis iuſſu amputatus et capite minutus eſt. Huius ſalubritatis certiſſimum indicium eſt bona incolarum valetudo: minus enim frequentes ſunt febres tertianae, ardentes, malignae, ſplenes magni, cachexia, ſcorbutus, phthiſis, calculus, podagra, diarrhoea, dyſente-

fenteria. Incolae funt robusti atque longaevi. Quae omnia aliter se habebant, cum nondum adductae essent salubres aquae, cum plurimus circa campus paludosus, noxias particulas continuo exhalaret, neque omnino ars naturam soli correxisset. *Quaest. XV.* tempestatum varietati originem debere varios morbos, facile asseri poterat. *Quaest. XVI.* Musices, ad sanitatem conservandam reddendamque maxime utilis, laudes celebrantur. Auctor ab antiquissimis retro temporibus brevem historiam musicae, ad animos hominum leniendos incitandosque adhibitae, contexens, urbanitatem, quae maxime in Italia, Hispania, et Gallia, homines ornat, musicae, in illis regionibus praecipue excultae, tribuit. Vult quidem, variam esse debere musicen, pro temperamentorum diversitate, pro aetate, pro consuetudine; sed qualis esse debeat, non definit. Motus mere mechanicos quosdam in toto corpore excitari posse, putat per illam communionem nervi auditorii, quam cum intercostali habet; sed ne hos quidem ita explicat, ut inde aliqua utilitas ad artem redundare possit. *Quaest. XVII.* de virtute aquarum mineralium Passiacarum disseritur. Scilicet in vico Passiaco prorumpunt aquarum mineralium rivuli quatuor. Quibus omnibus communis est aqua instar crystalli pellucida, ferreum odorem spirans, similemque saporem, eundemque pungentem et quodammodo vinosum, linguae imprimens. Aperiendi simul et adstringendi facultate singuli pollent, et cutis foeditates, tineam, scabiem, lepram, herpetem, lentiginem, impetigines, sanant, hypochondriacis, hystericis, stomacho laborantibus, paralyticis, mensium obstructione languentibus, conducunt. Pertinent autem aquae Passiacae ad classem aquarum frigidarum, atque in se continent varias partes, ferreas, spirituosas, acidulas, terreas, salinas, et generis quidem tum Glauberiani, tum salis marini, tum Selenitici, nec paucas bituminosas. *Quaest. XVIII.* vulgo notae noxae exponuntur, quas abusus spiritus vini, vel frumenti, homini infert. *Quaest. XIX.* disquiritur, an, uti in America, ita et in regioni-

gionibus Europaeis, Apalachines potus salubris sit? Ipsa Apalachine describitur sic: apud Apalaches, regionis Lodoicaeae (Louisiane) gentem, passim in silvis nascitur nostrae amygdali facie arbor, semper virens, quae apud indigenas *cassines*, apud Gallos apalachines, apud Botanicos agrifolii et ilicis nomine, venit. Caudici cortici et ramis color est cinereus, ramulis fragilibus, ex atro purpurascens. Vestiuntur rami foliis fere ovatis, oblongis, uncialibus et biuncialibus, carnosis, ramo pediculo purpurascente, lineis tribus longo, alternatim insitis, ac leviter dentatis, superne atro virentibus, inferne cinereis, ac nervo dilutiori et crassiori distinctis. Iis sapor primo herbaceus, subinde acidulus et amarus, qui deinceps in dulcem ac gratum abit. Exiguo flore gaudet rosaceo, cui succedit bacca subrotunda, quatuor seminibus foeta. Barbari foliis, in vas fictile candens iniectis, exsiccatisque, aquam infundunt, infusionem, quam vocant cassinam, sorbent, iterum iterumque singulis diebus, et ea se incolumes praestant, nec podagra, nec calculo, nec nephritide attinguntur. Apalichines strictior textura fervidiorem limpham, et longiorem infusionem postulat, quam theae folia. Fervida aqua extrahit particulas amaro-volatiles, viscosas ac dulces. Calida sorpta particulis amaro-volatilibus spiritus animales lico recreat, cerebrum statim subit, dulcore, levem amaritiem subsequente, lenitur oris halitus, stomachus levatur, crudae indigestaeque carnium reliquiae emolliuntur, viscosae inciduntur, ostia vasorum lacteorum aperiuntur, cietur molliter quandoque alvus. Atque ob has eximias vires, et in Galliis sorbitionem Apalachines utilem fore existimat Celeberrimus Botanicus *de Jussieu*. *Quaest. XX.* vino vindicatur virtus ingenii acuendi. *Quaest. XXI.* Parisiis commendatur potus aquae Sequanae. *Quaest. XXII.* victus simplicitati tribuit sanitatem viventis. *Quaest. XXIII.* docetur, pomaceum, quia magis humectet partes solidas, gracilibus salubrius esse quam vinum. *Quaest. XXIV.* refutatur illud: medice vivere est misere vivere. *Quaest. XXV.*

XXV. peregrinationem Medico utilem esse facile persuadet. *Quaest. XXVI.* praegnantibus potum aquae commendat. *Quaest. XXVII.* paullo generalius confidentiusque docetur, omni sexui, omni aetati, omnique temperamento, convenire potum Caffé. Quod sane experientiae refragatur. Interim tamen quaestio haec ad meliores pertinet. Historiam seminum Caffé tradit, modumque, quo Turcae potum hunc conficiunt, describit. Scilicet Turcae, binam ad usque unciam Coffé seminum, antea plus minus tostorum, in aquae libra una decoquunt ebullitione levissima; vas illico ab igne removent, linteis aqua frigida madidis circumvestiunt, ut citius ad fundum ruat crassior pulvis. Residuum pulverem non abiiciunt, sed asservatum coctioni de novo committunt, indeque longiori iterata coctione extrahunt oleum, quo dives est pulvis. Oleosum hoc decoctum cum novo pulvere, cuius dosin non minuunt, igni subiiciunt, atque ita potum parant, et parte subtiliori et oleo turgidum, palato igitur magis placentem, utilioremque stomacho atque pulmonibus. *Quaest. XXVIII.* senibus vinum parcius, dilutius, quin nullum concedit: sed omnino absurde. *Quaest. XXIX.* de partium sympathia tractat, et in id quidem sympathiae genus inquirit, quod habent partes aliquae situ remotae, et inter quas nec vasorum sanguiferorum communio, nec humorum cognatio, nec officiorum paritas ulla est. Difficilem hanc quaestionem explicari posse credit Celeberrimus Astruc, quaestionis Auctor, si sequentia assumantur, quae apud omnes fere in confesso esse putat. 1) Fibrillas nerveas omnino omnes distinctas esse toto decursu, nec communicare invicem, nisi in ea tantum cerebri parte, quae medullaris cerebri substantia dicitur. 2) Hanc cerebri substantiam, medullae sambuci simillimam, cellulis minimis, tenuissimis, densissime refertis, componi, inter se multifariam hiulcis, quas distinguant columellae seu fibrae tendineae, et in quas spiritus animales, in cerebri cortice secreti, confluant undique, seu in commune promtuarium, ut in nervorum

prin-

principia distribuantur. 3) Ad hanc cerebri substantiam motus omnes, externis sensuum organis illatos, deferri per nervos, refluxu spirituum, qui dum incurrant in obvias patentium cellularum fibras seu columellas, easque quatiant, locum dent ultimum sensationibus in anima producendis. Explicatio ex his sic fit. Sint spiritus, qui refluant ad cerebri medullam a parte quavis v. g. a naribus per nerveam fibram quandam. Incurrent illi in fibram seu columellam quandam sensorii communis, cuius succussione fiet in anima sensatio certi generis, ad nares referenda, unde principium fuit refluxui spirituum. Iam a mota semel fibra cerebri spiritus reflecti, et per eam quidem lineam, quae faciat reflexionis angulum, angulo incidentiae aequalem. Nunc praesto sit in directione illius lineae ostium nervi illius, qui diaphragmati prospicit. Si hoc fit, influent in hunc nervum spiritus, eo sane momento, quo reflexi sunt, et fibras carneas diaphragmatis, quo deferentur, convellent, fietque sternutatio. Et simili ratione caeteras sympathias huius generis explicari posse credit Cel. Auctor. *Quaest. XXX.* idem Auctor, an ex Anatome subtiliori ars medica certior fiat, disquirit, idque propositis quibusdam exemplis affirmat. *Quaest. XXXI.* sinapi esse salubre condimentum evincitur. *Quaest. XXXII.* chalybeata menstruis morantibus calcar addere docetur. *Quaest. XXXIII.* partum a vomitu non reddi faciliorem inde explicat, quod in vomitu venter totus sursum fertur, atque adeo uterus sursum rapitur. *Quaest. XXXIV.* ex brevi temporis spatio, quo materia in acutis turgere solet, colligitur, in his acutis, ubi materia turget, maiore potius et unica, quam minore eaque saepius in die iterata dosi, propinanda esse cathartica. *Quaest. XXXV.* Medicum eo magis vaticinii genio praeditum praedicat, quo is in praxi praestantior sit. *Quaest. XXXVI.* a curatoriae methodi simplicitate curato securitatem sperandam esse persuadet. *Quaest. XXXVII.* febris saepius morbi remedium, quam morbus esse dicitur. *Quaest. XXXVIII.* in incipiente pleuritide aliquando dan-

dum esse emeticum praecipitur, tum scilicet, cum ventriculus alimentis ingestis oneratus malum vel fecerit, vel auxerit. *Quaest. XXXIX.* leucophlegmatiae Kermes minerale apprime utile esse, asseritur. *Quaest. XL.* nimium verbose disseritur de utilitate medicaminum aperientium in catameniorum fluxu, tum suppresso, tum immoderato. De casu priori nemo medentium dubitat. De altero Auctor circumductis rationibus docet, aperientia convenire, si ob sanguinis crassitiem aliae partes corporis internae obstructae sint, atque sic efficiant, ut sanguis ad uterum copiosius ruat. *Quaest. XLI.* mulieres pluribus obnoxias morbis quam viros esse, ostendit, et rem explicat tum ex laxa totius corpusculi compage, tum ex uteri conditione, atque vehementia venerei appetitus. Quibus causis etiam accidentalem quandam, scilicet otiosum vitae genus, cui sexus sequior magis altero indulgere solet, iungere haud dubitat quaestionis Auctor.

ΟΜΗΡΟΥ ἍΠΑΝΤΑ.

h. e.

HOMERI OPERA OMNIA, EX RECENSIONE ET cum notis SAMUELIS CLARKII, S. T. P. Accessit varietas lectionum MS. Lips. et edd. veterum, cura IO. AUGUSTI ERNESTI, qui et suas notas adspersit.

Lipsiae, impens. G. Theoph. Georgii, typis Saalbachianis, *VOL. I.* 1759. Alph. 1. plag. 11. in 8vo mai.

Cum nemo adhuc ad edendum explicandumque Homerum accesserit, qui melius rem metricam Graecorum calleret, acutius elegantias et artes carminis Homerici indagaret, magisque interiora Graecarum litterarum perspecta haberet *Clarkio*, quem merito Cel. *Gesnerus* in animadv. ad Quintil. V, 11, 40. *regium interpretem, et Homericorum interpretum regem* appellat: cum utilissimum litteris,

litteris, tum Lipsiae honorificum, repetendae illius editionis, novisque accessionibus ornandae consilium, *Ernestus* Noster cepit. Quo in instituto quomodo versatus sit, exponemus. Textum reddidit nobis Vir Cel. *Clarkianum*, quem totum intactum reliquit, ita ut, ubi vel *Clarkius* coniecturas suas in textum recepit, vel tanquam novas lectiones attulit quae in veteribus editionibus extant, vel non diligenter satis veteres libros inspexit, de his in animadversionibus moneret. Sed contulit primum cum edito *codicem manu scriptum*, Bibliothecae nostrae Paullinae, in charta bombycina ante mille amplius annos scriptum, et ob praeclara scholia inedita nobilem, de quibus *Wolfius*, sub *Homerophili* nomine, in *Miscell. Dorvillian. Vol. V. pag.* 153. *seq.* exposuit. Continet ille quidem tantummodo Iliada usque ad initia ῥαψῳδ. P. reliquis in charta vulgari manu recentiori, omissis scholiis, scriptis; sed multas habet bonas lectiones, a *Clarkio* iam probatas, locum melioribus facit, et in nonnullis libris editis omnibus multo accuratior est. Veluti *ν ἐφελκυστικὸν*, quod in aliis libris nulla certa lege vel positum, vel omissum, neque in caesura, neque in clausulis versuum, ubi sequens versus a consonante incipit, sed semper tum habet, cum sequens incipit a vocali. Consentit etiam saepissime ita insigniter cum *Florentina* editione, ut haec ex eodem libro ducta esse videatur. Inesse etiam alia vestigia Noster iudicat, e quibus appareat, ipsum ex antiquissimo codice ductum, certe retinente in multis vestigia antiquissimae rationis scribendi. Verum, age, specimina quaedam lectionum e codice hoc nostro depromamus, ut, quid ei pretii statuendum sit, hoc facilius homines docti iudicare possint, breviter repetitis *Ernestianis* de iis adnotationibus. A. v. 20. *cod.* habet λύσαιτε, quod a *Clarkio* iam in textu positum fuit. v. 64. εἴπει, ὅ, τι τόσσον—pro ὅτι, quod merito eidem displicuit. v. 365. τίη τοι — ἀγορεύσω, pro ἀγορεύω, non male. v. 444. ἱλασόμεσθ', ut iam *Dawesius* coniecerat, syllaba secunda correpta, quia futurum hoc ab ἱλάσκομαι ducitur. v. 491. abest a *cod.* γ'

recte, ut Noster addit, cui versus fulciendi causa videtur esse insertum praeter necessitatem, nullaque particulae vis esse hoc loco, ut etiam v. 527. ubi pariter *cod.* omittit. v. 570. ὄχθησαν, quod ex antiquissimis codd. ductum. B. v. 35. ἀπεβήσετο; et v. 48. προσεβήσετο, et sic saepius pro α. v. 43. περὶ δὲ μέγα, omisso ἂν, nec male. v. 109. ἔπε' Ἀργείοισι μετήυδα, quod etiam in aliquot codd. ap. *Barnes.* pro ἔ. πλεϱόεντα προσ. v. 206. abest a cod. cumque spurium esse Vir Cel. arbitratur, cum nihil sit quo σφισι referatur. v. 293. pro παρὰ habet σὺν νηΐ, ut etiam codd. *Barnes.* atque ita etiam Hermogenes et Eustathius legunt; quare Noster παρὰ glossam esse putat veteris lectionis, illiusque paullo difficilioris σύν. v. 339. πῆ pro πȣ̃, consentiunt MSS. *Barnes.* Eustathius, Dionysius Hal. Adnotat Noster, πῆ esse proprium verbum in hoc sensu, ἐρωτηματικὸν μετὰ κινήσεως εἰς τόπον; et sic saepius Homer. πῆ ἄρ' ἴω; πῆ ἔβη; hic igitur πῆ praeferre mavult, etsi alias *Dorvillio* Viro Cl. assentitur, nobis non satis notum esse, quid sibi in his particulis permiserint poetae. v. 426. ἀμπείραντες pro ἐμπ. illud, quod etiam habet Eustath. magis hoc Nostro placet, cui vulgatum potius est *infigere* quam *transfigere*, *inserere* quam *traiicere*, ut Ioseph. XVI, 10. 4. ὡς ἀναπαρείη ταῖς λόγχαις. posse forte Hesych. in ἀμπείρας huc respexisse videri. v. 522. κηφίσοιο, quod verum Noster putat, quia hoc verbum proprie unum tantum σ habet, nec altera syllaba, natura longa, duplicatione indiget. v. 582. Φᾶριν; consentiunt edd. vett. veteresque Geographi, Strabo, Pausanias, Stephanus: etiam Statius *Pharin* habet, et Eustathius suo tempore sic multos codd. habuisse testatur; hanc igitur lectionem antiquioribus temporibus magis probatam fuisse altera Φάριν dicit. v. 681. a manu prima ἀυτȣ̃ς, sed ἂν manu secunda suprascriptum. Γ. v. 42. ὑπόψιον, ubi *Schol. Lips.* Ἀριστοφάνης δὲ ἐπόψιος γράφει, καὶ ȣ̓ στίζει· nempe post ἔμεναι, quod idem Schol. tradit, ut λώβην coniungatur cum ἄλλων. v. 65. ἐρικυδέα, et bis *Schol. Lips.* idem repetit, quod

quod nullo alio in libro est, verbum. post v. 86. habet etiam *cod.* versum a *Barnesio* insertum, ὄφρ' εἴπω κ. λ. sed illum ordinem verborum turbare Vir Cel. iudicat, cum nihil sit quo μῦθον Ἀλ. referatur. v. 223. ἐρίσσειε, ut *Barnes.* et *Clark.* iam ediderunt, et quod in edd. *Florent.* et *Aldin. prima*, atque etiam in omnibus libris apud Strabon. L. I. p. 33. est. v. 283. ἡμεῖς δ' ἐν κ. λ. abest totus a *cod.* atque salva sententia abesse posse videtur; nam etiam victo Paride redeundum erat domum; idem de aliquot codd. testatur Stephanus. Δ. v. 368. καὶ τὸν μέν, ut *Barn.* edidit, quem audiendum esse Noster existimat, non *Clark.* cum suo *et quidem hunc*, quod neque Latinorum aliquis dixerit, neque bene dici possit. v. 478. habet quidem *cod.* θρέπτρα, sed θρέπτα, quod omnes edd. ante *Barnes.* praeferunt, esse antiquissimam lectionem; τὸ ρ elisum forte esse pronunciando, ut mollior vox esset. v. 506. ἐρύσαντο, quod *Clark.* et *Barn.* placuit. E. v. 57. Ὦμων μεσσηγὺς κ. λ. abest a *cod.* atque veretur Noster, ne alterutro loco, hic aut v. 41. sit insititius; at post v. 58. inseri in margine iubentur versus: αἰολα, παμφανόωντα, —— λύθη ψύχη, e v. 295. 296. v. 199. ἐμβεβαῶτα, ut *Barn.* edidit. v. 247. μὲν ἀμύμονος pro μεγαλήτορος; illud epitheton bene hoc loco convenit illi, qui Veneri placuerit, et τὸ μὲν bene respondere τῷ δὲ. v. 255. οὕτως, quod praeferendum: in αὔτως esse κακέμφατον, et malum omen, quod in suscipiendis rebus evitatum sit. Esse enim ambiguum, quoniam et *frustra* significet; secus esse ζ, 55. ubi ambiguitas etiam apta sit personae dicentis. v. 293. ἐξέσυτο, ubi *Schol. ined.* sic: ἐξέσυτο, ἐξελύθη, τῆς ὁρμῆς ἐπαύσατο. Ἐξελύθη, Ἀρίσταρχος, Ζηνόδοτος δὲ ἐξεσύθη· v. 526. πνοιῇσι, quae lectio quin vera sit, nullum dubium est. v. 587. γὰρ ῥ' ἀμάθοιο, quod etiam Eustath. in commentario habet. v. 662. πατὴρ δ' ἔτι, quod placet: *sed pater adhuc mortem arcebat:* nondum et fatum erat mori. v. 808. τοίη οἱ ἐγὼν, ut *Clark.* et *Barn.* placuit. Z. v. 149. ἢ μὲν — ἣ δ' — addita glossa ποτὲ μὲν, ποτὲ δὲ. v. 265.

post μένεος abest δ', quod versus fulciendi causa insertum Viro doct. videtur, cum valde hic langueat, et orationem frangat. v. 287. κέκλετο· ταὶ δ' ἄρ', supra scripto ἄυται δὲ, quae lectio quin vera sit, dubitari non posse, nam καὶ valde languere. H. v. 241. ἐπαΐξαι, ut etiam *Barn.* in uno cod. invenit. v. 284. Ἕκτορι, cum edd. vett. aliquot, ut sensus sit: *Iubete praeconem haec dicere Hectori.* v. 310. ἀελπλέοντες, quam veram lectionem esse; eandem pro ἀελπέοντες recte vindicari Hesychio; ἀελπέω vix analogiam ferre. v. 437. πύργους ὑψηλοὺς sine copula: ita vett. edd. aliquot; hoc male neglectum esse, et in textum revocari debere, cum nihil sit quod copulam desideret. v. 441. ἐνίψει, οὐχ ὁρᾶας, ὅτε δ' αὖτε — hanc lectionem haud dubie veram esse; solere enim οὐχ ὁρᾶας-interrogative et nude poni, et in parenthesi; ἐνίψει *Schol. Lips.* interpretari, ἀνακοινώσεται διὰ θυσιῶν, συνεργοὺς αὐτοὺς θέλων λαβεῖν· hanc interpretationem veram esse. Θ. v. 108. μήστωρε, cum edd. vett. aliquot, ut ad equos referatur; eandem lectionem Eustathium memorare, sed improbare. v. 183. Ἀργείους παρὰ -- abest a *MS.* nec apud Scholiasten illius vestigium; si absit, et αὐτοὺς simpliciter sit positum, orationem efficaciorem videri; videri autem ideo ab aliquo additum esse, quia existimaverit, quoniam Argivorum nulla ante diserta mentio facta sit, αὐτοὺς sic stare non posse. v. 185. quoque a nonnullis repudiari; *Schol. ined.* memorare, propter τὸ σὺ, et propter equorum numerum; nam currus militares apud Homerum semper esse biiuges, et poetam uti dualibus. v. 383. Ἥρη, πρέσβα — totum abesse a *MS.* et commode abesse posse, atque e margine in textum venisse. v. 428. ἕνεκα, quod non spernendum; ἕνεκεν videri inductum ad fulciendum versum. v. 466. 467. 468. ἀλλ' ἤτοι — τεοῖο, abesse a *MS.* Esse illos cum superioribus repetitos ex oratione Minervae v. 32. sequ. sed ibi aptiores esse, quia loquatur Minerva, cui, tanquam deae sapientiae, consilia conveniant, nec esse in responsione Iovis, quod eis respondeat, sed totam referri

ad

ad v. 464. 465. Itaque forte temere inde huc translatos esse. I. v. 34. πρῶτος, superscripto tamen ον; cum edd. *Flor. Aldd.* consentiant, hanc lectionem, quae longe efficaciorem sensum faciat, praeferendam esse. v. 215. ἐλεοῖσιν ἔθηκε, ut etiam Athenaeus legit. v. 260. παῦε, sed superscripto ȣ man. sec. sive ita ut corrigatur, sive intelligatur; neque impedire quidquam, quo minus παῦε activum servetur, et accipiatur neutraliter, cum alii antiquissimi et optimi παῦε sic dixerint. K. v. 252. πλέω, quod praeferendum, quia τῶν δύο μοιράων alias non habet unde pendeat; nam νὺξ πλέων τῶν δ. μ. dici non potest. v. 463. ἐπιδωσόμεθ' a manu pr. idque interpretatur *Schol.* ἐπιδόσεων καὶ δώρων ἀξιώσομεν; sed man. sec. suprascriptum βω, quod praeferendum. v. 515. bene post Ἀπόλλων comma poni, sententiamque in versu altero finiri in *MS.* Λ. v. 281. ἀέκοντε, quod non spernendum, quia dactyli melius celeritati conveniant, quam spondei. v. 345. pro ῥίγησε — ἐνόησε, sed glossa adscripta, ἐφοβήθη. v. 661. βέβληται δὲ καὶ — abesse, et fortasse insititium esse; nam Eurypylum vulnerari, cum iam abiisset cum Machaone Nestor v. 579. seq. et occurrere demum e pugna venientem, habentem adhuc telum in corpore, Patroclo a Nestore digresso, v. 808. Non igitur iam videri Nestori constitisse de vulnerato Eurypylo. v. 685. χρέος, bene, sed pro ὀφείλετ' tum legendum ὤφειλ. sic versum concinniorem fore. v. 689. γ' post γὰρ abesse, atque etiam versus fulciendi gratia insertum videri. M. v. 48. ἰθύσῃ, quod iam *Barnes.* in textum recepit. v. 159. βέλεα ῥέεν, quod lenius et suavius vulgato. v. 167. ἠὲ, ut *Barn.* edidit. v. 281. κοιμίσας, quod idem est ac ap. *Barn.* κοιμήσας, quia in *MS. Lips.* litterae bis pronunciandae poetico more saepe semel scribantur, antiquiori scriptura. v. 331. ῥίγησεν, quo versum concinniorem reddi; primam in υἱὸς etiam aliis in locis corripi propter seq. vocalem. Verum haec sufficiant ad iudicium de lectionibus, in *cod.* nostro occurrentibus, ferendum.

Huius

Huius igitur codicis lectionibus excerptis, ad veteres editiones inter se conferendas operam suam Noster contulit. Atque hic labor eo magis suscipiendus fuit, quo certius constat, et *Barnesium* non diligenter satis veteres libros excussisse, et *Clarkium* in *Barnesianis* excerptis fere acquiescere. Prima fuit *Florentina*, quam ad textum Homericum bene constituendum plurimum prodesse, permultasque bonas habere lectiones, temere postea neglectas, iudicat. Esse tamen in eadem non pauca vitiosa, quorum nonnulla operis typographicis debeantur. Deinde adhibuit *Aldinam primam*, quae A. 1504. prodiit, et *Florentinam* expressit. Neque enim lectiones maioris momenti occurrere, quae ita ab exemplo *Florentino* diversae sint, ut non aliunde, quam e MS. possint esse ductae. Porro consuluit *Aldinam secundam* A. 1517, quae a *Florentina* longius discedit. Posse enim prope dici, hunc novi exempli textum esse, adeo multis locis illam a *Florentina* et *Aldina prima*, interdum quidem bene, saepius autem male, discrepare. Tum usus est *Aldina tertia* A. 1524. quae praecedentem repetit. Nam perpauca illa loca, ubi ab illa dissentiat, aut vitio typographorum nata esse, aut a correctore pro arbitrio mutata; etsi, a quo haec mutatio, et unde inducta sit, non liceat dicere. Quarta est *Iuntina* A. 1519. cuius primam tantummodo partem conferre potuit. Esse vero illam meram repetitionem *Aldinae secundae*, servatis etiam, omnibus in locis, crassissimis operarum vitiis, ut Il. β. 107. *Φορήναις*: ibid. 246. *ἀκριτόμυτε*: ί. 512. *χαληπαίνοι*: λ. 741. *καλκήρει*: μ. 87. *πέντα* pro *πένταχα*: ibid. 163. *ἤεδα* pro *ἤυδα*, etc. Hanc sequitur *Lovaniensis*, ex officina *Martini Alostensis* A. 1523. sed Odysseae tantummodo usus Nostro suppetebat. Neque tamen aegre Iliade caruit, quoniam eam eiusmodi *Florentinae* repetitionem esse animadvertit, in qua e MStis nihil accesserit, paucaque vitia typographica correcta sint. Denique contulit *Turnebianam Iliada* A. 1554. quam nullam superiorum satis, maxime tamen *Aldinas* posteriores, sequi, cuiusque lectionem, qua discrepet a superioribus

rioribus, fere eandem esse observavit cum *Stephaniana*, posthac vulgata. Praeterea inspexit editionem *Romanam*, atque lectiones a Scholiastis memoratas excerpsit, omnemque lectionis varietatem textui subiecit. Interposuit etiam interdum iudicium suum, paucisque, quid sibi videretur, monuit. Quod ad versionem attinet, emendatiorem illam quidem ceteris, sed tamen permultis in locis parum latinam esse, censet; neque tamen illam attingere voluit, etsi in notis saepenumero de peccatis monentur quaedam, atque inprimis quo modo poetica epitheta intelligenda sint indicatur. Veluti A. v. 73. ἐΰφρονέων potius vertendum esse *bene cupiens*, *iis favens*, *bene consulturus*, etc. quam *prudens* aut *cordatus*. v. 91. ὃς νῦν — εὔχεται, non esse necessarium reddi per *gloriatur*: auctorem ipsum esse Homerum Il. β. 82. ubi Nestor, non detrahens Agamemnoni, aut irridens, sed auctoritatem addere cupiens, eodem modo de eo loquatur; vertendum igitur *potentissimus est*, vel *fertur*. v. 551. bene βοῶπις verti, *magnos oculos habens*, sed parum eleganter: potius *magnis oculis formosa*, ut Schol. ad 477. εὐόφθαλμος, καλή. B. v. 103. διακτόρῳ Ἀργειφόντῃ *ministrum* indicare, vel nuntiis perferendis, vel aliis mandatis peragendis, ita ut simpliciter a διάγειν ducatur. v. 124. ὅρκια τάμνειν non esse proprie *foedus facere*, sed victimas ferire foederis causa, ut θύειν γάμους, nuptiarum causa sacra facere; v. Hesych. in τάμνειν, quae glossa huc pertinet. v. 237. γέρα πεσσέμεν, esse *praemia consumere*, *praemiis frui*, male verti *concoquere*; πέσσειν vel πέπτειν similiter de tempore dicere Pindarum Pyth. IV, 300. et Apoll. Rhod. I, 283. hunc locum imitatum, ἄλλα δὲ πάντα πάλαι θρεπτήρια πέσσω, ubi male, pro more suo, vertit Hoeltzlinus, sensum esse: *cetera autem omnia* θρεπτήρια *habeo*, *accepi*, *fruor ceteris* etc. v. 658. βίῃ Ἡρακληείῃ vertendum: *forti Herculi*, nam latinitatem non aliter ferre, nec βίην necessario fortitudinem aut robur indicare, ut γ. 105. ubi de sene Priamo sit, sed ut latinorum *vim* periphrasi inservire. v. 701. ἡμιτελὴς δόμος male reddi *semiperfectam*, sed potius

vacuam, viduam; ſic Schol. *ἀφῃρημένος τοῦ ἑτέρου τῶν δεσποτῶν*; quae conſentiunt interpretationi Heſychii, *ἡμίγαμος*, olim Poſidonio ap. Strab. L. V. p. 454. probatae. v. 857. *ὅθεν ἀργύρου ἐστὶ γενέθλη*, non, *unde eſt argenti origo*, ſed *γενέθλην* idem eſſe quod alias *φορὰν*, proventum, *unde magnus eſt argenti proventus*, nempe divites ibi eſſe argenti venas; ſic Callim. H. in Dian. 130. *εὖ δὲ γενέθλη τετραπόδων ἀέξεται*. Δ. 152. *ἄψορρον οἱ θυμὸς* — male exprimi per *iterum ei animus in pectoribus collectus eſt*; voluiſſe poetam exprimere adfectum eorum, qui perterrentur, quibus *fugit retro verſus cor ſanguis*, ut ictus denſentur augeanturque, et pallore os inficiatur. E. v. 92. *ἔργα κατήριπε*, non ſatis convenienter *τῷ κατήριπε* a *Clarkio* verti *ſegetes*, nihilque impedire, quo minus etiam intelligantur arbores conſitae. H. v. 185. *οἱ δ᾽ οὐ γινώσκοντες ἀπηνήναντο ἕκαστος*, male haec, non intellecto Graeciſmo, verti: *hi autem non agnoſcentes, renuerunt ſinguli*: *οὐ γινώσκων ἀπαναίνομαι* eſſe, nego me agnoſcere, ergo vertendum: *hi vero negabant ſe agnoſcere*, ſcil. ſuum ſignum, ſive pro ſua ſorte. Eurip. Iphig. Aul. *θανοῦσα δ᾽ οὐκ ἀναίνομαι*. Θ. v. 423. *Ἀλλὰ σύγ᾽, αἰνοτάτη* — Lenius reddi poteſt ſic: *at tu profecto feroci**ſſima et audaciſſima ſis, ſi revera vis* etc. neque eſſe neceſſario hic vocativos intelligendos; atque ſi ita interpretemur, eſſe etiam quo *εἰ τολμήσεις* referatur. K. v. 467. *συμμάρψας* non eſſe *convellens*, ſed *confringens*; confregiſſe Ulyſſem leviter arundines, et addidiſſe ſimiliter confractis myricae frondibus. Λ. v. 371. *Ἀνδροκμήτῳ ἐπὶ τύμβῳ*, male verti *viri defuncti ad ſepulchrum*; nam *ἀνδρόκμητον* nullo modo eſſe, in quo eſt mortuus repoſitus, ſed *ἀνδρ. τύμβον* opponi vulgari ſepulchro, cui nihil ornamenti ab hominibus acceſſit, in quo nulla *στήλη*. v. 788. *εἰς ἀγαθόν περ* vertendum eſſe, *in rebus honeſtis quidem*, vel *certe*; nam *περ* h. l. diſtinguentis eſſe, non adfirmantis vel augentis. Atque haec quidem de verſione latina. Venimus ad animadverſiones *Erneſtianas*. Sunt profecto, id quod nemo negabit, in notis *Clarkianis* prae-

praeclara multa, et quae apud alios frustra quaeras; sed accidisse viro excellenti idem Noster dicit, quod omnibus, qui in aliquo genere aliquid egregie inventi habeant. Nam dum cupidius quaesiverit artificia poetae, ibi etiam illum reperisse, ubi nulla sint, memorem magis observationis alicuius suae, quam consuetudinis Homericae et parallelismi. Ne igitur in errorem inducantur, aliasque bene excogitatis abutantur, admonuit de his lectores. Veluti *Clarkius* singulare aliquid semper in Asyndetis invenit, quod Noster non ubique probat, ut Δ. v. 327. E. v. 276. et v. 840. M. v. 365. Praeterea varia in notis Vir Cel. disputat, quae cum ad lectionem emendandam, tum ad verba et sententias illustrandas, pertinent. Afferuntur etiam e Schol. inedito, quae prae aliis memoratu digna visa sunt. Hinc potiora delibabimus. A. v. 3. Non probat emphasin, (ad quas fingendas nimis pronos facere dicit viros doctos praepositiones in compositis,) quam *Clarkius* verbo προϊάπτειν tribuit. Il. έ quidem v. 190. προϊάπτειν luculenter nihil aliud esse, quam ἰάπτειν. Sic infra v. 326. προίει non bene verti *praemisit*, cum sit simpliciter *misit*, vel *dimisit*: v. Il. γ΄. 118. δ΄. 398. Similiter quod *Clarkius* ad v. 442. de πρὸ μ᾽ ἔπεμψεν moneat, argutationem esse. v. 4. αὐτὸς bene Schol. minorem interpretari, *corpora ipsorum*; nam αὐτὸς oppositum ψυχῇ esse corpus, et oppositum σώματι animam, omninoque vim huius pronominis diiudicandam esse ex opposito suo. Apud Aratum 670. ubi αὐτὴ opponatur πρύμνη, significare navem totam; frustra igitur Apollonium Rhodium pro αὐτοὺς reponi voluisse κεφαλὰς, ex Il. ί. 544. aut λ΄. 55. v. 70. assentitur quidem *Clarkio*, simplicius esse Homericum ἐσσόμενα Virgiliano *ventura trahantur*; at hoc venustius illo, et exquisitius esse, posito verbo *trahantur* pro verbo substantivo *sint*. v. 97. *Marklandum* ad Lys. p. 592. tentare frustra κῆρας pro χεῖρας: βαρείας χεῖρας Apollinis esse ut v. 89. μεθ᾽ ὅπλων βεβαρημένας, ut glossa interlin. *MS. Lips.* habeat. v. 399. *Clarkianis addit*, Philosophos potius fabulas interpretationibus physicis com-

 men-

mendare et defendere tentaſſe; aliquid verae hiſtoriae ſubeſſe, quod poetae ſuo more ornatius et mirabilius fecerint. v. 464. rationem, cur ſecunda in ἐπάσαντε brevis ſit, non eſſe, ut Grammatici vulgo tradant, in ſignificatione, ſed quod ſit a πάσσομαι. v. 566. quae de duali *Clark.* dicat, bene ſe quidem habere docet, ſi ſubtiliter res aeſtimetur e natura rei; ſed tamen exempla ita perſpicua eſſe in contrarium, ut nullo modo eludi poſſint. Ita Il. δ'. 452. 53. ποταμοὶ — συμβάλλετον: Arat. v. 1004. βοῶντε κολοιοί, ubi v. Schol. eundemque et alibi ſic duali uti pro plurali, ubi non de duobus ſermo. Pſeudo-Orpheum pariter in prooem. de lapid. 77. φυγέτην pluraliter dixiſſe: et eiusmodi plura occurrere. In vulgata lectione commode ἰόντα intelligi poſſe, nam convenire verbo χραίσμωσιν, quod cum accuſativo ſit *arcere.* Correctionem autem ἀσσεῖ ἰὼν habere frigidam tautologiam. v. 597. ἐνδέξια mavult cum gloſſa *MS. Lipſ.* interpretari ἐπιδεξίως, quam *a dextra exorſus.* Pincernas regum cum artificio aliquo miniſtraſſe potum, ut Xenoph. Cyrop. l. 3. καλῶς οἰνοχοεῖ — οἱ δὲ τῶν βασιλέων τέτων οἰνοχόοι κομψῶς τε οἰνοχοῦσι κ. λ. ἐνδέξια eſſe καλὰ, ut τέρατα ἐνδέξια ap. Callim. H. in I. 69. B. v. 99. ἐρήτυθεν δὲ καθέδρας, aut κατὰ intelligendum eſſe, aut diviſim legendum καθ' ἕδρας: ita ἐρητ. habere genuinam ſignificationem, i. e. paſſivam, v. ad Heſych. in ἐράτοθεν Vir. doctos. v. 169. forte nihil aliud poetam ſpectaſſe, quam ut miniſterium alicuius deae interponeretur: Ulyſſem vero potiſſimum hac de cauſa deligi ad rem impediendam, quoniam ei inprimis favens ubique Pallas inducatur. v. 267. in diſputatione de verbo σμῶδιξ non bene procedere rationem *Clarkianam.* Nam ſi σμῶδιξ pro σμῶδιγς, ut φλὸξ pro φλὸγς, genitivus non poteſt eſſe σμώδιγγος, ut nec φλογγὸς, ſed σμώδιγος. Pro *Barneſio* certe eſſe hoc, quod omnia ſubſtantiva, in quibus caſus obliqui, aut plur. habet γγ, in nominativo habeant γξ: litteram γ potuiſſe excidere in ſcriptura librorum, ut in Var. lect. α. v. 46. ἔκλαξαν pro ἔκλαγξαν, et v. 59. παλιμπλαχθέντας pro παλιμπλαγχθ.

πλαγχϑ. v. 302. non Homerico κῆρες ἔβαν Φέρουσαι simile est Virgilianum, *postquam te fata tulerunt*, ut *Clark.* scribit: nam illud est *abstulerunt*, *rapuerunt*, elegantique pleonasmo ἔβαν additur. v. 755. putat, poetam dicentem, Titaresium Peneo olei modo supernatare, quia Stygis rivus sit, respicere ad stygis naturam, quem poetae, ut tarde et leniter sine ullo murmure aut strepitu labentem, et limosum describant. v. 772. verbum ἀπομηνίσας esse ex iis, in quibus praepositio ἀπὸ continuitatem, non modo finem rei, exprimat; sic enim capiendum hoc loco ἀπομ. non simpliciter pro μηνίσας. Δ. v. 20. analogiam linguae utrique interpretationi verbi ἐπέμυξαν, sed contextum et hoc loco, et Il. Θ'. 457. interpretationi versionis latinae, *compressis labris gemebant*, favere. v. 433. scribendum esse πλυπάμονος, nec opus esse duplici μ; a πάω fieri πᾶμα, ut a δράω, νάω, δρᾶμα, νᾶμα etc. duplicationem litterae ortam esse e vulgari pronunciatione, hanc litteram facile duplicante. v. 522. reiicit utramque interpretationem Eustathii, vocis ἄχρις, et mavult id dici elliptice, pro ἄχρι πάντων vel παντὸς, quod habet Strabo VIII. p. 578. et alii. E. v. 83. nihil impedire, quo minus et hic πορφύρεος θάνατος vertatur *purpurea mors:* nec Virgilium, (ut *Clark.* de loco, *purpuream vomit ille animam*, innuere videatur,) purpuream mortem dixisse, quia moriens sanguinem vomuisset, sed quia color purpureus habeat aliquid fusci et nigricantis, praesertim in purpura viliori, unde etiam apud Ciceronem *purpura fusca* occurrat, et propterea purpureus apud poetas pro nigro ponatur, ut *purpureum mare.* v. 150. τοῖς ἐκ ἐρχομένοις — simplicissimum sibi videri interpretari: *quibus euntibus* (ad bellum) *pater non interpretatus erat somnia*, neglexerat interpretari somnia, sive, nulla somnia interpretatus erat, ut a bello absterreret, et domi retineret: ἐρχόμενοι esse *euntes;* σὺν δὲ δύ' ἐρχομένω etc. et v. 198. μοι ἐρχομένῳ, *ad bellum abeunti.* v. 388. non bene Cl. *Riccium*, contra Homeri reprehensorem Gallum, dicere, ἀπόλοιτο hic esse *perdi*, *pessundari*, *ultimam calamita-*

 tem

tem pati: nam et parum decorum esse deo, ab homine perdi et ultima pati, et ei rationi obesse alium huius libri locum, v. 311. Καί νύ κεν ἔνθ' ἀπόλοιτο ἄναξ ἀ. 'Αν. quae verba non aliter hic, quam illic, intelligi possint. *Clark.* frustra sensum mollire voluisse per *fortassis;* sensum esse, *atque ibi haud dubie periisset* etc. v. 744. in galeae descriptione Homerum fortasse non tam magnitudinem, quam firmitatem laudare voluisse, et verba sic esse intelligenda: *adversus centum urbium exercitus suffecturam*, nedum adversus Troianos, nulla vi humana laedendam aut comminuendam. v. 823. placere sibi prae aliis lectionem edd. Florent. et Aldin. pr. ἀλήμεναι pro ἀλήμ. nullo modo ἀλήμ. ab ἄλημι, *vagor, erro*, posse significare *congregari:* tum enim, quod absurdum esset, unum verbum plane contrarias significationes haberet; sed esse ab eodem, unde ἀλὴς, *confertus, densus*, unde ἀλία, ἀλίζω. Arcadius, Grammaticus ineditus, ἄλη, ἄθροισις; hinc ἄλημι posse fieri, ut ἄλημι ab ἄλη, hinc infra ἀλέντες. H. v. 175. non bene interpretari *Clark.* ἐσημήναντο per *signis occultis notabant*, neque hoc patere ex locis ab eo laudatis, sed suum quemque signum calculo suo inscripsisse, ubi exiisset sors, tum illam cuique oblatam esse, ut suum signum agnosceret, cuius esset. Θ. v. 490. se praeferre ποταμῷ ἐνὶ, quod eandem significationem habeat quam ἔπι, et a poetis praesertim saepe dicatur pro *ad, apud, prope.* Sic ἐν Κεραμεικῷ, et centies apud Isocratem, ἡ ἐν Σαλαμῖνι μάχη. v. 547. versum primum, ἔρδον etc. in vulgatis omissum, sed a Platone in Alcib. sec. laudatum, vix abesse posse videri: nidoris enim mentionem desiderare praegressam mentionem sacrificii: vix dubitari posse, Homeri libros tempore Platonis hos versus habuisse, neque temere e variis locis consutos existimandos esse, quoniam Homerum haec de Troianorum sacrificio dicere addat. I. v. 206. per κρεῖον μέγα nec carnem, nec lebetem, commode intelligi posse: illud impedire sequentia; hoc, quoniam assa caro semper sit in coenis Homericis, nec in eodem lebete coquantur

variae

variae carnes. Sed κρεῖον esse τράπεζαν μαγειρικὴν, in qua carnes ponantur, secentur, ut deinde verubus figi possint, quod sequentia doceant. Ἐν πυρὸς αὐγῇ Schol. Lipſ. comparare cum ἐν ἡλίου αὐγῇ: non posuit in aut super igni, sed prope ignem, in culina. v. 394. nihili esse Eustathii observationem de verbo γαμῆσαι, etsi similia sint apud alios: γαμήσεται et γαμέσσεται differre non magis, quam μαχήσεσθαι et μαχέσεσθαι; γαμεῖσθαι autem in medio dici, ut διδάσκεσθαι, quod est, docendum curo, i. e. procurare, ut filius uxorem ducat, prospicere filio de uxore, deligere filio uxorem. K. v. 235. se probare magis τὸν pro τῶν, et ordinem verborum, quem *Clark.* faciat, non accuratum videri: *socium quidem delige, quem vis, et eum quidem optimum eorum, qui adsunt:* Φαινόμενοι, qui adsunt, qui praesto sunt, plane ut latini *apparere* dicunt, quod ex hoc verbo ductum. v. 529. dissentit a *Clark.* cui μάστιζεν δ' Ὀδυσεὺς non videtur inconcinnum; est vero e glossa ortum, quae etiam in MS. Lipſ. est, δ' Ὀδυσσεὺς ἵππους. Λ. v. 270. μογοστόκοι Ἐιλείθυιαι non esse *partuum praesides,* sed *dolorum creatrices,* ut etymologia, et h. l. contextus docent; male exponere Schol. Pseudodidym. et inepte Lipſ. αἱ ἐπὶ τῶν μόγις τικτουσῶν τεταγμέναι. v. 673. ῥύσια ἐλαύνεσθαι vulgo inepte reddi, nihilque esse aliud quam quod uno verbo ῥυσιάζειν apud Diodor. in Excerpt. de Vit. et Virt. p. 549. *praedas agere* ob factam iniuriam, quae hoc modo reparetur. M. v. 54. male *Barn.* pro ἐπηρεφέες, ἐπιρρεφέες vel ἐπιρρεπέες: esse enim hoc epitheton aptum κρημνοῖς, ut Od. κ'. 131. ἐπηρεφέας πέτρας, ubi Schol. min. ἤτοι ἄνωθεν ἐπηρεφεῖς, ἢ ἐπικεκλιμένας: neque enim ibi licere intelligere tectas aqua petras, occulta saxa, quo forte respexerit Hesych. in h. v. v. 231. adnotationem *Clark.* de ἔτι argutam magis esse, quam veram: non nimis propriam vim τοῦ ἔτι urgendam, quod saepe eleganter Graeci dicunt, ubi nulla relatio ad praeteritum, πλεοναστικῶς. v. 458. εὖ διαβὰς, latinius reddi, *magno gradu;* male vero in versione *stans* rursus poni, cum iam ante sit *stetit.* Tyrtaeum pariter apud Lycurg. §. 28. εὖ διαβὰς μενέτω, *magno gradu obtineat locum*

cum suum. Sed haec hactenus. Invitamus autem Graecarum litterarum studiosos, ut ipsi animadversiones Viri Cel. evolvant, et diligenter legant. Neque hoc omittendum est, adiunxisse Nostrum argumentum universae Iliados, quoniam permultum ad bene intelligendos epicos poetas, et suavius legendos, prodesse iudicat, seriem totius operis ac summam argumenti tenere.

CAROLI LINNAEI, SAC. REG. MAI. SUEC. Archiat. Med. et Bot. Prof. Upsaliens. Acad. Imper. Monsp. Berol. Ups. Stockh. Soc. Amoenitates Academicae, seu dissertationes variae, Physicae, Medicae, Botanicae, antehac seorsim editae, nunc collectae et auctae: cum tabulis aeneis.

Holmiae, ap. Godofr. Kiesewetter, 1749. Alph. 1. pl. 13. tab. aen. 17. in 8vo.

Etsi sero ad nos multi libri perferuntur, cum ob intervalla locorum, tum ob communem omnium prope regionum calamitatem et perturbationem: non tamen ideo illos silentio praetereundos esse censemus. Iam *quatuor* accepimus partes Amoenitatum Academicarum, a Cel. *Linnaeo* editarum, quarum argumenta ordine exhibebimus. Continentur vero hac *prima* Parte dissertationes a variis Auctoribus conscriptae, et in Academica Upsaliensi, sub praesidio Viri Cel. ad disputandum propositae, maxima ex parte quae ad rem botanicam spectant. Numerus dissertationum est XVIII. argumenta vero haec: I. *Betula Nana, studio Laurentii Klase.* Frutex Betulae exteris in regionibus rarissimus est, sed Sueciae valde familiaris ac prope domesticus, et Alpes Lapponicas primarium locum natalem agnoscit. Etsi vero Auctor hanc Betulam iisdem virtutibus pollere arbitratur, quibus polleat Betula vulgaris, eidemque oeconomicum quendam usum tribuat; medicum tamen illius usum nullum adhuc innotuisse fatetur. Igitur neque

neque nos plura addimus. II. *Ficus, explicata a Cornel. Hegardt*. Recenſuit atque collegit omnes huius arboris ſpecies, quae Botanicis innotuerunt, atque de mirifica illius fructificatione, de eiusdem per culices ficarios fecundatione, uſuque in diaeta et medicina, expoſuit. In charactere generico autem formando ſe ipſum ſibi non ſatisfacere fatetur, quoniam plurimis ficuum ſpeciebus Europa ſit deſtituta, neque, quae in hortis inveniantur, floreſcere ſoleant, ſi ficum foliis palmatis excipias. Veterum tamen de Caprificatione aenigma ſolvere et explicare ſtuduit. Caprificum eſſe marem, ficumque ſativum feminam: flores latere in cavitate receptaculi, adeo arcte clauſos, ut ſaepius vix caput acus per umbilicum transmitti patiatur: quod ſi iam fructus fecundetur feminae, e cavitate fructificationis caprifici ſ. maris aſcendentem farinam antherarum fructificationes ficus ſativae flatu contingere, ut arctum eius umbilicum penetret, tandemque per totam cavitatem diſſeminetur. Sed tenthredines, quos etiam culices ficuum appellant, eo tempore, quo ficus mas floreſcit, i. e. farinam edit antherarum, e caprifici cavitatibus farina obductis evolare, et coniugibus acquiſitis de ovis pariendis ſollicitos eſſe; hinc ad ſingulos groſſos transvolantes, cavitates ficus feminae, dolii inſtar clavis ferreis vel ſpiculis ſeu piſtillis ab omnibus lateribus intus completas, intrando, non poſſe non farinam, qua tecti ſunt, excutere. Hoc modo ficum hanc feminam faciIlime impraegnari: ſed fructum etiam maturare poſſe ficum feminam, licet ſemina eius non ſint fecundata, quoniam hic fructus non ſit pericarpium, ſed ſolum receptaculum. III. *Peloria, propoſita a Dan. Rudberg.* Fuit haec herba ignota antea, neque ad ullum adhuc cognitum genus referri poteſt. A Linaria generata Noſtro videtur, neque minus monſtrum, quam vitulus, capite lupino praeditus, a vacca procreatus. Nihil enim monſtroſius eſſe, quam quod in hac herba accidat, nempe, ut plantae, quae flores antea regulares produxerit, degener proles irregulares proferat, neque ſolum a

 genere

genere matris; sed classe in tota plane abeat, adeoque exemplo, quod in Botanica inauditum, efficiat, ut nemo eam ob florum diversitatem amplius agnoscere queat. Ideo etiam Peloriam A. appellavit, quoniam in ea quasi communis naturae ordo mutatus sit. IV. *Corallia Baltica, Auct. Henric. Fougt.* In Cap. I. agitur de Coralliis in genere, quae, utrum lapideo, an vegetabili animalive regno sint adnumeranda, nondum patere existimat; in cap. II. autem de Coralliis Balticis, quorum descriptiones exhibentur. V. *Amphibia Gyllenborgiana, descripta a Barth. Rudolpho Hast.* Exponit Auctor primum de colubris, deinde de lacertis, tum de ranis, denique de testudinibus. In serpentibus scuta transversalia abdominis, ab ipsa gula ad anum enumerata, veras constituere differentias specificas dicit, colores inconstantibus et spuriis notis adscribens. In lacertarum differentiis specificis eruendis attendendum esse, utrum cauda sit compressa, sive perpendiculariter plana, an teres, angulata, articulata, continuata serie extensa? an corpus nudum, piscium instar squamosum, tuberculis callosis passim sparsum? an cristatae lacertae aut toto dorso, aut sub gula, aut ad latera? an pedes sint fissi, palmati, diverso digitorum numero instructi? an ungues vel omnibus digitis adsint, vel quibusdam tantum, vel etiam nullis, variante figura? In ranis videndum quot digitos pedes habeant? an unguibus careant? an palmatis plantis gaudeant? truncus an sit oblongus, gracilis, gibbosus, rotundatus, laevis, verrucis et tuberculis exasperatus? In testudinibus cum alia observetur pedum structura in aquaticis, alia in terrestribus; constantissimam notam specificam a pedibus desumi. VI. *Plantae Martino-Burserianae, explicatae a Rolando Martin.* Ioachimus Burserus, qui Bauhino in describendis plantis operam non contemnendam praestitit, herbarium XXV. constans voluminibus collegerat, quod Petrus Martin absolvere voluit, sed morte impeditus fuit. Auctor in hac dissertatione easdem herbas nominibus, quibus a recentioribus Botanicis insigniuntur, specificis illustrat. VII. *Hortus*

tus Upsaliensis descriptus a Samuele Nauclero. Commemoratur, quae sub quoque praefecto horti facies fuerit, quaeque in eo herbae raritate et specie maxime memoratu dignae sint, exponitur, et descriptio aedificiorum, ad hunc hortum pertinentium, exhibetur. VIII. *Passiflora, proposita a Io. Gustavo Hallmann.* Contexuit primum quasi historiam eorum, qui hunc florem vel invenerunt, vel descripserunt: deinde nomina omnia, quae reperire potuit, collegit, ad certas species redegit, differentiam specificam specierum enodavit, unde non solum species XXII. distinctas obtinuit, sed etiam praeter has XIX. species ab auctoribus tam obscure descriptas animadvertit, ut de his aliquid certi dici nequeat. Denique enarrat, quibus in locis potissimum gignatur, quem in Medicina usum habeat, quem in oeconomia, qua superstitione a quibusdam fuerit exceptus. IX. *Anandria, auct. Erland. Zach. Tursen.* Describitur planta, inter flores compositos, et quidem inter discoideos Raii numeranda, cuius semina sub hoc nomine Rutheni Botanici in Sueciam miserunt, quamque nomen et fama indicat flores producere absque staminibus et antheris. X. *Acrostichum, propositum a Io. Beniamin. Heiligtag.* Filices dicit Vir Cl. adhuc indigestas et dispersas esse, nondum speciebus ad propria genera redactis; atque in hac classe ordinanda desiderari adhuc, qui idem studium eandemque operam navet, quam Vaillantius in Compositis, Scheuchzerus in Graminibus, et Dillenius in Muscis praestiterint. Nam ex toto eoque satis numeroso Filicum grege vix supra LXX. reperiri ad genera sua rite relatas species. Ipse unum Filicum genus, *Acrostichum*, describit, omnesque huius generis species enumerat. XI. *Museum Adolpho-Fridericianum, auct. Laurent. Balk.* Superbit museum Academiae Upsaliensis plurimis exoticis rarissimisque animantibus, quorum aliqua ab Auctore describuntur. Classis I. habet Quadrupedia: II. Aves: III. Amphibia: IV. Pisces: V. Insecta: VI. Vermes. Breves, sed sufficientes cognitioni specierum exhibentur descriptiones, synonymaque auctorum

 appo-

apponuntur. Maxime memorabilis est enumeratio serpentum, quarum una scuta abdominalia CLXV. caudalia XXX. alia abdominalia CCXVII. caudalia CVIII. habet. XII. *Sponsalia plantarum, proposita a Io. Gustav. Wahlbom.* Auctor in hac dissertatione illas de sexu plantarum sententias, quas Cel. *Linnaeus* tam scriptis suis inseruit, quam in praelectionibus suis protulit, et demonstrationes repetit, colligit, connectit atque confirmat. Primum ostendit, plantas non secus atque animalia vivere: nam ubi adsit nutritio, ibi etiam adesse propulsionem humorum, ideoque vitam; nutrimentum vero plantarum ex tenuissima fieri humo, quae, mediante aqua, ad radices earum deferatur. Porro, ut omne vivum initium et finem habeat, innumerasque subeat mutationes, ita etiam in plantis infantiam, iuventutem, virilitatem et senectutem observari. Sic hederam primis in annis foliis gaudere lanceolatis, et foliis fructuque destitui; in aetate iuvenili folia habere quinqueloba, et petris arboribusque suffultam sterilem surgere; in medio vitae curriculo constitutam, folia emittere triloba, fulcra deserere, propriisque viribus erectam speciem induere arboris sat procerae, et floribus fructibusque gravidam esse; in senectute denique folia pandere ovata sine lobis. Tum nullum corpus mortuum proprio gaudere motu: si itaque spontanee moveat sese corpus, vivat necesse esse; motum enim proprium et internum in unoquoque corpore vivo dependere a propulsione spontanea humorum, atque ubi propulsio haec humorum, ibi vitam esse. Iam motum plantis inesse inde apparere, quoniam v. c. herbae in hybernaculis constitutae versus lucem inclinent, pleraeque plantae nutent, perque totum diem solem facie sua subsequantur etc. Denique vitam plantarum Noster ex morbis, morte, anatomia, et organismo plantarum, ostendit. Post transit ad generationem plantarum. Omne vivum ex ovo generari, atque ideo etiam vegetabilia, proinde omnes herbas gaudere seminibus et ovis, quibus multiplicentur absque aliqua violenta sectione et propagatione per stolones.

nes. Semina esse plantarum ova, docere eorum finem: omne enim ovum sobolem, parentibus conformem, producere, quod etiam semina vegetabilium. Plantas ex ovi vitello provenire, confirmare ulterius Cotyledones, quae, quando de vaccis similibusque animalibus loquimur, sunt multiplicatae placentae uterinae, foetui adhaerentes, humorem de matrice absorbentes, eumque ad nutritionem tenerrimi foetus praeparantes. Nam omnes herbas et plantas, cum exoriuntur, folia habere seminalia, quae antea totum constituerint semen, excepto hilo, seu corculo isto minimo, in quo punctum vitae: atque haec alimentum tenerrimae plantae praeparare, donec firmiores in terra egerit radices, (non secus ac vitellus in ovo, placenta uterina factus, nutrimentum per funiculum umbilicalem porrigat pullo,) deinde vero eadem decidere. Cum vero omnes cotyledones proveniant ex ovo, vel semine; et cum omnes plantae habeant cotyledones: sequi, ipsas plantas ex ovo esse productas. Post enumerat Auctor potiores sententias Physiologorum, quomodo generatio et fecundatio fiat, veram autem rationem ignorari contendit. Monet etiam quaedam contra Leuvenhoekianam sententiam. Primo enim, ait, vermiculi isti Leuvenhoekiani minime sunt animalcula proprio et voluntario motu gaudentia, sed corpuscula inertia, quae calido semini innatant, non secus ac particulae oleosae, quod selecta Liberkühnii microscopia ostenderunt. Si porro essent vermiculi, ex sententia hac, in ovulis metamorphosin subituri, duabus suis tunicis gauderent, necesse est, et per earum depositionem ex larva in pupam, et demum in animal perfectum transferrentur: ast Amnion et Chorion foetus, non ex vermiculo, sed ex ovo principia ducunt. Tum, sicut semper naturae auctor per compendia agit, ita neque verisimile est, illum tot tamque multa millia animalium ob unius saltem fortunam creasse. Neque haec sententia aliquid ad facilitandam generationem facit. Nam si fingas, haec corpuscula esse vermiculos, tunc hi omnino etiam haberent suos vermiculos, e

quibus ipsi producti essent, hi iterum alios, et sic in infinitum, quod absurdum. Denique placentam uterinam constat esse ex vitello, et vitellum in ovo subventaneo seu non fecundato reperiri. Si itaque rudimentum futuri foetus adscriberetur geniturae maris, tunc funiculus umbilicalis cum suis membranis distinctus omnino esset a vitello, et sic communem minime cum vitello haberet tunicam, quam tamen possidet. Sed redeamus ad rem propositam. Auctor posse, demonstrat, omnem speciem vegetabilium flore et fructu instructam esse, etiam ubi visus eos non conspiciat: omnem florem antheris et stigmatibus componi: illas esse plantarum genitalia masculina, et earum pollinem veram genituram; haec genitalia feminina, atque mediante geniturae antherarum illapsu supra stigmata fieri generationem vegetabilium. Denique variae partes plantarum commemorantur, singularumque quasi officia in genitura exponuntur. Calycem appellat Noster thalamum, corollam auleum, filamenta vasa spermatica, antheras testiculos, pollen genituram, stigma vulvam, stylum vaginam, germen ovarium, pericarpium ovarium fecundatum, semen ovum. XIII. *Nova plantarum genera, studio Caroli Magn. Dassow.* Exhibet genera 43. singula distincta, addiditque non solum species, ut, ex quibus characteres generici desumti sint, appareat; sed quoque genera haec sub ordinibus quaeque suis distribuit, synonyma brevesque descriptiones adiunxit. XIV. *Vires Plantarum, auct. Friderico Hasselquist.* Est haec dissertatio uberior expositio Cap. XII. *Fundament. Botan.* Cel. *Linnaei.* Canonis instar Auctor hanc sententiam proponit: plantas, quae flore conveniunt et fructu, esse congeneres; et quae ita genere conveniunt, affinitatis vinculo inter se esse connexas, et has qua facultates etiam inter se esse conformes, et ita quidem conformes, ut a priori effectum plantae quodammodo determinare possimus. Vires etiam plantarum optime, immo necessario, secundum classes naturales posse determinari contendit, atque eandem rationem ipse sequitur. XV. *Crystallorum generatio, proposita*

ſita a Martino Kaehler. Tuetur Auctor, pluribusque exponit ſententiam Cel. *Linnaei* de generatione Cryſtallorum, in *Obſ. Regn. Lap.* §§. 7. et 8. indicatam. Nempe, cryſtalliſationem ſalibus competere, nullique praeterea corpori alii, omnemque cryſtalliſationem fieri in aqua: omne Quartzum et Spatum eſſe petram paraſiticam, atque generari in cavo aliorum lapidum, et inde excreſcere: ex aqua igitur, in fiſſuris lapidum retenta, exhalationibus lapideis impraegnatam, forte etiam ab aere adiutam, in ſuperficie lapidis excreſcere, et continuo augeri: in fluido aqueo vero primam generationem peractam fuiſſe, docere vegetabilia ſaepe incluſa obſervata, et ſedem. Figuram omnem polyedram in regno lapideo, (ſi petrificata excipias,) a ſalibus ortum ducere: ſalia cryſtalliſationis unicam eſſe cauſam: lapides cryſtallos appellatos a Quartzo et Spato ſola figura differre: cryſtallos omnes in fluido naſci: figuram cryſtallorum cum Natro aut Nitro eandem eſſe, igitur cryſtallos lapides per ſalia componi. Ultimo loco ab Auctore deſcriptiones variarum cryſtalli figurarum exhibentur. XVI. *Surinamenſia Grilliana, ſtudio Petri Sundii. Surinamum*, Belgarum, in continente Americae meridionalis parte, colonia, in ora Caribarenſi ſitum eſt. Inde ingentem minimeque vulgarem animalium copiam Cl. *Grill* accepit et collegit, quorum deſcriptio ab Auctore in hac diſſertatione inſtituitur. Maxime memorabilis eſt deſcriptio aliquot ſerpentum. XVII. *Flora oeconomica, propoſita ab Elia Aſpelin.* Eſt diſſertatio haec catalogus plantarum Suecicarum, uſibus oeconomicis inſervientium. Recenſuit Auctor potiſſimum illas, quae veſtimentis, domibus, cibo, potui, et utenſilibus aliquo modo aptae ſunt, et paucis uſum illarum indicavit. XVIII. *Curioſitas naturalis, auct. Olao Soederberg.* Sunt variae obſervationes, quas Auctor de varietate rerum, de pulchritudine terrae, de corpore humano, membrorum diſpoſitione etc. protulit, ad ſapientiam Dei demonſtrandam. Bona mente haec ſcripſiſſe nobis videtur, ſed declamatorio quodam dicendi genere utitur, tota-

que

que in libelli descriptione ita versatus est, ut quidem, si concionatorem haec ad populum dixisse putes, laudare illum debeas, neque aliquid amplius desiderare; si vero haec medicae artis studiosum cum Viris doctis disputare videas, illi non nisi mediocrem laudem eruditionis et ingenii tribuere possis.

MONUMENTA ANECDOTA VIRORUM POST fata illustrium et clarorum, quibus varia rei litterariae, Historiarum, Antiquitatum, et Iuris Germanici argumenta illustrantur et expenduntur: recensuit, tabulis aeneis et praefatione instruxit, IO. CAROL. HENRICUS DREYER. TOM. I.

Lubecae et Altonae, in offic. Dav. Iversenii, 1760. Alph. 2. pl. 12. tab. aen. 3. in 4to.

Exhibet Cl. *Dreyerus* eiusmodi in hac collectione virorum doctorum lucubrationes, aliaque antiquorum temporum monumenta, quae rebus Cimbricis supplendis, illustrandis, emendandisque inserviant. Est enim maxima antiquitatum Cimbricarum pars spissis tenebris involuta, quae ut dispellantur, optabile est. Continentur vero hoc Volumine I. ERNESTI IOACHIMI DE WESTPHALEN *schediasma de fatis rei diplomaticae Cimbricae, eiusque utilitate et controversiis.* Accidit bellorum inclementia, quam Cimbria saepius experta est, ut chartarum conditoria dispersa, expilata, asportata, exstinctaque sint multa. Episcopi quoque et monachi, gliscenti sacrorum reformationi infensi, multas chartas secum alia in loca abstulerunt, ne largi proventus, ut *Terpagerus* ait, innotescerent, nec Evangelicis usui forent. Seculo XIV. XV. et XVI. homines cum nobiles, tum ignobiles, bellis intestinis exortis, multas chartas in arcibus, urbibus, et monasteriis asservatas surripuerunt. Quatuor prae aliis tabularia maxime referta fuerunt chartis antiquis, ad res Cimbricas pertinentibus: Schauen-

Schauenburgicum Holſaticum, a Comitibus Holſatiae et Schauenburgi, lineae Gueſtphalicae, partium quarundam Holſatiae dominis, poſſeſſum, aſſervatumque in Comitatu Schauenburgico; Segebergenſe Holſaticum, Comitum ducumque Holſatiae, in arce Segeberga cuſtoditum; Slesvicenſe Gottorpiae; et regium Danicum, antiquum Calundburgicum, hodieque Hafnienſe. Sed haec maxime iratioris fati acerbitatem experta ſunt, multasque viciſſitudines, quae ab Auctore commemorantur. Porro utilitas rei diplomaticae exemplis demonſtratur, multique in chartis errores notantur et refutantur. Refutantur etiam ab Auctore, qui ex transactione inter Henricum II. Epiſcopum Lubecenſem, et Gerhardum Comitem Holſatiae, Lubecae A. 1324. inita, praeſtationem homagii a Comite intuitu Comitatus Epiſcopo factam effingunt, et dominio directo atque poteſtati Epiſcopi tribuunt, quod Comes terras ſuas comitatus ab eodem in feudum receperit. Docet contra, infeudationem Lubecenſem nullum directum et proprium ius clientelare Epiſcopo Lubecenſi in Comites et Comitatum tribuiſſe; ſed illam nomine commiſſionis caeſareae, et aliquando ad inſtantiam ipſorum Comitum, ut ſumtibus inveſtiturae imperialis parcerent, peractam eſſe ab Epiſcopis: explicationes vero diplomatum quorundam, de dominio directo Lubecenſis Epiſcopiae in Holſatiae ducatum, ad traditiones erroneas et abſonas pertinere. Transit deinde ad quaeſtionem, an Holſatia et Stormaria Saxoniae ſubfeuda adhuc Sec. XV. fuerint, atque earum Comites in nexu ducum Saxoniae vaſallitio diutius exſtiterint? Hic etiam brevem inſeruit diſſertationem *Stryckii*, adhuc ineditam, de indole veteri feudali Holſatiae comitatus, atque de notiſſimis illis litteris feudalibus Saxonicis. Ipſe eorum ſententiam probat, atque confirmare ſtudet, qui ita exiſtimant: ſi quid feudi Saxonici olim in Holſatia repertum fuerit, illud invito Imperatore, atque adeo facto Ducum Saxoniae contigiſſe, poſt fata Henrici Leonis vero exſpiraſſe, ipſoque iure ad Imperatorem et Imperium rediiſſe.

isse. II. *Idea historiae litterariae Islandorum, breviter delineata* a NICOLAO PETRO SIBERN. Haec dissertatio sectionibus *quatuor* absolvitur. In *prima* agitur de lingua Islandica prisca et recentiore. Linguam primaevam, veteribus *Asamaal* dictam, ad linguam Asarum proxime accessisse, sive ad illam linguam, quam e Graecia Asae intulissent in septentrionalem orbem: habuisse illam suas vicissitudines, nec integram semper fuisse, sed progressu temporum varie mutatam et interpolatam: purissimam olim et nitidissimam, in dialectos nondum partitam, sed unam, puram, simplicem, et antiquissimae Asiaticae proximam, apud primos incolas viguisse: sed antiquam illam linguam perobscuram esse, verbisque compositam, quae hodie non ab omnibus intelligantur; historias tamen, et quaecunque stilo historico non ligato scripta supersint, magnum a compositionis nitore ornamentum habere. Habere linguam Islandicam periodum fatalem ab initio Sec. XVI. et in hunc usque diem tanta decrementa capere, ut post reformata sacra vix unus libellus prodierit, quem elegantia orationis commendet. Annales multos exstare in Islandia, sed eos plus ad corrumpendam, quam ad emendandam linguam conferre: qui remotissimi sint a Danorum commerciis, Islandos, linguam suam intaminatam servare; reliquos idioma suum dediscere: esse magnam linguae Islandicae ubertatem et copiam, neque aliam, praeter Graecam, in vocibus compositis maiores divitias et concisiorem nitorem ostentare. In *Sect. II.* exponit Auctor de Runis Islandorum. Non de Runis septentrionalium populorum in universum, de quibus tam variae sunt virorum doctorum opiniones, agit Auctor, sed de propriis Islandorum. Fieri passim in libris eorum, ex antiquitate residuis, Runarum mentionem, tritissimaque esse carmina, in quibus octodecim usus et effectus magicarum Runarum enarrentur: sed Runas istas pro vulgaribus litteris minime fuisse Islandis in usu, characteres potius fuisse magicos, aut notas quasdam superstitiose fictas. In *Sect. III.* differit A. de studiis Islandorum litterariis. Ante refor-

reformata ſacra Islandos non adeo linguarum, Graecae et Hebraeae inprimis, fuiſſe gnaros; habuiſſe tamen duas ſcholas, unam in civitate Holenſi, alteram in civitate Scalholtenſi. Ex hiſtoricis veteribus admodum paucos latine doctos fuiſſe: ſed prae aliis eminere *Saemundum*, ob inſignem doctrinam ſapientis nomine ornatum, et novennem ad celeberrimas Italiae et Germaniae academias profectum: *Aram*, quem vulgo Polyhiſtorem appellant: *Brandum Ionae*, cuius exſtant verſiones latinae Alexandreidos, hiſtoriae Scholaſticae Petri Comeſtoris, Lucani, et Salluſtii, in vernaculam linguam. Sub initia reformationis, linguas, artes, atque ſcientias diligentius excoli coepiſſe: ex illis Latinam, ex his Theologiam, theticam et aſceticam, ſemper caput extuliſſe: linguae Graecae et Hebraeae ſtudia ſemper friguiſſe. E Philologis latinis maxime celebrari *Magnum Olai*, Lexici Runici auctorem, et Eddae Snorronis latinum interpretem: *Runolphum Ionam*, qui Grammaticae Islandicae rudimenta ſcripſit: *Torlacum Sculonium*, Epiſcopum Holenſem, alios. E Theologiae aſceticae cultoribus, omnibus palmam praeripere *Gudbrandum Thorlacium*, primum editionis bibliorum Islandicorum auctorem, atque typographia Holis inſtituta, optimos quoslibet Latinos et Germanicos libros, et in his Gerhardi meditationes ſacras, in uſum civium transferentem et edentem: hunc ſecutos eſſe *Arngrimum Ionam*, et *Thorlacium Sculonis*, pariter varios libros, pietatis ſtudio inſervientes, Islandice qui verterint. Clarum eſſe etiam ob ſtudia theologica *Ioannem Widelinum*, e milite gregario ſacerdotem, oratorem, poetam, et iuris patrii peritisſimum, qui enarrationes Evangeliorum, variasque orationes ſacras edidit: *Ionam Arnaeum*, qui praeter Calendarium Islandicum, quaeſtiones catecheticas ſcripſit. Prae aliis porro memorandum eſſe *Paulum Biornonis*, Hebraeae, Arabicae, Chaldaicae, et Syriacae linguae gnarum; et *Olaum Ionae*, carminum Hebraicorum ſcriptorem. In primis vero laudandum eſſe *Brynolphum Suenonium*, Epiſcopum Scalholtenſem, quem Auctor

virum in studiis elegantioribus, si cum Latinam tum Graecam linguam spectes, supra laudem et sortem patriae suae versatum, et sine exemplo priorum Islandorum, et fortasse posteriorum, doctum fuisse, cuiusque epistolas quasi thesaurum aliquem variae eruditionis et prudentiae servari, dicit. Medendi artis peritos admodum paucos habuisse Islandiam, e schola Galeni alicuius aut Hippocratis discipulos: plurimos esse illitteratos et αὐτοδιδάκτους homines, qui magis ex libris Germanis scientiam suam acceperint, quam a doctoribus vivis, aut libris latinis. Iurisprudentiam Islandorum tot cultores nactam esse, ut integram bibliothecam constituant horum vitae et scripta: multos commentatos esse in integrum legum codicem Magnaeum, plurimos certos titulos illustrasse, alios glossaria confecisse, et antiquitates iuris excussisse, alios de innovandis legibus, alios contra mutationem earum scripsisse. Mathematicarum scientiarum studiosos non plures Islandiam habuisse, quam medicarum. Neque esse quenquam memorandum praeter *Theodorum Thorlacium*, *Runolphum Ionae*, *Stephanum Olai*, *Gislaum Enarium*, et, qui hodie vivat, *Ionam Gam*. Astrologiae studium olim non ignotum fuisse Islandis, sed, praeter Thorlacii Calendarium perpetuum, nullum in Islandia esse Astronomicum librum editum. Pariter neglecta esse Physica, Chymica, Botanica; sed de Logicis et Metaphysicis quosdam libros exstare. Philosophiam moralem maxime carminibus contineri, quae plena sint sententiis argutis, et ad vitam instituendam aptis: singulares libros non esse editos. Sed maxime memorabilia esse adagia Islandica, ex optimis prudentiae praeceptoribus collecta. Genealogia valde delectari Islandos, quatenus illa ad familiarum in patria nobilium originem et propagationem spectet; inprimis vero feminas honoratiores, quae in hoc studio virorum plerumque sint magistrae. Geographiam eosdem valde negligere, et vix ultra tres quatuorve fuisse, qui locorum situs bene callerent. Verum poesi hanc nationem valde deditam fuisse. Habuisse Islandiam etiam Latinos

tinos poetas, *Brynolfum Suenonium*, et *Ioannem Widalinam*, illum Lyrico et Elegiaco, hunc Heroico et Phalaecio carmine excellentem. Hiſtoriae quoque multum operae dediſſe, ſed patriae magis, quam exoticae; poſt reformationem paucos bonos hiſtoricos extitiſſe, hodieque annales tantum contexi, et ſaepe ab hominibus indoctis et ruſticis, nulliusque praeterea rei, quam litterarum ductus, gnaris. Antiquos hiſtoricos nunquam libros, ſemper vero relationes ſibi factas memorare, quibus tamen fides non temere deroganda ſit. Ultimo loco ab Auctore laudes virorum primariorum Islandiae eruditae, *Magni Olai*, *Gudmundi Andreae*, et *Ionae Rugmanni*, recenſentur. Vita *Gudmundi* memorabilis prae aliis eſt: quare ex ea aliqua delibabimus. Scripſerat hic de polygamia, atque concubinatum argumentis haud abſurdis defenderat; quae tamen defenſio ei tam infeliciter ceſſit, ut a praefecto regio abduceretur in Daniam, atque in carcerem, arci regiae Hafnienſis contiguum, et facinoroſonum criminum reis deſtinatum, coniiceretur, ita tamen, ut ultro citroque in turri ambulare liceret. Nemo pro eo cauſam dixit, nemo ad iudicium regis illius nomine provocavit. Sed cum nocte aſtra contemplaretur, atque huius contemplationis dulcedine captus, corpus inconſiderantius per feneſtram exſereret, praeceps e turri, ſed ſalvus, ante oſtium decidit, ubi regii liberi nutriebantur. Ignarus ubi eſſet, Gynaeceum ingreſſus eſt, ſummo cum terrore omnium: poſtridie hic tumultus ad regis aures pervenit, qui e *Gudmanno* ipſo totam cauſam cognoſcit, librum accurate Theologis examinandum tradit, illumque non ſolum dimittit, ſed beneficiis quoque, ob libri acumen, quibusdam ornat. In *Sect. IV.* de variis ad ſtudia Islandorum pertinentibus diſſeritur. Hiſtoricorum veterum Islandicorum monumenta plurimum conferre poſſe ad conciliandam huic genti omnium nationum aeſtimationem, ſi modo aliquis probam huius linguae notitiam ſibi adquirat, eaque edat. Sed ſe vix ſibi perſuadere poſſe, ait A. ullum repertum iri, qui tot difficul-

 tates,

tates, quibus haec lingua scateat, devorare sustineat. Haec hactenus, in quibus excerpendis ideo longiores fuimus, quoniam reliquorum titulos tantummodo addere licet. III. MATTHIAE NORMANNI *codex antiquissimus iuris Vandalico-Rugiani, ex vetustissimis observantiis Rugianis, consuetudinibus et iuribus Germanorum, praecipue Septentrionalium, compilatus, circa initium Seculi XVI. vulgo:* dat olde Wendische-Rugianische Land-Recht: *prodit nunc primum e duobus codicibus MSC. invicem collatis, e Musaeo* Io. Car. Henr. Dreyeri. IV. *Incerti Auctoris Chronicon Holsatiae rythmicum, ab A. MCXCIX. usque ad A. MCCXXV. prodit e codice veteri chartaceo.*

SOLUTIO PROBLEMATIS GEOMETRICI, EIUSque Usus in Astronomia. Auctore I. F. HENNERT, Geometra Berolinensi.

PROBLEMA.

Ducere lineam, quae tangit duos circulos positione et magnitudine datos.

SOLUTIO.

TAB. II. Ponamus radios CL, DN esse a, b, et distantiam CD centrorum C et D $=$ d, ita ut sit $d > a+b$. Si puncta L et N sint puncta contactus tangentis quaesitae, radii CL, DN perpendiculariter insistunt tangenti LM ad puncta L, N. Hinc producta CD usque ad concursum tangentis LM, nanciscemur duo triangula similia CLM, DNM, ergo $LN = \frac{NM.\ CD}{DM}$.

Sed $CM^2 = (CD+DM)^2 = CD^2 + DM^2 + 2\,CD.\,DM = CL^2 + LM^2$. sive $CD^2 + DM^2 + 2\,CD.DM = CL^2 + (LN+NM)^2 = CL^2 + LN^2 + 2\,LN.NM + NM^2$. Verum $DM^2 = NM^2 + ND^2$, qua aequatione a priori subducta et valore ipsius LN substituto, prodibit, $CD^2 + 2\,CD.\,DM = CL^2 + \frac{NM.^2\ CD^2}{DM^2} + \frac{2\,NM^2.\,CD}{DM} - ND^2$, vel $d^2 + 2\,d.\,DM = a^2 + \frac{NM^2.\,d^2}{DM^2} + 2\,\frac{d.\,NM^2}{DM} - b^2$,

— b^2, Eliminando $NM^2 =$ D… habe…
$d^2 + 2\,d.\,DM = a^2 + d^2 - d^2\,b^2$ … 2 … el
DM … D

casu re…
$DG = b$, ipi…

tates, quibus haec lingua scateat, devorare sustineat. Haec hactenus, in quibus excerpendis ideo longiores fuimus, quoniam reliquorum titulos tantummodo addere licet.

C
V
va

$$\frac{NM.^2\,CD^2}{DM^2}+\frac{2\,NM^2.\,CD}{DM}-ND^2, \text{ vel } d^2+2\,d.\,DM=a^2+\frac{NM^2.\,d^2}{DM^2}+2\frac{d.\,NM^2}{DM}-b^2,$$

$-b^2$, Eliminando $NM^2 = DM^2 - b^2$, habebimus $d^2 + 2d.DM = a^2 + d^2 - \frac{d^2 b^2}{DM^2} + 2d DM - \frac{2db^2}{DM} - b^2$, vel

$DM^2 - \frac{2db^2 . DM}{a^2 - b^2} = \frac{b^2 d^2}{a^2 - b^2}$, Hinc duos valores ipsius DM obtinebimus, scilicet erit $DM = \frac{db(b+a)}{a^2 - b^2}$, ergo $DM = \frac{db}{a-b}$ et posito $a > b$, prodibit $-DM = \frac{db}{a+b}$.

§. 2. Ex solutione Problematis, primo loco patet, dari duo puncta M et G in linea CM, quorum unum ad dextram, alterum ad sinistram Centri D (propter radices affirmativas et negativas ipsius DM) partem cadit. Deinde constat, ex uno puncto extra circulum dato duci posse duas tangentes, aequales ergo revera dantur quatuor tangentes, ML, MF, GH, GB Problemati satisfacientes.

§. 3. Facili negotio procedit constructio geometrica. Nam determinata linea DM, construatur *Semicirculus supra* DM, cuius peripheria occurret circulo SNA in puncto contactus N, per puncta N et M ducatur linea LNM, quae erit una tangentium. Fac arcum $NA = AE$, duc MEF habebis secundam tangentium. Idem erit statuendum de construendis duabus reliquis tangentibus.

§. 4. Si duo circuli sint aequales, ergo $a = b$, erit $DM = \frac{bd}{a-b} = \infty$, et $-DM$ sive $DG = \frac{bd}{a+b} = \frac{d}{2} = \frac{CD}{2}$. Hinc liquet duas tangentes dari parallelas, atqui duas tangentes in medio distantiae centrorum illi occurrere. 2) Ponendo $a+b = d$. Ideo propter $RS = o$, circuli sese tangent; fiet $DM = \frac{b(a+b)}{a-b}$, et $-DM$ sive $DG = b$. Hoc casu revera tantum duae tangentes existunt, etenim ob $DG = b$, ipsi circuli sese tangent, in quo contactu duae reliquae

reliquae tangentes quasi in unum punctum coeunt. 3) Quando circuli sese *secant*, erit CD = d = CR + RD = a + RD, inde erit $DM = \frac{a.a+RD}{a-b}$, et $DG = \frac{b.a+RD}{a+b}$, ergo a + b : a + RD = b : DG, sed a + b > a + RD ergo b > DG, quod fieri nequit, nam ex puncto intra circulum tangens non potest duci, proinde praesens casus duas tantum exhibet tangentes. 4) Denique, si unus circulus existat intra alterum, erit a > CD + b et a — b > CD. Verum a — b : d = b : DM, ergo b > DM, quod fieri nequit. Porro a + b : d = b : DG, quoniam a > CD + b, erit etiam a + b > CD = d hinc b > DG, quod fieri nequit. Idcirco nullas tangentes hic casus nobis sistit.

§. 5. Insignem usum praestat hocce Problema in Astronomia, cuius ope longitudo umbrae planetae vel Sphaerae opacae, et magnitudo penumbrae, aliaque ad rem spectantia, adcuratius, quam fieri solet, possunt deduci. Sistant nobis Circuli O et P, Solem et Planetam, quorum tangentes LM, FM ductae modo supra exposito definiunt conum umbrae DM, cuius altitudo est DM. Sit Planeta P tellus nostra. Maxima distantia Solis à terra valet 20337 semi diametros terrae, quum diameter apparens ⊙ sit 31'33", inde ipsa diameter solis aequatur 93, 40 semidiametris terrestribus. Hinc fiet d = 20337, a = 93, 4 b = 1, ergo prodibit altitudo coni umbrae $DM = \frac{db}{a-b} = 220$ semid. terrae. Si calculum instituas more vulgari inferens, sin. dimidii anguli, sub quo ⊙ e terra conspicitur, vel sin. 15'46": sin. tot = radius terrae: DM, invenies DM = 218 semid. terrae. Vitium, quo haec supputatio laborat, latet in angulo DMN non recte assumto pro angulo LDC, qui aequatur semi diam. apparenti solis. Etenim ang. LMN = ang. LDC — ang. DLM, sed ang. DLM sine errore potest assumi pro parallaxi solis, quam pono 10". Hinc diminuendo ang. 15'46½ parall. solis 10", atque instituendo calcu-

lum,

lum, uti fecimus, adcuratiſſime prodit DM = 220 ſemid. terrae, quemadmodum per noſtram methodum fuit erutum. Depromſi (*) minimam diſtantiam ſolis a terra, (uti caetera elementa, quibus uſus ſum), quam inveni 9832 ſemid. telluris, et Diametrum ſolis apparentem 32′ 37″. Hinc ex methodo noſtra deduxi longitudinem umbrae 213,4, ex methodo vulgari 211, 2, et ex methodo vulgari per parallaxin ſolis correcta 213 ſemi d. telluris. Ex exemplis allatis abunde eluceſcit, quantum valeat noſtra Methodus, ex qua nulli errores naſcerentur, quum adhibueris correctiorem rationem ſolis et terrae diametrorum, ex inſtanti tranſitu Veneris per diſcum ſolis deducendam.

§. 6. Liquet ex Aſtronomia, magnitudinem penumbrae determinari per punctum G, et productas tangente IH, QB. Quoniam GD $= \frac{bd}{a+d} =$ 215, 4 ſemid. terrae pro maxima ſolis a terra diſtantia, atqui DM = 220 ſemidiam. patet ang. HGL eſſe $<$ ang. NMD ergo ang. HGD multo minor erit ang. LDC, cui tamen aequalis poni ſolet. Plura elegantia Problemata, ad Penumbrae ac Umbrae phaenomena ſpectantia ope propoſitionis noſtrae ſolvere liceret, ſi hoc noſtri inſtituti nunc foret, quod alia vice praeſtabimus.

§. 7. Manente eadem diſtantia *d*, longitudo umbrae, DM, decreſcit, creſcente radio maioris ſphaerae, prae radio minoris ſphaerae, nam ($a-b : b = d :$ DM) hoc caſu $a-b$ augetur, et *b* diminuitur, hinc DM decreſcet. 2) Manentibus iisdem radiis, augendo diſtantiam, augetur longitudo umbrae (**).

L. AN-

(*) ex calendario Acad. Reg. Pariſ. huius anni connoiſſance du tems.

(**) 3) Si Sphaerae multum differant magnitudine, tunc parum lineae DM ac DG a ſe differrent, quod locum habet in ſyſtemate ſolari, ſi excipias Iovem, etenim illo caſu denominatores $a-b$ et $a+b$ fere aequantur, hinc $\frac{db}{a+b}$ = DG parum diſtabit a linea DM $= \frac{db}{a-b}$.

L. ANNAEI FLORI EPITOME RERUM ROMA-narum, ex recensione IOH. GEORGII GRAEVII, cum animadversionibus eiusdem: accessit praeter Ampelium, Libellumque variar. lection. Praefatio IO. FRID. FISCHERI.

Lipsiae, in libraria Fritschia, 1760. Alph. 1. plag. 18. in 8vo.

Laudavimus iam aliquoties Cl. *Fischeri* consilium, sordes, quibus profanae Minellii, Iunckeri, aliorumque manus, pulcherrimas veteris Latii reliquias commaculaverunt, abstergendi eisdem, atque eiusmodi editiones iuventuti tradendi, quae teneros animos sensu aliquo veri et pulchri imbuant, et rectam ad humanitatis studia viam illis aperiant. Eodem consilio a Nostro Graeviani Flori editio repetita est. Nam primum texta Graeviana, ex editione anni octogesimi superioris seculi descripta, et deinde integrae notae eiusdem Graevii additae sunt, quibus legendis, vere iudicat, et magistros, et tirones, Latinae linguae scientiam mirifice augere et amplificare posse. Graevius enim, ut facile intelligent, qui viri summi ingenium et doctrinam perspectam habent, praefationem primo auream praemisit, in qua multa acute et docte de stili Flori et orationis vitiis monentur: deinde ea diligentia et quasi religione in constituendis textis versatus est, ut sine idonea caussa, veterumque librorum suffragiis, nihil temere emendaret, (sic enim appellant vulgo depravationes auctorum,) aut reciperet; tum adnotationes et doctissimorum virorum, Lipsii atque Nicolai Heinsii, coniecturis ornavit, et propriae doctrinae copiis valde locupletavit, atque etiam nummos, aliaque antiquitatis monimenta addidit, quibus cum historia illustraretur, tum Flori fides adiuvaretur. Chronologicas Excerptiones, Indicemque Vir Cl. ex editione Freinshemiana petiit, adiuncto

iuncto e Dukeriano exemplo Ampelii libro memoriali, cuius ope non raro Flori vulneribus medicinam factam esse constat. Atque de his quidem non opus est plura dicere. Nemo Florum, nemo Graevium, Graeviique adnotationes ignorat. Veniamus ad illud, quod sibi Cl. *Fischerus* quasi proprium in hac editione vindicare potest. Collegit enim in peculiarem libellum varias lectiones, cum e libris manuscriptis a viris doctis excerptas, tum a se ipso e variis editionibus collectas, de quibus in praefatione accurate exposuit. Iam in Germania antiquissimum omnium, optimumque ad corrigendos emendandosque Flori libros codicem, suppeditavit nobilissima illa quondam Palatina bibliotheca, quo Salmasius et Gruterus usi sunt. Hi inde duo quoque alios codices acceperunt, verum ut vetustate, ita etiam bonitate, longe inferiores. Post Berolinensis regia Laurentio Begero unum eumque bonae notae codicem dedit, quem Lipsius olim possedit. Porro Francia Vinetum suum instruxit variis codicibus scriptis, neque malis illis: duobus quidem, quos non uno loco nominatim laudat, et aliis, quos in notis passim commemorat, etsi nihil de antiquitate eorum addat. Tum Dukerus usus est lectionibus duorum codicum bibliothecae regiae Parisiensis, quae etiam Samueli Sciassio trium codicum copiam fecit. Belgii bibliothecae potissimum sex codicibus Floro profuerunt: primo, qui, Ryckianus appellatus, a Dukero excussus est, qui et reliquos diligentissime cum editis contulit. Ex Italia, illa codicum manuscriptorum patria, duobus tantummodo licuit viris doctis uti, Malliabecciano et Florentino, quos Tollius, licet non accurate satis, inspexit. Praeterea Graevius usus esse dicitur optimo libro e Burgundia misso; et Dukerus laudat Ramosi codices, de quibus nihil certi constat. Haec de libris calamo exaratis, quorum lectiones Noster

collegit, e quibus apparere dicit, hosce codices non ex uno, verum ex multis, iisdemque diversis fontibus, manasse. Inter libros editos, formulisque descriptos, primam Flori editionem Fabricius putabat eam, quae Lutetiae Parisiorum, in aedibus Sorbonae, anno quinti decimi seculi septuagesimo, quaternis prodiit. Sed Nostro iam ante hanc exiisse videtur illa, qua, loci et librarii nomine numerisque anni destituta, usi sunt Gruterus et Dukerus, multum qui ei auctoritatis tribuerunt. Eodem seculo saepius evulgata fuit Flori historia, ut Romae anno secundo et septuagesimo, ex officina Cunradi Sueinhemii, et Arnoldi Panartii, ut Mediolani anno quarto et nonagesimo, ut Venetiis ter annis novissimis seculi. Sed has *Fischero* V. Clar. non contigit videre. Eo ipso tempore Be[illegible]aldus et Sabellicus diligentiam suam ad emendandum Florum contulerunt, quam tamen non multis probari notum est. Nactus tamen est inprimis Vir Cl. tres editiones, hoc ipso seculo Lipsiae evulgatas, neque adhuc a quoquam in recensendis Flori libris consultas. Prima in officina Cunradi Gallici, anno septimo et octogesimo, quaternis, accurate et atramento pernigro descripta est. Plagulis absolvitur quatuordecim, et hunc indicem habet: *Lucy Flori historiographi Epithomata. Ad lectorem. Magnorum quicunque voles exempla virorum Noscere, quos fortes inclita roma tulit, Me lege. tum dices, quam multos florus in annos Edidit hanc claram lucius historiam.* Ipsam editionem curavit Fridianus Pighinucius Lucensis, quem eleganter doctum fuisse ex epistola dedicatoria apparet. Hanc Noster dicit non e libris antea vulgatis, sed e codice MS. ductam esse, multasque continere lectiones, quae in aliis non reperiantur: ut cap. 1. proem. 3. *admirationi:* ibid. 6. *benedixerit:* 1, 10, 6. *interfectus:* 2, 5, 1. *Titinumque:* 2, 6, 20. *adversi:* 2, 6, 46. *adoratam* etc. Non pauca quoque

que a Dukero, Aldo, tanquam parenti, tribui, quae iam multo ante nata in Lipſienſi hoc exemplo extent: ut cap. 3, 21, 27. *Fluentia:* 4, 2, 86. *Cenonius.* Fontem illius bonum codicem fuiſſe, neque ingenio Pighinucii inepte contaminatum, praeter orthographiae veteris integraeque veſtigia, (ut *hoſtium* pro *oſtium*, *contio*, *inicere*, *opidum*, *extimare*, *ſeperatos*, *theſalici*, etc.) abunde declarare magnam lectionum et bonarum multitudinem, et aperte malarum vanarumque, quae operarum vitio vix ortae eſſe videantur. Ad illa pertinere c. 3, 5, 11. *cheromam:* 3, 5, 16. *hiſtris:* 3, 10, 2. *Britaniam:* 3, 10, 14. *uno* et *Moſſellam:* 3, 11, 7. *Mazzere:* 4, 12, 49. *arracillum* etc. ad has, 1, 11, 2. *vano* pro *vario:* 1, 11, 4. *eademque* pro *ea denique:* 1, 17, 1. *incitati* pro *intacti:* 3, 21, 20. *multi* pro *inulti:* 4, 7, 15. *oblacione* pro *abolitione:* 4, 10, 3. *nivibus* pro *nimbus:* 4, 12, 63. *pertineret* pro *poeniteret* etc. Ex hac Lipſienſi prima totam fluxiſſe, ne vitiis quidem emendatis aut ſublatis, immo aliis auctis, illam, quam ex officina Martini Herbipolenſis, in chartis maximae formae, anno nonageſimo quarto edidit Iacobus Baryntus, licet liberalium artium Magiſter, huic tamen negotio ſuſcipiendo non ſatis aptus. Barynti editionem praeceſſiſſe eam, quam officina Iacobi Thanneri, anno non addito, emiſit, diverſam illam ab ea, quae a Metario memoretur, anno ſexto et decimo ſequentis ſeculi curata. Illum quidem, qui huic editioni praefuerit, videri exemplum primae Lipſienſis deſcribendum operis tradidiſſe; ſed vel ingenii ope, vel adiumento librorum ſcriptorum, emendatum et correctum. Etenim habere hanc editionem lectiones multas non modo communes cum Lipſienſi prima, in his ineptas et falſas, quae in aliis libris non inveniantur; verum etiam proprias, neque cum Lipſienſi prima, neque cum reliquis libris editis ſuperioribus communes, easdemque oppido bonas,

 ut:

ut: 2, 7, 10. *vagantem* pro *vadentem:* 2, 11, 6. *suffocandas:* 2, 16, 4. *Helis:* ib. 5. *cum.* 2, 18, 2. *apud Durium* etc. Seculo decimo sexto prima Flori editione donavit studiosos litterarum, Mediolani, officina Minutiani, anno secundo: quam et Metarius, et reliqui Flori enarratores ignoraverunt. Hanc a Minutiano Iustini libris adiectam esse, totamque convenire cum ea, quae anno decimo quaternis Lutetiae Parisiorum, sumtu Iohannis Parvi, exiit. Usus vero est Vir Cl. duplici huius editionis exemplo: utrumque numeris anni caret, utrumque praeter Florum Iustinum complectitur; sed differunt tamen haec inter se ita, ut illud, quod Dukerus adhibuit, quodque Parisiense primum appellare licet, alterum chartarum nitore et puritate, formularum elegantia, et describendi diligentia vincat. Badianam editionem, et Aussurdi exemplum, Noster non vidit; sed Iuntinae paucas animadvertit inesse lectiones proprias, plurimas cum superioribus communes. Aldum porro, vel Asulanum, scriptorum codicum fidem negligentes, vel Iordanis levitati, vel ingenii libidini paruisse, et inepta ista importunaque audacia plura loca depravasse magis, quam emendasse. Maioris faciendam esse fidem et curam Iohannis Tacuini, in cuius officina Florus anno duodecimo lucem adspexit, et quidem iterum, Venetiis. Exemplum hoc e scripto codice ductum videri: nam continere illud lectiones proprias plurimas, easque vel veras, et fide aliorum scriptorum codicum confirmatas; vel ad veras proxime accedentes, et a nemine ante Nostrum prolatas, ut: 1, 10, 3. *prodigia:* 1, 13, 7. *damnavit:* 2, 18, 2. *funeribus:* 3, 1, 3. *per adoptionem mortuis:* 4, 2, 86. *adeo nondum desperantem:* ibid. 85. *confectus* etc. Deinde vitia operarum, quibus inquinatum est, inde orta videri, quoniam Tacuinus, summa diligentia, omnia, etiam vitia libri scripti, immutata reddere voluisset. Porro hanc editionem lo-

cis

eis nonnullis prioribus pleniorem esse, ut 4, 2, 51. *ut una navicula Lesbon applicaretur,* quae verba ab edd. reliquis absunt; atque etiam nonnunquam duas unius loci lectiones exhibere, interiecta particula *vel*, quod indicium sit diligentiae fideique Tacuini. Hanc sequitur editio Iohannis Camertis, deinde ab Hervagio repetita et Gryphio; quam excipiunt tres Vineti editiones, quae accuratissimae et maxime sanae Grutero audiunt. Neque tamen Dukero, neque Nostro, ullam earum inspicere contigit. Hic vero nactus est exemplum, e Vineti editione expressum, et Lugduni, anno seculi septimi decimi sexto, ab Auberto Miraeo adornatum. Vineti editiones duae sequuntur Stadii, quae, quod ad texta attinet, nisi uno alterove loco, inter se non distant. Stadius quidem Aldum fere et Camertem in constituendo textu sequitur, sed amore coniecturarum suarum persaepe eo deducitur, ut, relicta librorum omnium auctoritate, illas recipiat. Huius Stadianae editionis, et quidem secundae, exemplum totum deinde recudi curavit Amstelodami Io. Isaacus Pontanus. Post Stadii aetatem eluxit magnum ingenium Gruteri, qui non mediocri diligentia Flori libros bis recensuit: atque hunc textum Gruterianum, prioris quidem exempli, repetiit Harderovici Iacobus Zeuecotius. Grutero adiungendi sunt Salmasius, Freinshemius, atque Taneguidus Faber, quos sequitur Anna Fabra, etsi *non passibus aequis.* Vere enim Noster iudicat, illam, patris exemplo, in notis multas coniecturas perspicue vanas proferre, et plura docere tralatitia atque puerilia. Tum, quantum laudandam esse censet operam Graevianam, tantum etiam dicit castigandam immodicam effrenemque Blancardi et Begeri temeritatem: quorum ille editionem Flori multis coniecturis contaminavit; hic, ut alia taceamus, proprias emendationes aliorumque utplurimum admisit. At-

que

que in hoc negotio quomodo verſatus ſit, facile inde intelligi poſſe Noſter dicit, quod Begerus fuerit de grege eorum, qui, in enarrandis et emendandis ſcriptorum veterum libris, bonam Dialecticam magis, quam uſum loquendi, et linguae legum vocem audiendam exiſtiment, ita ut nec potuerit fieri, quin imperite et inepte diſputaret contra Graevium, puer ſcilicet contra Herculem. Ultimo loco elegantiſſimi Dukeri editio commemoratur, meritaque laude afficitur. Atque hae ſunt illae editiones, e quibus Vir Cl. varias lectiones excerpſit atque collegit, in quibus eam diligentiam adhibuit, ut neque minimas diverſitates praeteriret. Qui labor, taedii profecto pleniſſimus, quam utiliter a Noſtro ſuſceptus fuerit, non opus eſt ut pluribus commemoremus.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiae

Calendis Augusti Anno MDCCLX.

MEMOIRES CONCERNANT CHRISTINE, REINE de Suede, etc. TOME QUATRIEME.

i. e.

COMMENTARII DE REBUS CHRISTINAE, REGInae Sueciae, quibus et historia regni eius, et vitae ipsius privatae, et historia eius temporis civilis atque litteraria, illustrantur, etc.
TOMUS QUARTUS.

Amstelaedami et Lipsiae, apud Io. Schreuderum, et Petr. Mortarium iuniorem, 1760. Alph. 3. plag. 2. quaternis.

Nunc demum exegit doctiss. *Arkenholzius* hoc magnae Christinae honori et memoriae dicatum monumentum. Postquam enim operosam eius in conquirendis scriptis omnibus, quae clarissimae huius Reginae historiam spectarent, largiter remunerata esset fortuna: amplissimum his quatuor Tomis thesaurum nobis et posteritati obtulit, unde quaecunque gessisset Christina, quibus negotiis implicita, quo animo fuerit, quos amicos habuerit vel inimicos, reliqua plurima, tuto cognoscerentur omnia. Dicemus nunc deinceps de singulis, ad ordinem ab illustri Auctore constitutum.

Atque ut continuo argumentum Tomi huius postremi proponamus, pergit primum Cl. Vir in edendo *Christinae commercio litterarum politico, erudito et familiari*, ab A. 1655. ad annum 1689, Reginae fatalem. Haec epistolarum collectio paginas priores 168. implet. Excerpamus exempla quaedam. Humanissime benevolentiam suam *Sam. Bocharto* testatur Regina. *Luc. Holstenium* de epigrammate quodam Graeco consulit. *Fürstenbergium*, Paderbornensem Episcopum, Papae commendat. Ab *Isaaco Vossio* historiam rerum a se gestarum scribi cupit. Pluribus epistolis ad Archiepiscopum Panormitanum scriptis ostendit, sibi infelicem illum *Michaelem Molinos* patrocinio dignum videri. *Radzivilium Ducem*, Iohannis III. Poloniarum Regis, legatum Romae, a coeptis cum Cardinalium Collegio rixis dehortatur. Laetitiam, quam ex liberata ab obsidione Turcica Vindebona sensit, non minus aperte quam odium suum aulae Gallicanae prodit, ut adeo Legato Reipubl. Venetae scribat pag. 117. victoriae ex Turcis reportatae hunc se maximum fructum existimare, *d' haver guarito il mondo del Mal Francese*. Sequuntur plures litterae ad Equitem *Terlonum* scriptae. Agit cum eo de foedere quod inter Turcas et Gallos intercedere dicebatur; sed maxime in his epistolis ea eminet, satisque adhuc celebrata fuit, quam de violenta et indigna Christianis hominibus conversione vel compulsione potius Reformatorum in Gallia ad sacra Pontificia, perscripsit ad eundem, vehementer eam rationem improbans. Quam sententiam Reginae cum *Petrus Baelius* in *Novis Reipubl. litterariae* adpellasset reliquias religionis quam olim professa fuisset Christina, h. e. Protestantium, (*un reste du Protestantisme*), castigatus est eius iussu epistola ἀνωνύμως scripta. Multae etiam hic leguntur Reginae epistolae ad *Bremondum*, (Mr. *de Bremond*,) qui res eius publicas curabat Hagae Comitum. Scriptae sunt paullo ante mortem Christinae, indicantque infensum eius Pontif. Romano eius temporis, et Gallis animum, simul et ostendunt, eam tristiora Iacobi II. Magnae Brit. Regis fata, mente

mente praecepisse. Commemorandae praeterea sunt, quas inde a pag. 158. inseruit Cl. Editor, epistolae Reginae ad *Fridericum Wilhelmum*, Electorem Brandenburgicum, eiusque filium successorem. Coeperat Frid. Wilhelmus tentare Christinam, si in Germaniam pertrahere, sibique haereditatis eius adeundae locum aperire posset; iunctus videlicet propinqua illi adfinitate, et invitatus ad haec consilia ab Olivecrantio, bonorum Reginae Directore generali. Sed mors Reginae paullo post secuta turbavit hos conatus. Instans hoc illius fatum praedixerat quodammodo *Voigtus*, Stadensis Astrologus, cuius epistola pag. 164. legitur. Interiectae sunt etiam huic epistolarum seriei Constitutiones duarum Academiarum, seu Societatum litterariarum, a Christina conditarum, pag. 28. sqq. Denique compendium epistolae *Puffendorfii*, quod pag. 58. exhibetur, partim ob ipsum petitionis argumentum, partim ob adiunctos a Regina in margine obeliscos, dignum est in quo paullulum moretur Lector. Subiicit his epistolis Arckenholzius brevem summam vitae Christinae, a pag. 169 — 176. ut paucis paginis contracta imago ingenii atque animi illius spectari et intelligi facilius possit.

Secundo loco posita est a pag. 177 — 186. *Sciagraphia Historiae Numismaticae* (d'une Histoire metallique) *Christinae*, ipsius manu emendata, et ex Hetrusco sermone versa Gallice. Hoc consilium, historiam Patris sui, Gustavi Adolphi, et rerum suarum per numos illustrandi, ante ceperat Regina, quam Menetreius et Academia Inscriptionum Parisina historiam numismaticam Ludovici XIV. moliti essent. Gustavo quidem XXVIII. sibi CXVIII. numos tribuit. Ex posterioribus septem revera cusi fuerunt, v. c. ille in quo sphaerae orbis terrarum adscripta sunt verba: *Ne mi bisogna, ne mi basta.* In reliquis est et sistens Reginam in medio Consistorio Pontificis, his additis: *Petro et Tibi.*

Succedunt a pag. 187 — 276. *Additamenta et Emendationes ad I. et II. horum Commentariorum Partem.* Cum

Chriſtina primis pueritiae et iuventutis annis ſaepius ad propinquos ſuos aliosque viros illuſtres litteras dare ſoleret, nonnullas harum litterarum edidit hoc loco Cl. Arkenholzius, eas inprimis, quae ipſius in ſtudiis doctrinae progreſſus oſtendunt. Huius generis ſunt litterae obligatoriae ad Praeceptorem ſuum, Iohannem Matthiae, ſcriptae, quibus denuo promittit, ſe Latine cum eo locuturam; gratulatio ad Comitem Palatinum ſub auſpicia anni 1638. interceſſio pro Praeceptore ſuo ad Gubernatores Regni, et aliae plurimae. Adiectus eſt pag. 195. Indiculus eorum quae Chriſtinae ab A. 1638. pro informatione tradita fuerant a Praeceptore illius, et pag. 197. varia ſtyli latini et gallici exercitia, ex ore eius excerpta. Subiunxit et alias quasdam Chriſtinae epiſtolas Editor, ante abdicationem eius ſcriptas. Defendit porro pag. 221. Guſtavum Adolphum et Carolum XII. imo gentes ſeptentrionales in univerſum, ab ignorantiae et barbariei labe, afficta illis a ſcriptoribus Gallis. Dicit pag. 224. de itinere eiusdem Guſtavi A. 1620. in Germaniam ſuſcepto, mutato quidem nomine ſuo. Pag. 228. ſqq. de *H. Grotio*, de *H. Conringio*, *Ioh. Matthiae*, et *Carteſio*, ex cuius cranio partem poſſidet Arkenholzius, ſingularia quaedam obſervat. *Bourdelotii* epiſtolam quandam edit pag. 233. itemque litteras Chriſtinae ad *Nic. Heinſium*, pag. 235. De *Rudbeckio* ſeniore narrat pag. 237. eum, quamvis ad prandium ſecum capiendum invitaverat Carolum XII. tamen non exſpectato Rege conſediſſe, quod is ſerius, quam promiſerat, adveniret. A pag. 241. contra *Koehlerum*, Hiſtoriarum nuper Profeſſorem Göttingenſem, diſputat, demonſtrans, Guſtavum Adolphum a Principibus Germanis vere in auxilium fuiſſe vocatum, aliaque in Koehlero merito reprehendens. Pag. 251. ſqq. de commercio Reginae litterario cum Italis quibusdam doctioribus tradit. Pag. 258. hos mordaces in Reginae tranſitum ad Eccleſiam Romanam verſus adponit, profectos a poeta ignoto:

Vanda.

Vandaliae nemo Reginam errare negavit;
Per mare, per terras, errat ubique vagans.
Teutonas, Hiſpanos, Gallos, Italosque, Gothosque
Experta, annon ſit vere ea Catholica?
Chriſtina, exclamas, Chriſtum fugitiva relinquit,
Et miſeram a vera plangis abire fide.
Ah! nimium falſus fidei diſpendia luges,
Nulla imbuta fide, deſeret illa fidem?
Cum vellet Chriſtina ſacris regnisque paternis
Exire, ad Latios transfugitura Deos,
Cur non ad Galli deflexit ſceptra potentis?
Cum tamen a Chriſti nomine nomen habet.
Nutanti Heſperiae malens ſuccedere tecto,
Dudum Catholico de grege nempe fuit.

Maxime autem ex praeſtanti illa collectione, quae Londini A. 1742. ſeptem Voluminibus forma folii prodiit hoc titulo: Collection of the State Papers of *Iohn Thurloe*, Eſq. Secretary of Council of the State, etc. digeſted by Thomas Birch, non pauca memoratu digna depromſit doct. Editor, a pag. 264. Denique de diſperſis, mortua Regina, libris, numis, gemmis, aliisque theſauris illius dicit. Alia quae magno numero adfert, ut ſuppleat vel corrigat Tomos duo priores, omittimus.

Addit a pag. 272 — 284. Indicem alphabeticum plus quam tercentorum virorum variae conditionis, ad quos ſcriptae a Regina litterae Tomis duobus poſtremis horum Commentariorum leguntur inſertae. Tum vero a pag. 285 — 482. monumenta litteris conſignata plurima offert Lectoribus, iisdem Tomis illuſtrandis et confirmandis inſervitura; *(Appendice de piéces juſtificatives et relatives aux Memoirés.)* Eorum cenſum quam fieri poteſt breviſſime inſtituemus. — I. Primae lineae ſcribendae Hiſtoriae Reginae Chriſtinae, ductae a *Galdenbladio*, qui ei ab epiſtolis fuit. Has intueantur qui in compendio ingenium et mores Chriſtinae noſſe voluerint. — II. De ortu et inſignibus

 genti-

gentilitiis Regiae Familiae *Wasa*, Dissertatio Hetrusce scripta. — III. Christinae Decretum, quo *Iohannem Cabeliavium*, nobilitatis iuribus condecorat. Eiusdem Cabeliavii ad Gustavum Adolphum et ad Cancellarium Oxenstiernam litterae. — IV. *Gustavi Gustassoni*, quem extra coniugium genuerat Gust. Adolphus, ad patrem epistola, scripta Viteberga, cuius Academiae Rectorem tum agebat, A. 1632. d. 22. Octobr. — V. *Hornii*, summi copiarum praefecti, ad Salvium, *Salvii* ad *Avasium*, huius autem ad Oxenstiernam Cancell. epistolae, A. 1641. et 1642. — VI. Mandata aulae Gallicanae ad Comitem Avasium missa A. 1639. — VII. *Turennii* et Ducis *Anginaei* ad Principem Landgraviam Hassiae epistolae, A. 1645. cum huius ad Ducem responso. — VIII. *Christinae* ad Reginam Galliae epistola de ruptis a Duce Bavariae induciis, A. 1647. — IX. Forma Gubernationis Sueciae anni 1634. condita iam a Gustavo Adolpho, sed post fata demum eius publice probata. — X. Cancellarii *Oxenstiernae* tres Epistolae ad Iohannem, filium, legatum Suecicum in Congressu Prussico, datae A. 1635. — XI. Administrorum rei publicae Suecicae litterae, nomine Christinae scriptae ad Electorem Brandenburg. eodem anno. — XII. Fr. Laurentii a D. Paulo *Skytte* epistolae tres, in quibus sunt duae ad Ioh. Schefferum. — XIII. *Salvii* et *Avasii* per litteras concertationes, A. 1640. — XV. *Christinae* ad Carolum II. Magnae Britanniae Regem litterae, A. 1649. Senatus Suecici litterae ad Christinam, quibus eam a regno abdicando dehortatur. — XV. *Hossii* epistola ad Landgravium Cassellanum, A. 1646. Huius item epistola ad Christinam, A. 1640. — XVI. *Christinae* litterae ad Carolum Ludovicum, Electorem Palatinum, A. 1646. — XVII. *Rusdorfii* ad Gruënium epistola de Gustavi Adolphi tecta in Germaniam profectione, A. 1620. — XVIII. *Grotii* et *Salvii* epistolae amoebeae, A. 1636. sqq. scriptae. — XIX. P. *Anton. Smalzii* ad Cancell. Oxenstiernam litterae, A. 1648. — XX. Eiusdem *Oxenstiernae* ad Episcopum Rothovium, et XXI. ad Abr. Calovium

vium

vium epiſtolae, A. 1647. — XXII. *Terſeri,* Epiſc. Aboënſis, teſtimonium Studioſo cuidam tributum, A. 1667. *Theod. Ryckii* duae ad Sam. Akerhielmum epiſtolae, A. 1686. et 1687. — XXIII. Caſſelienſis Archiepiſc. *Hamiltonii* epiſtolae ad Cancell. Oxenſtiernam, A. 1654. et 1656. — XXIV. Legatorum Gallicorum ad Chriſtinam epiſtola, A. 1646. — XXV. *Chriſtinae* ad Fridericum III. Daniae Regem litterae, de Cornefitio Ulefeldo, A. 1652. — XXVI. Eiusd. *Ulefeldi* epiſtola ad Ordines foederati Belgii, A. 1651. cum horum reſponſo. — XXVII. P. *Malinae* Ieſuitae, ex praecipuis auctoribus converſionis Chriſtinae ad ſacra Romana, narratio de hac converſione. — XXVIII. Relatio de caerimoniis exequiarum, Carolo Guſtavo Regi Sueciae A. 1660. Holmiae habitarum. — XXIX. *Montecuculi,* Legati Caeſarei in aula Suecica, ad Nicol. Sapedum, Venetarum apud Caeſarem legatum, epiſtola, A. 1654. *Chriſtinae* ad Canutum Legatum Francicum litterae, de cauſſis abdicationis ſuae, A. 1654. — XXX. Narratio de ſolenni Chriſtinae introitu in urbem Bruxellenſem, A. 1694. — XXXI. Abbatis *Certanii* Oratiuncula ad Chriſtinam, cum Bibliothecam Bononienſem ingrederetur, A. 1655. — XXXII. Cardinalis *Sacchettii* epiſtola paullo ante mortem ſcripta ad Alexandrum VII. Epiſc. Rom. A. 1663. — XXXIII. *Ioh. Lechandri,* Sueci, Poema latinum in Chriſtinam, Romae 1687. — XXXIV. *Esbergii,* Theol. D. Lutherani, epiſtola ad Innocentium XII. qua ſe ad Romanam Eccleſiam tranſiturum ſignificat, ab eodem autem ſimul 300. Scutatos petit. — XXXV. *Leopoldi* Caeſaris ad Chriſtinam epiſtola, A. 1676. Eiusdem litterae ad Cardinalem Pium. — XXXVII. *Bourdelotii* de tuenda valetudine Reginae ſententia. — XXXVII. *Vincentii a Filicaia* ad Chriſtinam, A. 1684. — XXXVIII. Octo imagines, dialogus eroticus, et compoſitio muſica duplex, inventa ſingula a *Chriſtina.* — XXXIX. *Matthiae Waſmuthii* Dedicatio Operis ſui Aſtro-Chronologici nomini Chriſtinae, a qua, quod ſumtus liberaliter in id ſuppeditaſſet, *Tabulas Chriſtinianeas* Opus hoc adpellavit. Obſerva-

ſervationes criticae in idem Opus Romae inſtitutae circa ea, quae Wasmuthus Pontificiae Eccleſiae contraria poſuerat; aliae item obſervationes Chriſtinae et Galdenbladii. — XL. *Wasmuthi* ad Reginam de hoc Opere epiſtola, A. 1687. — XLI. *Eiusd.* epiſtola ad Adamum Adamandum Kochansky, Mathematum in Collegio Vratislavienſi Profeſſorem, A. 1678. — XLII. *Eiusdem* epiſtola ad Cenſores Operis ſui Romanos, A. 1687. — XLIII. Cenſorum Romanorum ad Chriſtinam epiſtola de Opere Wasmuthi, A. 1687. — XLIV. Operis huius, quod poſt mortem Patris edidit filius, Matth. Wasmuthus, Med. D. Kilonii, 1692. fol. Inſcriptio dedicatoria ad Reginam. — XLV. *Leopoldi* Caeſaris epiſtola ad Carolum XI. Regem Sueciae pro Chriſtina, A. 1683. — XLVI. Legati Elect. Brandenb. *Falaiſeau*, oratio ad Reginam Sueciae, A. 1685. habita. — XLVII. *Voigtii* Aſtrologi ad Chriſtinam epiſtola, A. 1688. — XLVIII. *Caroli XI.* R. Sueciae, litterae ad Caeſarem, Reges et Principes alios, quibus illis mortem Chriſtinae indicat, A. 1689. cum reſponſo Ordinum foederati Belgii. — XLIX. Imago Chriſtinae, auctore *Bielefeldio.* Inde haec pauca excerpimus: *Elle deſcendit du Tróne par dégoût, diſent quelques-uns; par politique, diſent quelques autres; et par libertinage, s'il en faut croire les libertins. Pour moi je penſe que l'envie de faire une action unique fut le plus puiſſant reſſort de ſon abdication. Elle voyoit Sylla à mille lieues d'elle. Alexandre auroit voulu conquerir tout l'Univers: Chriſtine en eût voulu abdiquer l'Empire.* — L. *Arkenholzii* reſponſio ad epiſtolam Baronis *Holbergii*, ſcripta reſolvendis iis, quae adverſus hos Commentarios monuit, edita Caſſellis, A. 1753. — LI. *Eiusdem* epiſtola ad *I. M. Gesnerum*, ſcripta occaſione eorum, quae *Alembertus* de Chriſtina publicavit. In qua epiſtola oſtenditur, plurimum detrimenti capturam eſſe veram hiſtoriae tractationem, ſi recentior illa Gallorum methodus hiſtorica introducatur; ſimul et in vaſtum Encyclopaediae opus, quod

Di-

Directore Alemberto edi coeptum eſt, animadverſiones ſubiiciuntur. Typis deſcripta Caſſellis A. 1754.

Tandem quaedam ex ingenio et ore Chriſtinae profecta monumenta doctrinae et ſapientiae eius ſuperadduntur, pag. 54. Prius exhibet cogitata Reginae ſuper vita et actionibus Iulii Caeſaris. Poſterius ſententias plurimas et dicta memorabilia a Regina prolata, Centuriis V. complectitur. Transferamus huc unicum illorum, quod legitur pag. 41. *Socrate diſoit: ſi tu te maries, ou que tu ne te maries pas, tu t'en repentiras. Moi, je crois que tout homme qui ſe marie s'en repentira infailliblement; mais je ne vois pas, pourquoi on ſe repeutiroit de ne s'être pas marié; j'en puis juger par experience.* Magis Reginae animo, quam experientiae convenienter dictum! Claudit hanc Partem Index rerum Parte III. et IV. propoſitarum.

Praefatio Clar. Arkenholzii, partim clarae ſcriptis feminae, (Mad. de *Beaumont*), partim *Alemberto* oppoſita eſt. Illa, cum horum Commentariorum concinnaſſet Epitomen, quid in ea ſibi obelo notandum videatur, indicat Noſter. Hic, cum novum impetum feciſſet in Arkenholzium, breviter adverſus eum quaedam dicuntur. Nos, perſpectis diſſidiis, quae Viros hos Clariſſ. in ſcribendae Hiſtoriae ratione a ſe invicem divellunt, optamus, ut ea ratio unice vigeat, omnibusque placeat, quae verum inveſtigare, tradere, atque probare iubet firmiſſime, etiam neglectis dictionis ornamentis, argutisque ſententiis, quae delectationis plus habeant, quam certae utilitatis.

TRACTATUS DUO PATHOLOGICI, NUNC primum in lucem editi, Auctore MEDICO MONSPELIENSI in praxi feliciſſimo.

Amſtelodami, ſumt. fratrum de Tournes, 1760. *PARS I.* plag. 14. *P. II.* plag. 15. in 8vo.

In *prima* harum dissertationum, quae capitibus triginta absolvitur, exponit Auctor *de morbis infantum et puerorum.* Atque ne quid omitteretur, quod huc pertineret, in Cap. I. et II. traditur, quomodo puer recens natus habendus alendusque sit, atque de modo, puerum a lacte depellendi, disputatur. Transit A. deinde ad morbos infantum particulares, atque primum agit de morbis capitis, illiusque externarum internarumque partium, quo referuntur ab eo crusta lactea, tinea, phthiriasis, seu morbus pedicularis, hydrocephalus, strabismus, aurium inflammatio et ulcus, aphtae, difficilis dentitio. De quibus dum copiose exponit, alios quoque attingit morbos systematis nervosi, ut epilepsiam, vigilias, et pavorem nocturnum. Tum explicat morbos pectoris, ut tussim; stomachi, ut singultus vomitusque; viscerum et aliarum, cum externarum, tum internarum partium abdominis, ut dolorem colicum, alvi fluxum, lumbricos, alvi constipationem, ani procidentiam, urinae incontinentiam, calculum vesicae urinariae, intertriginem, herniam, atque hypochondriorum et ventris intumescentiam. Denique exhibetur doctrina morborum systematis seroso-lymphatici et sanguinei, ad quod pertinent macies, rachitis, tumores strumosi, variolae, et morbilli. In morbis hisce explicandis ita Auctor versatur, ut primum indolem morbi describat, deinde ad causas proximas et remotas transeat, tum symptomata explanet, porro notas tradat, e quibus quivis morbus perspiciatur atque ab alio distinguatur, post quantum ex praesenti morbi indole de exitu cum felici, tum malo, iudicari possit, doceat, et denique quo modo hisce morbis mederi possimus et debeamus, exponat. Proximas horum morborum causas derivat potissimum, sive ex constitutione infantibus propria solidorum aut fluidorum, sive horum simul; interdum etiam ex humoribus. Quidam, ait, proximam ducunt originem ex lympha viscida acri, ut crusta lactea, ut tinea. In phthiriasi, pabulum, quo pediculi nascantur, esse insensibilem transspirationem, tenuissimis partibus aquosis praesertim et sulphu-

ſulphureis donatam, qua ovula pediculorum penetrentur. Ovulorum etiam maximam partem copiamque cum cibis ſanguinem pervadere, et ab ipſo in partibus diverſis deponi. Neque tamen veriſimile eſt, quod narratur, aliquos morbo pediculari obiiſſe; ſed illi potius a vitioſa ſanguinis conſtitutione morbos contraxerunt, illisque exſtincti ſunt. Aphtas generare, quaecunque ſalivam corrumpant, et ſalibus acrioribus gravident, ut lac ſalſum, calidum, cruditates in ſtomacho congeſtas lac ſumtum corrumpentes, victumque nutricis exſiccantem et ſalſiorem. Quoniam etiam aphtae oris cavitatem priusquam fauces, oeſophagum vero nunquam, aut niſi inveterata afficiant, ex eo quoque veriſimile eſſe, eas potius a ſaliva, quam ab halitibus acrioribus, a lacte in ſtomacho corrupto elevatis, produci. Rachitidem oriri ex viſcida et ſaluginoſa nimis lymphae oſſa irrigantis conſtitutione. Quoniam enim lympha viſcida, ſalibusque nimis turgida, ad motum circulationis abſolvendum minus apta efficiatur, in intima illam oſſium ſubſtantia haerere, et accumulari, quia oſſium fibrae, carnium et membranarum fibris minus elaſticae, minus humores exprimant, et ipſos haerere facile ſinant. Verum, quia eadem ubique non ſit oſſium ſtructura, quippe quorum fibrae ſtrictius in medio oſſis connectantur; laxius vero in extremitatibus cohaereant, igitur lympham viſcidam in oſſium extremis facilius, quam in medio, haerere: fibras enim ſtrictius ibi cohaerentes cavitates minus amplas obtinere, partes lymphae viſcoſiores non admittentes; quae in extremitatibus oſſium, ob cavitates fibrarum ampliores, accipiantur. Sed quo maior ſit in oſſium extremitatibus lymphae collectio, maiorem quoque ibi dari accretionem, et hinc oſſium extremitates nodoſas apparere. Rurſus, quoniam oſſium extremitates magis accreſcant, quam eorum pars media, oſſa naturalem et debitam firmitatem non ſervare poſſe, propter irregularem accretionem: hinc tibiam in extremitatibus nodoſam incurvari, atque intra vel extra flecti, prout interna aut externa eiusdem protuberatio, quae in-

feriori femoris extremitati adnectatur, magis et absque servata debita proportione accrescat. Variolarum causas deducit Auctor a vitio aeris, miasmate inquinati. Haec vero miasmata aeri terram ipsam suppeditare, quae in sinu suo principia et mixta cuiuscumque naturae recondens, ea per aerem aliquando copiose diffundat, unde morbi epidemici oriantur, et inter populos miro modo grassentur. Horum autem miasmatum naturam non determinari posse, cum haec sub sensus minime cadant, sed ea summe activa, et partibus integrantibus solidis admodum praedita, videri. Causam, cur semel per vitam homines variolis afficiantur, esse, quia variolis recurrentibus et sanatis sanguinis depuratio fiat, et partes ipsius novam acquirant modificationem et continuationem, qua accidat, ut sanguis texturam meliorem et firmiorem postea nactus, tali miasmati diu resistere queat. Sed quoties, propter pravam sanguinis constitutionem, depuratio eiusdem in variolis non absolvatur, nec constitutionem sanguinis perfecte mutari, nec ad variolas iterum contrahendas dispositionem integre tolli. Si quis quaerat, cur omnes incolae regionis, ubi variolae grassentur, iisdem non simul laborant, cum causa, variolas producens, omnibus simul applicetur? respondet Noster, etsi variolae a miasmate per aerem identidem diffuso oriantur, hoc tamen per se et absque subiecti dispositione variolas minime producere posse: constare enim, causam effectum suum praestare non posse, nisi in subiectum dispositum agat. Cum igitur sanguis omnium hominum eiusdem regionis eandem dispositionem non habeat, hinc quoque non mirum, si variolae omnes simul non afficiant. Immo esse quosdam, quorum sanguis tam firma partium cohaesione gaudeat, ut minime hoc miasmate infici queat, et ideo pueros facilius adultis variolis corripi, quia sanguis eorum, textura debiliori constans, facilius miasma concipiat.

In *altera* dissertatione agit Auctor, in capitibus undeviginti, *de morbis cutaneis*. Singula capita singulos morbos com-

complectuntur. Retulit vero ad hanc classem morbos sequentes, etsi ipse fateatur, non omnes proprie huc pertinere. Agit igitur I. de phlegmone, et aliquot illius speciebus, ut furunculo, panaritio, seu paronychia, carbunculo, seu anthrace, bubone, abscessu, et ulcere fistuloso, gangraena, et sphacelo: II. de erysipelate: III. de Scirrho: IV. de oedemate: V. de emphysemate: VI. de ambustione: VII. de contusione: VIII. de cancro: IX. de strumis: X. de atheromate, steatomate, et meliceride: XI. de lupia: XII. de ganglio: XIII. de aneurismate: XIV. de varicibus: XV. de scabie: XVI. de herpete: XVII. de lepra: XVIII. de rheumatismo: XIX. de arthritide. Eandem, quam in priori dissertatione, Noster rationem sequitur, et causas proximas remotasque, morborum indolem, symptomata, morborum divisiones, differentias, notas et remedia, copiosius etiam quam antea, enarrat. Proximae horum morborum causae sunt vel externae, vel internae. Quod ad has attinet, Auctor plurimorum morborum, phlegmonem sequentium, originem refert potissimum ad lympham, sive auctam et cumulatam, sive in variis partibus plus minusve corruptam. Scirrhum fieri, ait, a lympha vitiata, quae crassior et spissior facta in suis vasis lentescat, haereat, et mora ulteriori ita crassescat, ut duram lapideamque naturam obtineat. Utriusque leprae causam proximam esse obstructionem glandularum ductuumque lymphaticorum cutaneorum, a lympha summe viscida et salsuginosa producta; et quia lepra Graecorum remissior sit elephantiasi, illam fieri a lympha minus viscida et salsuginosa, istam vero maiorem crassitiem et acrimoniam in fluidis supponere. Causam cancri efficientem esse lympham spissam, concretam, quamplurimis particulis duris salino-terreis gravidam. Scabiei causam esse subitaneam sanguinis haerentiam in finibus arteriolarum cutanearum, a transspiratione insensibili, spissiori et acriori facta. Insensibilem transspirationem hanc haerentiam efficere, vel quia ob molem et crassitiem ex arteriolis exire nequiens, harum

fines infarciat et obſtruat; vel quia ex arteriolis egreſſa, per poros ſuos ad cuticulam usque perduci non poſſit. Rheumatiſmum oriri a distractione dolorifica ductuum lymphaticorum, aut neuro-lymphaticorum, a lympha ſpiſſa, partibusque ſalinis fixis onuſta, in vaſculis harum membranarum haerente. De Emphyſemate ait Auctor, quoniam flatus emphyſema non pariant, niſi dum in partibus externis colligantur, ex eo ſequi, hunc tumorem fieri poſſe vel a vulnere, vel a cauſa interna. Illud facile intelligi; quoniam aer, per vulnus ruens in interſtitia membranarum, calore loci expanſus et rarefactus, partem in tumorem elevet: ſimiliter ſaepe vulneri thoracis penetranti emphyſema adiungi, quia aer e cavitate thoracis per vulnus exiens, a faſciis aliisque, quibus vulnera deligentur, retentus, in partes vicinas ruat, quas ſua rarefactione in tumorem attollat. At difficilius intelligi poſſe, quomodo, illaeſa cute, flatus colligi poſſint ſub ipſa: notandum igitur eſſe, fluida omnia humanae machinae maxima copia aeris eſſe completa, quod oſtendat effervеſcentia ingens, quam ſubito contrahat ſanguis in machina pneumatica, aere exantlato. Igitur ut tumor flatulentus fiat, ſufficere, ut aer ex ergaſtulis fluidorum expreſſus per poros vaſorum, ex horum cavitate exire poſſit. Itaque duo ad tumorem flatulentum generandum requiri: primo, ut aer ex interſtitiis fluidorum, ubi retinetur, exprimatur, et ut pori vaſorum ſatis pateant ad aeris expreſſi egreſſum. Primum fieri, ſi fluida lente provoluta partibus craſſioribus conſtent, quae ob motus tarditatem, vi cohaeſionis naturalis ſtrictius unitae, aerem e ſuis poris exprimant: fluida ſic lenteſcentia, vaſa, in quibus contineantur, replere, nec ob motus defectum ſtimulare; vaſa igitur, utpote diſtractilia, extendi, horumque poros maiores utique fieri, adeoque aerem ex interſtitiis fluidorum expreſſum, ſuique iuris factum, per poros vaſorum dilatatos exire. Fieri etiam tumorem flatulentum, ſi fluida exſiccentur, cum ob ſeri defectum horum partes ſtrictius unitae, poros pauciores et minores relin-

relinquant, et proinde aeris ſpirulae expreſſae ſui fiant iuris. Sed haec hactenus. Caeterum intelleximus ex harum diſſertationum lectione, Auctorem, praecipue quod ad hiſtorias morborum attinet, magnam attentionem adhibuiſſe, atque naturam humani corporis bene cognitam habere. Vellemus tamen, ut in definiendis aliquot cauſis, quae ad viſcidum et acre pertinent, ſubſtantiam viſcidi et acris clare et accurate enodaſſet, atque etiam differentias acris et ſalis viſcoſi, immo utriusque ſimul, indicaſſet.

MATHESIS THEORETICA ELEMENTARIS atque ſublimior. Auctore WENCESLAO IOANNE GUSTAVO KARSTEN, Phil. D. et Log. Prof. Publ. Ord. in Acad. Roſtochienſi.

Roſtochii atque Gryphiswaldae, apud Ant. Ferd. Roſeum, 1760. 3. Alph. 23. tab. aen. in 8vo.

Satis diu univerſae Matheſeos theoreticae ſyſtema expectavimus. Wolffianum enim, tum, cum publicam lucem aſpiceret, minus a perfectione aberat, a qua ſucceſſu temporis magis magisque continuo removetur. Et quamvis quadraginta fere, qui poſt illud editum effluxerunt, annis, multa Matheſeos purae elementa, illuſtrationes, inſtitutiones, et compendia, typis expreſſa fuerint: illis tamen, qui rei litterariae non plane ignari ſunt, minime obſcurum eſſe poterit, omnes hoſce foetus parum propitia Minerva eſſe in lucem protruſos. Nemo autem magnopere mirabitur, tot a multis ſuſceptos labores minus feliciter ſucceſſiſſe, qui accuratius perpenderit, quanta noſtro ſeculo univerſa Matheſis, ac inprimis theoretica, incrementa ceperit. Pleraque Geometriae ſublimioris capita, innumeris novis propoſitionibus ac ſubtiliſſimis artificiis aucta, in immenſum fere excreverunt. Novae hae Matheſeos divitiae non in uno aut paucis libellis abſconditae latent, ſed in multis Germanicis, Anglicis, Italicis, ac Gallicis ſcriptis diſperſae

disperfae funt. Tandem, quod fere maximam parit difficultatem, Geometras non paucos, earum inventores, infraenata fciendi libido inceffit, ut, dummodo quamplurima calculis fubiicerent, maluerint omnimodae certitudinis et illius evidentiae migrare legem, omnis Mathefeos principem, ac ab antiquioribus Geometris fanctisfime fervatam. Ecquis exinde immenfum non perfpicit onus, quod is in fe fufcipit, qui fe noftris temporibus Mathefeos univerfae theoreticae elementis, quorum ope ad intelligentiam tot tamque fublimium rerum penetrare liceat, confcribendis accingit. Vaftum ac difficillimum hoc negotium, maiorem, quam dici poteft, induftriam, easque ingenii vires ac meditationes requirit, quae inventoribus illarum rerum neceffariae erant. Perfpectum id profecto fuit Triumviris, qui fubtilisfimis feculum noftrum inventis illuftrarunt: Cleralto, Colin Mac-Laurino, ac illuftri Eulero. Probe illi noverant, fublimia illa Geometriae capita, ad calculum inprimis integralem pertinentia, inter folos inventores cognita permanfura, nifi quis eorum eas propofitiones, quae ad perfpiciendas illas novas neceffariae funt, indicet, cum veterum Geometrarum doctrinis connectat, et in unum corpus redigat. Quare non infra gloriam fuam, fummi hi viri, pofitum duxerunt illud temporis, quo Mathefin novis meditationibus augere poterant, confcribendis illuftrandisque illis propofitionibus elementaribus impendere. Praeftiterunt id Cleraltus in Elementis Algebrae: Colin Mac-Laurinus in eminenti fluxionum opere, ac tractatu de Algebra, nec non Illuftr. Eulerus in introductione in analyfin infinitorum, aliisque fcriptis. Et quam avide ex his operibus, ex quibus feri-pofteri Geometriam veram difcent, Mathefeos cultores in Germanicis Academiis profecerint, publica iam nos edocent teftimonia, omniumque luculentisfime id declarat Cl. Karftenii Mathefis Theoretica, quam lectoribus benevolis indicamus. Ipfe Clariffimus Auctor gloriofum fibi ducit fateri, quantum, in confcribendo hoc erudito- folidoque libro, luminibus horum illuftrium virorum

rum adiutus fuerit, nosque certo ſperamus, fore, ut omnes, qui duce hoc libro in Matheſi elaborarint, ea addiſcant, quae ſcitu iis neceſſaria ſunt, qui ſine moleſtia ſcripta Mathematicorum ſubtiliſſima intelligere velint, atque ad altiora contendere. Ipſum vero eximium opus tribus conſtat partibus, quarum prima elementarem Geometriam, Arithmeticam, ac Trigonometriam planam complectitur. Summa cura Cl. Auctor Geometriam et Arithmeticam a Geodaeſia et calculandi arte ſeparavit, ne puritas Geometrica, cuius Graeci Geometrae ſtudioſiſſimi erant, detrimenti aliquid caperet. Geometriam Arithmeticis praemiſit, ſine dubio ut illuſtri Euclideae methodo tanto propius accederet. In ipſa utriusque ſcientiae pertractatione ſingulare elucet ſtudium, notiones omnes luculenter declarandi, ſingulas propoſitiones rite determinandi, easque ſolide demonſtrandi. Inprimis accuratiori attentione conſiderari merentur demonſtrationes de parallelisino linearum §. 96. de comparatione extenſorum geometrica generatim Sect. 6. et de comparatione figurarum planarum Sect. 7. In Geometria ſolidorum a §. 227. usque ad eius finem pertractata, tam ſcienter, tamque ſolide Cl. Auctor verſatur, ut dubitari fere queat, perſpicuitatisne an ſoliditatis in ea plus reperiatur. Et ſi quid forte hic reprehendendum duxerint nonnulli, id eo, noſtro quidem iudicio, rediturum putamus: Cl. Auctorem infinite parvas quantitates, quarum ope recentiores Geometrae nimis longas ac intricatas veterum demonſtrationes in compendium ſine vitio et certitudinis detrimento redegerunt, iuſto ſtudioſius vitaſſe; cum tamen in ipſis eius demonſtrationibus, ſi ad vivum reſecentur, lateant. Secunda huius libri pars Analyſin Mathematicam continet. In Algorithmo ſpecioſo, cuius leges primo loco occurrunt, Auctor Cl. maximam, ſine dubio ob controverſias, licet id expreſſe non moneat, a recentiſſima Philoſophorum natione circa eas motas, rationem habet quantitatum affirmativarum ac negativarum, luculenter ac ſolide oſtendens, quantam zyphra mutationem quantitatum incrementis ac

 decre-

decrementis inducat, et quae rationes Mathematicos ad ſtatuendum inducant, quanta diviſa per zyphram eſſe infinita. Sect. II. usque ad XV. Carteſiana ſolvendi Problemata methodus, artificiaque a celebri hoc Geometra tradita, proponuntur, ita ut larga manu inventa recentiorum interſpergantur. Inter ſingularia hoc loco a Cl. Auctore prolata referimus primum Calculum Analytico-trigonometricum, in quo regulae, ſinus, coſinus, tangentes, cotangentes, analytice exprimendi, atque omnia problemata Trigonometriae ſphaericae ſolvendi, occurrunt. Notari inprimis meretur §. 52, in quo Auctor Cl. ex proprietatibus triangulorum ſphaericorum formulas algebraicas eruere docet, latera vel angulos eiusmodi trianguli ex reliquorum ſinibus, coſinibus, tangentibus, et cotangentibus definiendi. Sectione quarta deinde notiones quantitatum variabilium ac conſtantium explicantur, ortusque ac geneſis functionum declaratur; conſtitutis earum ordinibus fuſe ac ſolide docetur, quid ſit rationis variabilis limes: quando, et quo reſpectu, limes eiusmodi ultima vel prima ratio variabilium dici poſſit: utrum ultima vel prima ratio variabilis ſemper ſit finita, eiusque exponens determinatus; an vero etiam infinita eiusque exponens indeterminatus eſſe poſſit. Magni haec doctrina eſt momenti, utpote quae genuina calculi differentialis fundamenta continet, ex quibus non ſolum vera quantitatum infinite parvarum indoles, ſed et infiniti earum ordines deduci poſſunt. Praeterea notatu digna ſunt, quae de ſectionibus angulorum et arcuum circularium Sect. XIII. et de inveſtigatione radicum aequationis cuiuslibet impoſſibilium, docentur. Tandem, Sectione III. ac ſequentibus huius Partis, Analyſis Infinitorum proponitur. Satis quidem iam diu calculi differentialis leges cognitae, et omnium optime ab Hoſpitalio in Elementis infinite parvarum quantitatum expoſitae ſunt: ipſa vero earum natura ac indoles multis maximisque difficultatibus ac dubiis obſita adhuc eſt. Leibnitius ipſe, quo duce infinitum computi legibus ſubiecimus, ita de iis locutus eſt, ut infinite

nite parvum magnumque non nisi pro fictionibus habuisse videretur, cui Wolffius calculum addidit. Alii contra aegre id tulerunt, atque omni opera id egerunt, ut reale infinitum esse, propriaque gaudere natura, evincerent: quo potissimum Fontenellii labor spectat. Omnes hos relinquit Cl. Auctor, atque, cum illustri Neutono, ex rationibus primis vel ultimis quantitatum variabilium quantitates differentiales deducit: leges differentiandi omnium ordinum functiones unius variabilis algebraicas fuse explicat: usumque eius calculi in doctrina serierum, in aequationibus resolvendis, ac methodo tangentium directa, docet. Sectione XX. leges integrandi occurrunt, et primo quidem functiones algebraicas incomplexas unius variabilis, hoc est formae $dy = Pdx$ existente P functione ipsius x algebraica. Si haec functio P est rationalis integra, vel per modum rationalis integrae expressa, integrationem nulla laborare difficultate, omneque negotium eo redire docet Cl. Auctor, ut functionum integrarum irrationalium pariter, ac functionum fractarum, tam rationalium, quam irrationalium, integralia inveniendi methodi explicentur universales. Generalissimas itaque formulas eiusmodi functionum tradit, monetque, universalem methodum inter varias excogitatas integrandi functiones integras ac fractas irrationales esse eam, qua functio, quae sub vinculo exponentis eiusmodi in seriem convertitur, ac per factorem extra vinculum multiplicatur. Attamen nunquam hac methodo utendum esse praecipitur, si aliis viis perveniri potest ad integrale terminis finitis exhibitum. Quae viae ut sint cognitae, consideranda est intimior natura logarithmorum, tam hyperbolicorum, quam logisticorum, nec non quantitatum exponentialium ac transcendentium, quae a circulo dependent, una cum ratione eas differentiandi: sedulo perdiscenda sunt artificia, quae Auct. Clar. fuse exponit, quibusque differentialium unius variabilis algebraicorum complexorum irrationalium, sive fuerint integra, sive fracta, ad rationalia reducantur, atque vel algebraice, vel per arcus circulares, vel

per logarithmos, exprimuntur. Dici vix poteſt, quanta felicitate Auctor Clar. ſubtiliſſimas Geometrarum methodos collegerit, atque admirabili ordine propoſuerit. Parique felicitate uſus eſt in tradendis regulis integrandi aequationes differentiales primi ſecundi et altiorum ordinum, et in adiiciendis aliis methodis integrandi, quae ad aequationes differentiales tam primi, quam aliorum graduum, pari cum ſucceſſu adplicantur. Coronidem tandem toti praeſtantiſſimo operi imponit Geometria ſublimior, quae decem Sectionibus abſolvitur. Generaliſſimae primum in ea proponuntur curvarum algebraicarum proprietates, inter quas eminent rami curvarum in infinitum extenſi, earumque aſymptoti: figurae earum in ſpatio finito: tangentes punctaque multiplicia: curvaturae: ſimilitudo, diametri ac centra, ac curvarum inventio ex datis proprietatibus. Deinde expenduntur curvae tranſcendentes, ac theoriae de ſuperficiebus, ſolidis rotundis ac curvis duplicis curvaturae, adiiciuntur. Ex qua rerum Geometricarum, quas Auctor Clar. ex praeſtantiſſimorum Geometrarum ſcriptis multo labore collegit, in ordinem redegit, propriis meditationibus illuſtravit ac amplificavit, multitudine et pondere, certo certius colligimus fore, ut ex praeſtanti hoc opere uberrimi in rem publicam litterariam fructus redundent.

IUSTINI HISTORIAE PHILIPPICAE cum integris commentariis Iac. Bongarſii, Franc. Modii, Matth. Bernecceri, M. Z. Boxhornii, Iſ. Voſſii, I. Fr. Gronovii, I. G. Graevii, T. Fabri, I. Vorſtii, I. Schefferi, et excerptis H. Loriti Glareani, atque Editoris Oxonienſis: curante ABRAHAMO GRONOVIO.

Lugduni Batav. apud Luchtmanos, 1760. Alph. 3. plag. 7. in 8vo.

Iam

Iam prima Iuſtini editione A. MDCCXIX. adornata Cel. *Gronovius* ſe ſtrenue viam, maiorum ſuorum veſtigiis ſignatam atque impreſſam, perſequi, eaque, tanquam vera et regia, ad eandem nominis gloriam contendere, luculenter teſtabatur. Atque ex eo tempore non ſolum variis ingenii doctrinaeque ſpeciminibus editis, ſed nunc etiam hac altera Iuſtini editione illam de ſe excitatam ſpem atque opinionem bene confirmavit. Nam, ut comparatione utriusque editionis inſtituta intelleximus, ita Vir Cl. animadverſiones ſuas auxit, emendavit, totque accesſionibus collupletavit, ut egregiam Iuſtino operam praeſtitiſſe nobis videatur. Primum varietatem lectionis, cum diligentius, tum uberius, e libris tam manu, quam typis exaratis, excerptam eſſe obſervamus. Excusſit vero Noſter ſex codices bibliothecae publicae Leidenſis, omnes, praeter unum, in membrana ſcriptos, et quadringentorum annorum aetatem ſive attingentes, ſive excedentes etiam. Ultimus chartaceus quidem, et recentior, ſub incunabulis artis typographicae exaratus, ſed e vetuſtisſimo codice tranſcriptus eſt. Porro uſus eſt Vir Cl. codicibus quinque Anglicanis, iisque membranaceis, et duobus Mediceae bibliothecae, atque uno e bibliotheca Magliabequiana depromto, ſed recentioribus adnumerando. Secundus Mediceus, ſed quindecim prioribus libris deſtitutus, membranaceus, et charactere Longobardico exaratus eſt, omniumque, qui adhuc a viris doctis excusſi ſint, vetuſtiſſimus, optimisque lectionibus refertus Noſtro videtur. Cum initio libri XVI. tum fine, adſcriptum eſt: *M. Iuniani Iuſtini Epitoma hiſtoriarum* etc. quibus nominibus auctorem in aliis quoque codicibus inſigniri, iam ab aliis obſervatum eſt. Praeterea adhibuit alium codicem bibliothecae Leidenſis, in membrana ante ſexcentos annos quaternis exaratum. Sed non ſolum manu ſcriptos, verum formulis typographicis quoque deſcriptos libros, conſuluit. Novem enim editionum mentionem facit. Prima Venetiis excuſa eſt, a Nicolao Ienſon A. 1470: altera Romae, a Conrado Sweynheim et Arnoldo

Pannartz, A. 1472: tertia octuplicatae formae, adcurante Bechario, loci quidem et typographi nomine destituta, sed, ut e lilio rubro apparet, Florentiae in officina Iuntae adornata est: quarta Veneta, curante Sabellico, A. 1497: quinta Florentina, A. 1510. typis Iuntae, cura Mariani Tuccii expressa: sexta Mediolanensis, Leonardi Vegii, A. 1510: septima Parisiensis, Antonii Aussurdi, A. 1519: octava Veneta, Aldinis typis excusa A. 1522: nona Florentina, ex officina Iuntina A. 1525. Denique Vir Cl. tres Italicas Iustini versiones, A. 1477. A. 1542. et A. 1561. editas, in consilium adhibuit, ne quid intactum relinqueret, quod ad constituendam Iustini orationem aliquid conferret. Apparebit vero ex numero codicum librorumque excussorum, quantum operae studiique in veris lectionibus eruendis posuerit Noster. Hanc diversitatem lectionum inseruit adnotationibus suis, separatim adiunctis, in quibus et de lectione, et de verbis singulis dictionibusque, multa docte et eleganter monuit. Verba Iustini illustrantur similibus, plerumque ex medii aevi scriptoribus repetitis, ut Salviano, Orosio, Saxone Grammatico, Hegesippo, Freculpho, Ottone Frisingensi, Ioanne Sarisberiensi, Mamertino, Ammiano, Gualtero, Iureconsultis, aliisque. Ex iis adnotationibus, quae ad verba et dictionem pertinent, eminent potissimum illae pag. 774. de omissa vocula *tam*, licet in sequenti membro sit *quam:* pag. 775. de locutione, *in hoc tempore*, contra Bongarsium, qui male pronomen *hoc* expunxit: pag. 777. de verbis *mox deinde* et *deinde postea:* pag. 780. de formulis, *ponere conditionem*, *quaestionem* etc. pag. 788. de vocula *dum* pro *donec*, ut, *non exspectaturos Scythas, dum ad se veniatur:* pag. 795. de verbo *afui* pro *abfui:* pag. 804. de verbo *legere* pro *eligere:* pag. 806. de terminatione genitivi tertiae declinationis in *i* pro *is*, ut Cic. *ex orationibus Demostheni*, et Gell. *versus Euripidi:* pag. 810. de verbis: *in nullo* pro *in nulla re:* pag. 814. de locutione, *enixa opera:* pag. 816. de verbo *dominatus* pro *dominatio:* pag. 831. de voce *fides*

pro

pro *indicio, argumento:* pag. 838. de verbo *odium* pro *odiosus*, ut apud Plaut. *sed eccum* odium *progreditur meum:* pag. 844. de significatione τȣ̃ *frequenter* pro *multis praesentibus:* pag. 847. de verbo *continuus*, ut, *diebus continuis:* pag. 854. de *in primo* pro *in principio:* pag. 873. de formula *in veste*, ut, *puraque* in veste *sacerdos*, et apud Graecos ἐν ἐσθῆσι: pag. 886. de voce *invisitatus* pro *insitatus*, ut, invisitatae *magnitudinis serpentes:* pag. 893. de adverbio *tametsi* sequentique in posteriori membro *tamen:* pag. 917. de constructione verbi *callere* cum ablativo, ut apud Petronium, *his ego* callens *Artibus*. Porro huc pertinent, quae dicuntur pag. 925. de vocula *nisi* pro *praeterquam*, ut ap. Terentium: *hanc*, nisi *mors*, *mi adimet nemo:* pag. 938. de dictione, *hosti praedae esse:* pag. 951. de formula, *vulnus excipere:* pag. 962. de verbo *parricidialis:* pag. 984. de constructione, *ire ultum*, *perditum* etc. pag. 987. de locutione *vocem mittere*, atque de aliis, quae tacemus. Vellemus tamen, ut tralatitia quaedam et satis nota Vir Cl. vel omnino praeteriisset, vel paucis tantummodo attigisset. Quid opus erat v. c. pag. 794. docere, τὸ *insignis* cum ablativo poni, ut Virg. *Insignem pietate virum* dixit? quid opus pag. 822. voculas *ne quidem* tot exemplis additis illustrare? quid pag. 826. accusativum *duo* pro *duos* tot locis stipatis confirmare? quid pag. 832. copiosius aliis exemplis advocatis explicare *custodes* et *custodiam corporis?* quid pag. 874. *patrium solum* illustrare? quid pag. 910. pluribus disputare de formulis, *animum incessit cupido*, *moestitia*, etc. Mittimus alia, quae ipse fatebitur bene omitti potuisse. Sed fortasse aliquid dandum putavit consuetudini atque opinionibus quorundam, qui in corradendis similium formularum exemplis sibi vehementer placent, et, si centies dicta omnibusque nota ambitiose protulerint, tum se dignos existiment, quibus Melpomene Delphica lauro comam cingat. Verum mittamus hosce, atque ad animadversiones *Gronovianas* redeamus. Restat enim ut de iis dicamus, quae ad criticam artem spectant, in qua exercenda Virum

Virum Cl. modeſte et verecunde verſatum eſſe intelleximus. Magis enim illud operam dedit, ut codicum ſcripturam explicaret, illuſtraret, confirmaret, defenderet, quam ut ex ingenio aliquid mutaret atque corrigeret. Nos quidem vix ter quaterve illum emendationem aliquam, non in textum recipere, ſed tantummodo in adnotationibus proponere meminimus. Atque etiam nefas profecto fuiſſet, tot librorum auctoritatem negligere, nec eorum vocem audire velle. Sed dabimus exempla aliquot. Ad *praefat.* 5. monetur, pleraſque vett. edd. habere: *quod ad te*, Imperator Antonine, *non tam cognoſcendi* etc. in MSS. vero has voces *Imp. Ant.* quidem omitti, ſed, quia olim per notam I. vel IMP. ANTON. ſcriptae fuerint, a ſequenti vocula *non* abſorptas videri. Similem fere librariorum lapſum eſſe in Mamert. Genethl. Maximiani, cap. 2. *Quae* (vis divinitatis) *vos tantis diſcurſibus, toto, quem regitis, orbe deducit: ut nos* ſemper *auxilii veſtri caritate nuper ad libertatem piae conqueſtionis impleverit*, ubi Noſter voculam *ſemper* ortam eſſe ſuſpicatur ex ſiglis S. IMP. *Sacratiſſimi Imperatores.* I, 4, 9. habent aliquot codd. *rogat ſibi perferri oſtendique puerum*, pro vulg. *adferri.* Illud tuetur Noſter exemplis Valer. Flacc. Arg. V, 491.

Hic ſibi me auratae pecudis quiscunque periclis
Exuvias perferre *iubet:*

et Martial. IV, 10, 11.

I puer, et caro perfer *leve munus amico.*

I, 9, 7. *ad hoc tam crudele miniſterium magum quemdam ex amicis delegit nomine* Cometen, pro quo aliae edd. habent *Praxaſpem*, *Praexaſpem*, *Proexaſpem.* Vir Cl. legit *Prexaſpen* ex Herodoto, III, 75. — I, 10. 21. tuetur lectionem codd. *cedentibus* ex conſulto *Perſis*, pro *conſulto*, exemplis e Saxone praecipue advocatis. II, 4, 12. probat *ſolae* (al. *ſoli*) *terminos alternis* (al. *alternos* et *alterno*) *defendentes*, laudatis Lucret. IV, 791. *Mollia mobiliter quum* alternis *brachia mittunt*; et VI, 569. de ventis: *nunc quia reſpirant* alternis, *inque*

inque gravescunt. Senec. de Vit. beat. 5. *quem voluptates doloresque incertissima dominia et impotentissima* alternis *possident.* Stat. Theb. I, 410. *paullum* alternis *in verba minasque cunctantur*, et aliis locis. II, 6, 1. confirmat quidem lectionem vulgatam: *quae* (bella) *ultra gesti fidem* patrata *sunt*, ex Velleio, II, 114. *hiems emolumentum* patrati *belli contulit;* et Liv. XXVIII, 41. *egregiam istam palmam belli Punici* patrati *petis*, sed ob consensum codd. praefert: *peracta sunt*, ut infra XXII, 8, 6. *dum reliquiae belli* peraguntur; et Lucan. I, 691. *Impiaque in medio* peraguntur *bella senatu.* II, 12, 27. legit: *plures tamen non minus saevitiam regis, quam hostem timentes*, domos *dilabuntur*, pro *domum.* Nam sic et Oros. *plures tamen saevitiam regis, velut immanitatem hostis timentes*, domos *dilabuntur;* Freculph. *per* domos *dilabuntur*, temere praepositione addita; Vincent. III, 33. *plures tamen saevitiam regis timentes*, domos *delabuntur*: atque sic Liv. Curt. etc. III, 7, 4. pro, *consilio Periclis*, habent aliquot codd. *Periclii*, et paullo post iidem: *haec Pericli expeditio*, eadem genitivi terminatione, qua utitur Cicero de Orat. II, 22. *Pericli succum;* et Nepos, Alcib. 2. ex MSt. *educatus est in domo Pericli.* Sic etiam supra I, 10, 6. *Darius Hystaspi filius*, eodem modo ut apud Nepot. de Reg. I, in MSS. legitur *Darius Ystapsi*, vel *Ystaspi, filius.* IV, 1, 1. praefert Vir Cl. lectionem codd. aliquot: *Siciliam ferunt angustis quondam faucibus Italiae adhaesisse*, diremptamque *velut a corpore maiore impetu maris:* pro quo al. *direptam;* sic Liv. XXI. c. 49. *Hispania angusto* diremta *freto;* Senec. Oed. 9. *rupemque saxis vasta* dirimentem *freta:* Tacit. Agric. c. 23. *nam Glota et Bodotria diversi maris aestu per immensum revecti, angusto terrarum spatio* dirimuntur: Cic. in Verr. IV, 48. *Tota* (Enna) *ab omni aditu circumcisa atque* diremta *est.* Sed, si recte attenderis, loca a Nostro laudata minus recte in hunc locum convenire intelliges. Neque enim ibi aliquid dicitur de vi maris, particulam aliquam terrae a continenti abripientis, sed est alia illorum locorum ratio, atque *diremtus* idem esse videtur, quod ait

Seneca, loco a Nostro laudato: *insulam ab Italia angusto intercisam freio.* At his Iustini verbis idem sensus inest, qui Senecae: *subito mare irrupit, et Hesperium Siculo latus* abscidit. Quare τὸ *direptam*, i. e. abscissam, abruptam, abreptam, retinendum est. Schefferus, cum emendatione sua, *diruptam*, frustra est. IV, 5, 6. arridet Viro Cl. lectio codd. aliquot, *inscientia ducum*, pro *inscitia*, cuius ille vocis usum ex Cicerone, Plinio, Macrobio, Gellio, adstruit. VI, 1, 3. bene tuetur lectionem omnium codd. *Cyri quondam regis*, nihilque mutandam esse censet. *Regem* enim hic vocari, qui fuerit filius regis: similiter regis Orodis filium appellari *regem* infra XLII, 4, 10. *Ventidius universam Parthorum manum cum* rege *ipso Pacoro interfecit;* et Flor. IV, 9, 6. *Rex* (Pacorus) *fortissime dimicans cecidit*; et Virg. IX, Aen. 223. *statione relicta Ipse comes Niso graditur*, regemque *requirunt.* ubi Servius notat: *Regemque requirunt, regis filium*, ut: Magnum reginae sed enim miseratus amorem, etc. X, 1, 6. *quem aut paterna maiestas — a tanta immanitate revocaret,* addidit Noster e codd. vocem *sceleris:* sic Cic. pro Coel. *tot vitiorum tanta immanitas*, et Gell. *immanitas poenae.* XI, 10, 11. ingenii et codd. ope ita restituit: *cum legati rectius id eum* Tyro *vetere et antiquiore templo facturum dicerent*, deprecantes eius introitum, *ita exarsit*, seu potius, *tum ita exarsit*, ita ut vocula *tum* a postrema praecedentis vocis syllaba absorpta sit. Tὸ *exardere* absolute positum saepius occurrit. XI, 14, 8. *Triginta quatuor diebus praedam recognovit:* invenit in vett. edd. *continuis*, quod non temere additum esse dicit, pluribusque exemplis adstruit. XV, 3, 11. *Postea in India* insectanti regi *quosdam palantes hostes, cum a satellitum turba equi sui celeritate desertus esset, solus* ei *per immensas arenarum moles cursus comes fuit*, corrigit Vir Cl. *insectante rege*, vel *solus per immensas*, deleto pronomine *ei*, priusque confirmari dicit Vincent. V, 48. *Porro* insectante Alexandro *in India quosdam palantes hostes* etc. XVII, 1, 11. invenit in aliquot codd. *utrique animi iuvenales erant*, multisque exem-

plis

plis tuetur, ut Symmach. I, ep. 1. *Hos inter*, iuvenale *decus* etc. et VII, 9. *decet enim loqui exſultantius* iuvenalem *calorem;* Liv. I, 57. ex duobus MSS. *et tum quidem a nocturno* iuvenali *ludo in caſtra redeunt*. mittimus reliqua. XVIII, 1, 6. *mox* cedere *praelio coegit*: omnes ait codd. conſtanter dare *cedere*, ſed vocem *praelio* e margine in contextum migraſſe ſibi videri, atque etiam in codd. aliquot abeſſe. Verbum *cedere* eodem ſenſu abſolute uſurpare auctorem, I, 6, 13. *Pulſa itaque tum Perſarum acies paullatim* cederet etc. XVIII, 7, 16. ita interpungendum locum hunc cenſet: *punitis auctoribus miſerorum civium iniurioſi exſilii, omnibus ſe veniam dare dicit: atque* etc. nempe *miſeros cives* vocari partem exercitus illam, quae ſuperfuiſſet praelio, quamque exulare iuſſiſſent Carthaginienſes. Vincent. *punitisque auctoribus exſilii ſui et ſociorum, urbem legibus ſuis reddidit* etc. *Omnibus* eſſe ceteris, vel aliis omnibus, ut *εἰς πάντας* in Ep. 1. ad Theſſalon. III, 12. XXIV, 3, 4. in cod. Medic. pro: *domos, templa, ceteraque omnia exornari iubet*, invenit *itineraque omnia*, quod valde placet. Sic *itinera* pro *viis* in urbe apud Liv. XXIV, 39. *Poſtero die alii aliis locis ad obſidenda* itinera, *claudendosque oppidanis exitus — conſiſtunt;* et XXV, 9. *per urbem dimittit Tarentinos, et* itinera *quam maxime frequentia occupare iubet;* et XXVII, 16. *dilapſi per nota urbis* itinera *in ſuas amicorumque domos*. Obiter emendatur pag. 959. a Noſtro Columella, lib. X. v. 17. 18. apud quem vulgo legitur:

Sed negat helleboros, et noxia galbana *ſucco,*
Nec patitur taxos, nec ſtrenua toxica ſudat.

Corrigit, quae *ſtrenua toxica ſudant*. Taxum, ſive *σμῖλον*, tam hominibus, quam animalibus, noxiam eſſe, praeter alios teſtari Nicandr. Alexiph. v. 610.

Μὴ μὲν δὴ σμῖλον σὺ κακὴν ἐλατηΐδα μάρψαις
Οἰταίην, θανάτοιο πολυκλαύτοιο δότειραν.

Pariter, ait, vocem *galbana* corruptam eſſe. *Galbanum* enim, ſive *χαλβάνην*, plantae ſuccum, non plantam eſſe: variis

morbis hunc ſuccum mederi, et veneno adverſari, teſte Dioſcoride l. 3. c. 97. Pro *galbana* codicem habere *carbaſa*, ad quam vocem proxime accedat *carpaſa*: *carbaſi* ſuccum memorare videri Plin. lib. XXXII. c. 5. *Contra dorycnium echi- ni maxime proſunt, et iis, qui ſuccum* Carpathii *biberunt;* pro quo Leidenſ. cod. *et his, qui ſuccum* Carphati *bib.* Henricum vero Stephanum in Ind. Theſ. v. Κάρπασος, malle *Carpaſi*, ex Dioſcor. VI, 13. Forte etiam pro *galbana* legendum eſſe *gramina*. Sed redimus ad Iuſtinum. XXXVII, 1, 8. ſcripſiſſe putat auctorem, *ut maior clariorque* inſtaurando *bello reſurgeret*, ut vett. edd. habent, niſi quod *praelio* praeferant. Alii *in reſtaurando b. r.* XL, 1, 1. e codd. praefert *circuminſpicere*, ut duo codd. apud Liv. I, 30. *circuminſpicere et ipſi externa auxilia*, idemque verbum auctori e MSS. XIV, 2, 6. XX, 3, 4. XXI, 5, 10. et aliis in locis aſſerit. XLI, 3, 6. pro vulg. *in ſuperſtitionibus* atque *cura deorum praecipua amnibus veneratio eſt*, habent complures libri *in ſuperſtitionibus* ad *curam deorum*. Probatur haec lectio Noſtro, qui illam ita explicat: Parthos in ſuperſtitionibus, praeter deos, amnes quoque religioſe venerari ſolitos fuiſſe; advocato loco Liv. XXVI, 1. *praelium non ſolito modo clamore ac tumultu eſt coeptum, ſed* ad *alium virorum — ſonum, diſpoſita — multitudo — edidit clamorem.* In *Prolog.* VIII. pro: *et rex Epiro datus Alexander, electo Aryba*, coniicit: *ereptae Arrybae:* ita enim Iuſt. VIII, 6, 7. *cum igitur ad viginti annos perveniſſet, ereptum Arrybae regnum puero admodum tradidit.* Prol. XXI. vulg. *Ut in Sicilia Dionyſius filius a patre amiſſo tractarit imperium:* ubi iam Bongarſius praepoſitionem *a* deleri iuſſit, et in cod. ſcriptum eſt: *Dionyſii filius*. Hinc Noſter legendum eſſe putat: *Dionyſius, Dionyſii filius*, quam ſcripturam etiam codicem Itali interpretis habuiſſe videri dicit, qui vertit: *Dioniſio figliuolo di Dioniſio*. Prol. XXXIV. vulg. *Et rex Aegypti Ptolemaeus. Repetitae inde origines regum Cappadocum. Epiphanes ut mortuo Ptolemaeo, relicti* etc. Hunc locum emendat Vir Cl. ſic: *et rex Aeg. Ptolemaeus Epiphanes. Ut mortuo Ptolemaeo,*

relicti

relicti etc. omissis mediis vocibus, quae illi ex sequentibus huc neperam translatae videntur, neque in Italica versione exstant. Verisimile enim esse, Trogum in postremam partem huius libri contulisse origines regum Cappadocum, et quidem postquam mentionem fecisset Ariarathis, Cappadocum regis; idque persuadere omnes codd. MSS. in quibus circa finem huius prologi legatur: *Ariathe rege Cappadocum. Repetitae inde origines rerum Cappadocum. Ut habita* etc. Prol. XXXV. vulg. *quo bello victus Demetrius, invisum stultitia Alexandrum bello vicit.* Noster emendat sic: *q. b. victus Demetrius interiit. Ut Demetrii filius Demetrius invisum* etc. Errori causam dedisse eiusdem nominis repetitionem. Sed haec hactenus. Sunt etiam animadversiones nonnullae, quae ad historiam spectant, atque inprimis in vera nominum propriorum scriptura definienda, eorumque varietatibus e codicibus proferendis, versantur. Maximam vero animadversionum partem ad Grammaticam, ad explicationem verborum, ad formularum locutionumque inter se comparationes, pertinere vidimus. Sunt etiam aliae quaedam mutationes in hac altera editione factae, non magni illae quidem momenti, sed minime tamen silentio praetereundae. Primum accedunt notae excerptae *Glareani* atque *Editoris Oxoniensis*, cum praefationibus virorum doctorum, quorum adnotationes Cl. *Gronovius* huic editioni inseruit. Utrumque in priori editione desideratur. Deinde adnotationes doctissimi Abbatis *Ludovici du Four de Longueriie*, quae antea ex Montefalconii Itinerario Italico exhibitae fuerant, nunc proponuntur ex editione Parisiensi A. 1734. Denique etiam animadvertimus, complures excerptas variorum notas in hac editione recisas a Viro Cl. et omissas fuisse. Etenim notae Bocharti, Petavii, Thysii, Seldeni, Strigelii, Salmasii, Scaligeri, aliorum, quae in priori hinc inde sparsae erant, prout aliquem locum explicarent, vel illustrarent, in hac desiderantur. Neque nobis institutum hoc Viri Cl. improbari fatemur.

CAROLI LINNAEI, SAC. REG. MAI. SUEC. Archiat. Med. et Bot. Prof. Upsalienſ. Amoenitates Academicae; ſeu diſſertationes variae Phyſicae, Medicae, Botanicae, antehac ſeorſim editae, nunc collectae et auctae. VOL. II.

Holmiae, apud Laur. Salvium, 1751. Alph. 1. plag. 7. tab. aen. 4. in 8vo.

Proponuntur hoc altero Volumine Amoenitatum Academicarum Diſſertationes XV. I. *Oeconomia naturae*, auct. *I. Biberg.* Opera Auctoris in eo verſatur, ut ſummam Dei ſapientiam, e fabrica huius univerſi elucentem, demonſtret. Inde regnum lapideum, vegetabile, et animale perluſtrat, et quid in rerum propagatione, conſervatione, et deſtructione, maxime ſit memorabile, enarrat. In prooemio nonnulla de orbe terrarum in genere, illiusque mutationibus, monentur. Paullo copioſius etiam de foecundatione plantarum diſſerit, illasque ſuis organis genitalibus inſtructas eſſe putat. In floribus contineri partes genitales, quae antherae et ſtigmata dicantur, atque intra flores foecundationem abſolvi. Hanc vero effici mediante pollinis antherarum illapſu ſuper humida ſtigmata, ubi pollen adhaereat, rumpatur, et materiam efflet tenuiſſimam, quae abſorbeatur per ſtylum, et ad ſeminum rudimenta deferatur, ut hoc modo ea foecunda reddantur. Hoc facto partes genitales marceſcere, cadere, immo totius floris mox immutationem ſubſequi. Non tamen ſemper unum eundemque florem continere organa genitalia utriusque ſexus, ſed ſaepe in uno thalamo tantum marem, et in altero feminam, in eadem vel diverſa planta, adeſſe. Alias multa ab Auctore commemorantur, quae pietatis quidem ſenſum excitant et alunt, ſed ſatis nota et vulgaria ſunt. II. *Taenia*, auct. *Godofr. Dubois.* Deſcribitur hic vermis, quo vix ullus maior invenitur, et qui maiores corpori humano dolores pariat. Recenſentur vero quatuor huius vermis ſpecies: taenia oſculis marginalibus ſoli-

ſolitariis: taenia oſculis lateralibus geminis: taenia oſculis lateralibus ſolitariis: taenia oſculis marginalibus oppoſitis. Exiſtimat vero, taeniam eſſe polypum proliferum, idemque illi hic vermis videtur, ac plura individua differentia in unum concatenata, quamvis concatenata non ſint, ſed ſimul nata, et proprium ſuum habentia os et tubum inteſtinalem, nec non ſeparata et ſeiuncta organa vitae, per quae circulatio peragatur, diſtinctaque ſenſoria. Oſcula taeniae non eſſe reſpiracula pulmonum, verum eſſe haec foramina articulorum veriſſima ora, et minima illa roſtra intra poros vicem ſuſtinere dentis, linguae, et unguis, adeoque unumquemque articulum eſſe animal, gaudens ore, roſtro, inteſtinis, principio nutritionis, motus, et vitae. Vermes denique cucurbitinos oriri a taenia, non hunc ab illis. III. *Lignum Colubrinum*, auct. *Io. Andr. Darelio.* Ne, id quod aliis accidit, ſpecies huius in India contra ſerpentum morſus validiſſimae radicis, confundantur, tres Noſter praecipuos ſelegit harum ſpecierum characteres. 1) Lignum colubrinum primum et laudatiſſimum illud eſt, a quo ſubſidium quaerit viverra, vocaturque incolis *Rametul.* Duorum vel trium palmorum magnitudine aſſurgit, paucis virgulis, 4. aut 5. duntaxat tenuibus. Radix, quae maxime utilis eſt, veluti tenuiorum vitium radices, multis capitibus aut nodis ſe propagat, ita, ut ſemper radix aliqua extra ſolum ſe exſerat: eſt praeterea illa ex candido cinerea, ſolida admodum, amaro guſtu. Folia perſicae, magis tamen virentia. Flos longe a foliis racematim cohaeret, pulcherrimo colore rubens. Fructus ſambuci, ſed rubens et durus, racematim cohaerens, velut in Periclymeno. 2) Secundum genus pariter tanquam praeſentiſſimum contra venena remedium commendatur. Arbor eſt punicae ſimilis, ſpinis brevibus et firmis horrida, cortice candido, denſo, rimoſo, ſolido et amaro, diverſo tamen a cortice prioris. Foliis eſt luteis, adſpectu pulcherrimis. Hanc, ſi iuxta aliam quampiam arborem proveniat, per ſummos eius ramos ſerpere, atque cucurbitae modo amplecti dicunt.

Solet

Solet lignum cum radice et cortice exhiberi, praefertur tamen radix. 3) Tertium genus e Ceilona eſt, cuius radices ſunt tenues, durae, nigrae, odoratae: ramos habet paucos, tenues, 4. aut 5. cubitorum longitudine, qui, niſi alligati, ſuſtentare ſe nequeunt, ſed per ſolum ſeſe diffundunt. Folia rara, lentiſcinorum effigie, oblonga, non viridia, ſed maculoſa, ſive nigricantibus ex candido maculis reſperſa. Hinc igitur definit Noſter, quid reliquae duae ſpecies ligni Colubrini apud Garziam, quid Mungos Kaempferi, Ekawerya Grimmii, et Naghawalli Hermanni, ſignificent. IV. *Radix Senega,* auct. *Iona Kiernander.* Senega, ſive illa planta, quae firmiſſimum antidotum crotalophori audit, eſt ſpecies Polygalae undecima. Radix perennis, fibroſa, lignoſa, flexuoſa, varie ramoſa, apice ſeu baſi in varia tubercula dilatata, unde caules enaſcuntur. Caules plurimi, ſimpliciſſimi, pedales, teretes, vix manifeſte pubeſcentes, debiles. Rami nulli. Folia ſuperiora lanceolato-ovata, media anguſtiora et magis lanceolata, omnia in petiolos vix manifeſtos deſinentia, integerrima, margine nonnihil ſcabra, utrinque glabra et viridia, ſubtus autem pallidiora, acuminata, quo baſi caulis propiora, eo etiam minora, adeo ut infima vix lineas duas longitudine excedant, ſumma autem duos pollices transverſos longitudine, unicum vero latitudine attingant. Coſta longitudinalis folii, ſubtus prominens, teretiuſcula ad angulum rectum vaſa exeuntia verſus marginem, ſed admodum obſoleta, emittens. Stipulae nullae. Spica pedunculata, terminans caulem, pedunculo foliis breviore. Flores in ſpicam tenuem digeſti, albi, ſeſſiles, circiter quadraginta, innati ſcapo ſtriato. V. *Geneſis Calculi,* auct. *Io. Ott. Hagſtroem.* Loca, ait Auctor, communisſima calculi ſunt omnes humores quieſcentes in corpore, praeſertim vero urina, multum ſedimenti deponens, ſaturata ſale et particulis terreſtribus. Per ſalia enim combinari et cryſtalliſari terreſtria, inprimis ſi cryſtalliſationi promovendae adſint requiſita palmaria, nempe baſis ſolida, quies, acidum. Praeterea, pergit, requi-

requiritur ad genesin calculi, ut viscus, in quo generatio calculi perficitur, tonum suum amittat, unde liquores stagnantes, mucosi et putridi, maiori copia terram lapidescentem deponunt, praecipue si huc accedant acida, quae terram magis praecipitant, et simul tonum partis debilitant. Salia e massa sanguinea per sudorem et salivam, praesertim vero per renes, expelluntur, unde urina semper salsa. Salitis cibis urina acrior et foetidior redditur, plusque sedimenti relinquit; contra vero ex herbis virentibus vix crusta in matula apparet. Scorbuticorum saliva maiori salis copia scatet, quae ideo in igne magis crepitat, unde calculus salivalis hanc ob causam saepissime horum dentibus accrescit. Terrestres particulae, quo copiosiores in sanguine, eo etiam magis disponunt ad calculum. Crusta in matula ex urina generatur crystallisando, ergo etiam pari ratione in corpore. Quo copiosiori sale scatet urina, hoc facilius ex ea germinat et sal et calculus. Mittimus alia, quae Auctor disputat. Sunt enim satis nota, et ubivis obvia. VI. *Gemmae arborum*, auct. *Petro Loefling*. Commemorat differentiam gemmarum; ortum, quem ipsius trunci aut radicis medullae adscribit; classes denique. Adiunxit etiam Cel. *Linnaeus* problema Botanicum, quod qui solverit, eundem nodum extremum vegetationis soluturum dicit. Nempe, ait, corpus vegetabile constat medulla vestita ligno, facto ex libro, postquam secessit ab interiori corticis substantia, qui ipse epidermide induitur. Crescit medulla cum tegumentis, dum sese in longitudinem extendit, fibrasque in latitudinem versus folia protrudit. Saepius fibrae medullaris extremitas, per corticem protrusa, solvitur in gemmam ex foliolis imbricatam. Expanditur folium, dum attrahit succum nutritium, quem modicum gemma concedit, antequam cadit, nunquam renasciturum. Gemma, compendium futurae herbae, extenditur in ramum, et hic in ramulos, inque infinitum, donec fructificatio imponat finem antiquae vegetationi. Calyx fit intra gemmam, ex foliis

non ſecedentibus, deficiente vi eadem removente et expandente. Hoc facto rumpitur intra calycem ramuli apex, ſecundum leges cuique ſubſtantiae proprias, inque florem expanditur, annuo ſpatio citius. Confirmant flores vernales, inprimis Daphnes, eo tempore, quo libri ſubſtantia a cortice non receſſit, corollam teneram, magis mollem et caducam, ex corticis, nunc calycis propria ſubſtantia, pulpoſo libro, oriri. Conſiſtentia, ſitus, plenitudo florum, e vegetatione vegetiori; ubi ex molli libro indureſcere lignum non permiſit fortior impulſio, probat, ex ſubſtantia lignea, olim libro, ſtamina fieri. Piſtillum centri floris ex propria, eaque medullari ſubſtantia, ortum eſt, cum alia hoc in loco ſuperſit nulla. Fructus ex piſtillo medullari nequit vitam novae plantae inchoare; niſi prius ſtaminum eſſentia lignea abſorpta fuerit ab humore medullari piſtilli. Quaerit igitur Vir Cel. quae cauſa ſit connexionis foliorum in calycem? quo ramuli apex praecocius rumpatur in florem? quae vis ſit mirabilis huius effectus? VII. *Pan Suecus*, auct. *Nic. Heſſelgren.* Nempe indagavit Auctor, quae herbae et plantae in Suecia a quinque hiſce animalibus: bobus, capris, ovibus, equis, ſuibus, comedantur. Experimentis igitur inſtitutis, diſpoſuit haſce herbas ſecundum numeros ſuos, atque nomine generico, et epitheto brevi addito, adnotavit, quae herbae, et a quibus comedantur. Hancce vero diſquiſitionem ideo inſtituit, atque inſtituendam eſſe cenſet, ut, quae paſcua huic vel illi animalium generi bonum paſtum praebeant, intelligatur, et quae prata prae aliis certis animalibus conducant oeconomus diſcat, et huc reſpiciat, quando in pratis ſuis foeni ſemina in paſtum pecudum ſerit. VIII. *Splachnum*, auct. *Laur. Montin.* In hac diſſertatione exhibetur deſcriptio plantae, muſci umbraculati nomine vulgo inſignitae. Commemorantur tres ſpecies, differentiae ſpecificae, ſynonyma, et loci natales. IX. *Semina Muſcorum*, auct. *Petr. Ion. Bergio.* Primo A. oſtendit, omnes plantas

plantas ſuis gaudere ſeminibus, ſemperque flores antecedere ſemina; deinde ad muſcos tranſit, atque ad hos refert Polytrichum, Bryum, Hypnum, Mnium, Porellam, Splachnum, Sphagnum, Fontinalem, et Lycopodium. Poſt exponit de ſexu diſtincto, de ſemine, de floribus, de uſu oeconomico muſcorum. X. *Materia medica e regno animali*, auct. *Ion. Sidren.* Brevibus attingitur, quae regni animalis ſpecies aliquem uſum atque utilitatem in medicina praeſtet. XI. *Plantae Kamſchatkenſes rariores*, auct. *I. Halenio*. XII. *Sapor medicamentorum*, auct. *Iac. Rudberg.* Sententiae Auctoris redeunt fere huc: medicamenta agere ſecundum ſaporem et odorem, ſi pauca lapidea excipiantur: iudicari medicamentum compoſitum ex ſapore mixti, non ex ſimplicium ingredientium: praeparationem medicamenti, quae tollat ſaporem et odorem, tollere etiam eiusdem effectum, ut in foeculis Ari, Iatrophae: vehiculum copioſius debilitare et enervare medicamenta, vim autem concentratam nimium acuere venenum, exemplo Alcohol: diverſitatem ſaporum non ex ſubſtantia, ſed ex qualitate et modificatione oriri. Sic Pyri groſſum tenellum inſipidum, oleraceum, adultiorem ſtipticum, coctum vero acidum refrigerantem, maturum dulcem, eſculentum, putridum demum amarum, ſubvenenatum eſſe. XIII. *Car. Linnaei* oratio *de memorabilibus in Inſectis.* XIV. *Eiusdem* oratio, *qua peregrinationum intra patriam neceſſitas aſſeritur.* XV. *Eiusdem* oratio *de telluris habitabilis incremento.*

BIBLIOTHECA NUMISMATICA, EXHIBENS catalogum auctorum, qui de re monetaria, et numis tam antiquis, quam recentioribus, ſcripſere: collecta, et indice rerum inſtructa, a IOH. CHRIST. HIRSCH.

Norimbergae, apud hered. Felseckeri, 1760. Alph. 2. plag. 14. in fol.

In edendis illis de re monetaria commentariis, quos *Archivi* nomine ab Auctore insignitos in hisce Actis indicavimus, illud sibi *Hirschius* V. Cl. proposuisse videtur, ut ea tantummodo exhiberet, quae ad Germaniam nostram spectarent, atque tam ad historiam quasi rei monetariae texendam, quam ad emendationem illius ad variorum temporum exemplum suscipiendam, pertinerent. Verum opera, ab Auctore in hac collectione posita, non magis nobis, quam exteris, omnibusque, qui numismaticae rei studio tenentur, utilis atque iucunda erit. Magna enim diligentia, cum editos, tum ineditos virorum doctorum libros, qui hanc vel illam rei monetariae partem explicant et illustrant, collegit, eorumque catalogum ad ordinem litterarum disposuit. Pervagatus vero est Noster omnium temporum vicissitudines, atque ex antiqua et recenti memoria magnum scriptorum numerum attulit. Neque in horum delectu ad hanc illamve nationem praecipue respexit, sed quae in quacunque regione de re monetaria scripta sunt, laudavit. Illos etiam libros, in quibus obiter aliquot nummi illustrantur, aut aliqua de numismatibus antiquis monentur, licet non proprium hoc sit eorum argumentum, omittere nefas duxit. Primum quidem indicem ad primas litteras nominum Auctorum composuit, altero vero res praecipue memorabiles complexus est. Atque ne deesset lectoribus facultas, hunc catalogum magis magisque perficiendi, si quae vel ignoravisset Auctor, (quis enim sibi tantam alicuius scientiae cognitionem consecutus videatur, ut non aliqua eum lateant?) vel si qui posthac edantur libri huius generis, relicta sunt in singulis capitibus vacua chartarum spatia. Etsi vero difficile est, aliquid certi de eiusmodi libris et catalogis pronunciare, tantam tamen nobis Cl. *Hirschius* diligentiam adhibuisse vide-

videtur, ut pauca ſint, vel nihil omnino, quod ſupplendum atque addendum exiſtimemus. Nam non ſolum eos libros laudavit, qui ſeparatim editi ſunt, ſed et ex variis virorum doctorum diſſertationibus, v. c. Obſervationibus Miſcellaneis, Actis Academiae Pariſinae, aliisque talibus, quae huc pertinerent, excerpſit. Quantus vero ſcriptorum numerus allatus ſit, vel ex plagularum indicio coniici poteſt. Erit igitur hic catalogus utiliſſimus iis omnibus, qui ſtudium ſuum in antiquitatis cognitione ponent, remque numismaticam veterum illuſtrandam ſibi ſument. Nam cum illi, qui de antiquitatibus ſcribunt, materiam plerumque ſatis notam doctioribus eligant, atque non ſolum taedium immo faſtidium afferant lectoribus, crambe decies recocta et appoſita; ſed etiam, etſi diligentiae aliquam forte, nullam tamen omnino ingenii atque doctrinae laudem adipiſcantur: certe facile intelligere poterunt ex hoc catalogo, quid iam ſatis a viris doctis illuſtratum et explicatum ſit, et quid in tenebris adhuc deliteſcat, et lumine litterarum egeat. Utamur exemplo quam maxime perſpicuo. Multi libri ſcripti ſunt de nummis Caeſarum, de nummis Hebraeorum, aliisque; ubi plerumque nihil aliud ſibi propoſitum habuiſſe auctores videntur, quam ut alter alterum deſcriberet: quomodo vero accidit, ut nemo de monetis obſidionalibus ſcriberet? Novimus quidem, atque etiam a Noſtro indicatur, eſſe in Actis Academiae Pariſinae, T. I. n. LIV. diſſertatiunculam Bozii de hac re. Praeterea vero nemo hanc particulam rei monetariae uberius explicandam ſibi propoſuit. Poterunt autem de his multa utilia et iucunda ex antiquitate repeti, atque non ſine fructu moneri. Nam e. g. Bozii opinio, primum nummum obſidionalem A. 1524 — 1526. cum Franciſcus I. Italiae bellum intuliſſet, cuſum fuiſſe, fortaſſe non omnibus adeo certa videbitur, ut non longius ad eorum originem indagandam recedant. Sunt vero etiam capita quaedam ex iurisprudentia de hiſce obſidionalibus num-

mis exponenda, atque discutiendum: liceatne praefecto eiusmodi numos cudere? qua imagine hic numus sit signandus? ne quid dicamus de valore, qui his nummis sit constituendus et tribuendus. Est quidem illa Bozii dissertatio non contemnenda, sed nimium brevis, nec uno in loco ea auctor tradidisse videtur, quae uberiori et explicatione et confirmatione egebant. Sed de his satis. Sunt vero plura, quae simili modo a viris rei numismaticae et iuris peritis exponi possint, quaeque ex hoc catalogo intelligere licet. Neque tamen diffitemur, esse hoc atque similia non solum laboris, sed doctrinae quoque ac ingenii; quae virtutes cum in paucos tantummodo cadant, non mirari debemus, vulgo sibi homines eiusmodi antiquitatis partes illustrandas sumere, in quibus exponendis posteaquam omnes Thesauros et Lexica et indices sat strenue compilaverunt, tum se Gronoviis, Graeviis, et Spanhemiis, palmam dubiam fecisse arbitrantur.

TENTAMEN DE DEMONSTRANDA STRUCTURA humana, secundum Naturae ipsius proportionem, e quatuor tabulis conflatum, ab Iconibus post veras dissectiones consulto factas. Ita dispositae sunt partes, ut sensim partium omnium, quae audiunt capita, aut principes, in situ naturali repraesententur, eo quo, cum primo dissecantur, more apparent, quum sanguifera vasa cera sunt iniecta. Opus constitutum, ut artificiosa animalis oeconomiae imago dilucidius quam in ullis aliis hactenus edita fuit tabulis, eniteat atque emineat. Cura ac studio CAROLI NICOLAI GENTY, A. M. nec non rei anatomicae ac chirurgicae Professoris.

Impensis

Impensis Auctoris, Londini, 1757. in 8.

Amplissima haec operis inscriptio propemodum nobis otium facit, nosque labore in librum recensendum insumendo eximit. Sunt enim paucae chartae, quae nihil aliud exponunt, quam tabularum in data inscriptione indicatarum explicationem. Peritissimus Auctor tabulis illis studia Chirurgorum, qui scholas eius frequentant, sustentare velle videtur. Summum, quem praedicat, artificem, VAN RIEMSDYK, operi pictorio ita operam dedisse existimat, ut elegantissimam naturae adumbrationem ab eo exhibitam esse putet. Cum ad optionem res ista devenisset, utrum pictoria adumbratio, illo artis genere, quod Mezzo-tinto nominatur, an vero arte in aes incidendi, describenda esset? *Cl. Auctor* priorem illam artem alteri praetulit, non, ut nobis quidem videtur, satis feliciter. Et, credimus utique, melius consultum fuisset et tyronibus, quibus hanc operam Auctor navavit, et aliis, qui rerum anatomicarum repetitionem isto tabularum apparatu adiuverint, si tabulae tantae amplitudinis artificem aeri incidendo satis peritum nactae fuissent. Utut sint, credimus, chirurgorum utilitati ne sic quidem male consultum esse. His ipsis Tabularum explicationibus adiunctae sunt illustrationes aliarum tabularum, uterum gravidum repraesentantium. En et harum titulum: *Explicatio demonstrationis uteri praegnantis mulieris, cum foetu ad partum maturo, in tabulis sex, ad naturae magnitudinem, post dissectiones, depictis, et ea methodo dispositis, ut huius status gravidi amplam ob oculos ideam collocent.* Femina, cuius uterus depictus exhibetur, a partus tempore proxime abfuit. Ante explicationem tabularum ipsarum, quae etiam permagnae sunt, ac fere naturalem partium, quas repraesentant, magnitudinem exaequant, pauca quaedam A. praemisit, e quibus hoc carpere nobis visum

ſum eſt, quod *Auctor Cl.* de craſſitie partium uteri annotat. Dicit nimirum, partes uteri, quibus placenta adhaeret, multo teneriores eſſe quam caeteras, quia membrana careant, quae poſſit corium vocari, et quia ibidem venae maiori copia adſint quam alibi. Communem igitur errorem eſſe omnium, qui anatomiae operam dederint, quod illam uteri partem quam alteram putarint craſſiorem, quae Auctori multo videtur tenuior; et quod dixerint, uterum aeque craſſum in femina gravida eſſe, quam in ea quae utero non gerit. Porro, omnes hoc etiam errore laborare, quod in uteri conditionem tunc inquirunt, cum is aut a ſanguine conſperſus, aut hic vi infuſus eſt. Re vera enim uteri praegnantis, ſed a ſanguine repurgati, pondus, a pondere uteri non praegnantis parum diſcrepare. Itaque fictam eam crasſitiem, nil eſſe aliud, quam extenſionem uteri vi humorum factam.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiae

Calendis Septembris Anno MDCCLX.

Pars I.

CAROLI LINNAEI, EQUIT. DE STELLA POLARI, Archiatr. Reg. Med. et Botan. Profess. Upsal. etc. Amoenitates Academicae: seu dissertationes variae Physicae, Medicae, Botanicae, antehac seorsim editae, nunc collectae et auctae, cum tabulis aeneis. VOLUMEN TERTIUM.

Holmiae, sumt. Laur. Salvii, 1756. Alph. 1. plag. 6. tab. aen. 4. in 8vo.

Nondum nos poenitet consilii, Amoenitatum Academicarum ab Ill. *Linnaeo* editarum recensionem suscipiendi, atque earum argumenta breviter cum lectoribus nostris communicandi. Sunt enim in iis multa vere amoena, et iucunda lectu, multa quoque curiose et diligenter ab auctoribus explicata. *Tertium* hoc Volumen habet dissertationes *viginti*. I. *Nova plantarum genera*, auct. *Leonh. Io. Chenon.* Opusculum hoc in duas partes abit, quarum prior genera Americae septentrionalis, altera genera miscellanea continet. Plantas, quarum mentio fit, Cl. *Kalmius*, itinere per Pensylvaniam, novum Eboracum, et Canadam instituto, collegit, earumque alias siccas, alias vivas domum attulit. In describendis his eadem ratione Auctor versatur, quam in prioribus voluminibus observa-

vimus et indicavimus. II. *Plantae hybridae*, auct. *Io. Haartman.* Profert Auctor eas rationes in medium, quae illi novarum in regno vegetabili specierum ortum probare videntur. Minime, ait, novas plantarum species per miscelam duarum diversarum oriri posse. Hybridam generationem in animalibus vere inveniri, atque ex equa et asino mulos natos, nullos vero nepotes, conspici, ut e passere Canariensi et carduele oriuntur nati et nepotes, non vero abnepotes. Hybridam generationem non minus vere in vegetabilibus observari, ex mercuriali annua, foliis multifidis, et Veronica spuria, patere. Congeneres plantas facillime sub foecundatione misceri, ex Brassica cum Rapa et Napo certum esse. Diffines, rarius licet, tamen interdum misceri, hoc docere Veronicam spuriam. Mixtis diffinibus, fructificationis structuram in filia cum matre convenire, id constare ex Mercuriali et Veronica: nam accidentalia attributa, ut colorem, magnitudinem, odorem, saporem, plenitudinem, ad structuram non referri. Mixtis diffinibus aut congeneribus, ipsam herbam filiae saepe evadere patri similem, ex Veronica apparere, atque illustrari hoc exemplo Reaumurii: cuniculo comprimente gallinam, pullus exclusus fuit gallus lanatus. Plantam ipsam esse fructificationem, atque herbam plantae esse eiusdem larvam, uti in Insectis, et porro vitam plantae esse medullam, quae continuetur usque in semen, quod foecundatum fit prius a substantiae corticalis parte staminea. Viva experimenta ulterius desiderantur de pluribus plantis hybridis semine fertilibus. Falso dicitur, varietates plantarum tantum solo ortas esse, et ideo cultura mutari: nam Paeoniam aut Narcissum plenum, solo non mutari in non plenos, nec ideo esse specie diversas. Hybridam plantam, ex montana et palustri natam, expetere solum tertium, et ideo frustra quaeri iuxta filiam semper avos atavosque. III. *Obstacula Medicinae*, auct. *Io. Georg. Beyerstin.* Viginti et unam causam adfert, quibus accidat, ut quamplurima medicamenta iaceant. Esse has: consuetudinem; theoriam Medicorum variam, et hypo-

hypothefes, pro diverfis medicinae aetatibus, diverfiffimas; neglectum fpecificationis morborum; praeceps imprudensque iudicium de venenis, eorumque a medicamentis differentia; ignorantiam et audaciam circumforaneorum; dofes medicamentorum perexiguas; infcitiam Pharmacopaeorum in re Botanica; Euporiftorum neglectum; ignorantiam rei Botanicae, alia. IV. *Plantae efculentae patriae*, auct. *Io. Hiorth.* Catalogum compofuit Auctor plantarum Suecicarum, quae aliquem in cibariis ufum praeftant, et, quaenam illarum cuilibet ciborum generi praecipue inferviant, tanquam in brevi tabula propofuit. V. *Euphorbia*, auct. *Io. Wiman.* Vere hic iudicat, quo plures fpecies quodque genus comprehendat, eo magis effe Botanicis allaborandum, ut selectus fpecierum magis magisque clarus et evidens fiat. Cum igitur Euphorbia fpecierum copia quam maxime abundet, Auctor primum nomina, deinde genus, poft ftructuram, porro fpecies, denique vires huius plantae commemorat. VI. *Materia medica e regno lapideo*, auct. *Io. Lindhult.* Eft haec differtatio nihil aliud quam catalogus medicamentorum, quae regnum lapideum fuggerit, in quo contexendo Nofter Ill. *Linnaeum* et *Wallerium* fequitur. Capita fecit tria: de petris, de mineris, de foffilibus. VII. *Morbi ex hyeme*, auct. *Suenone Brodd.* Prior differtationis pars eft phyfica, quae hiftoriam atque phaenomena hyemis habet, multaque complectitur fatis vulgaria, v. c. de glacie, de feneftris conglaciatis, de plumulis niveis, aliis, quae certe non erant digna fatis repeti ab Auctore. Altera pars exponit morbos potiores, quos hyems in Suecia producit, et quo modo hos evitare, aut quorum medicamentorum ope profligare poffint, enarrat. Morbi funt: Perniones; Paronychia, (articuli digitorum, pollicis pedum, manus, fub ungues, zona rubra;) congeftiones hyemales; tuffis, pleuritis, peripneumonia. VIII. *Odores Medicamentorum*, auct. *Andrea Wahlin.* Hoc loco iftud agit Nofter, ut illum effectum, quem certi odores in corpore humano habeant, explicet. Odores vero in claffes feptem dividit: in aro-

 maticos,

maticos, fragrantes, ambrofiacos, alliaceos, hircinos, tetros, naufeofos, quorum dein virtutes exponit. Fragrans, ex Noftri mente, ftimulat nervos flaccidos; aromaticus intendit per nervos omnia vafa, et circulationem reddit promtiorem; teter fopit quafi nervos; naufeofus convellit, ut nervi quafi excutere eundem velint: hircinus excitat venerem, et coincidit fere cum illo, qui in genetalibus lafcivis reperitur: ambrofiacus vim tantummodo cordis intendit: alliaceus praecipue transfpirationi infervit. Praeterea docet Nofter, calorem oriri a nervis, non a fimplici frictione; nifi quis dicere velit, nervos, corroborando fibras, frictionem augere. Sed tum, ait A. amara maximum excitarent calorem, quod tamen ab amaris non volatilibus haud femper efficitur. Hoc inde confirmatur, quod: ex potione aquae calor non intenditur: a fpirituofis omnibus calor: Venere, five gonorrhoea exhauftus, frigidus: a motu quidem calor, fed motus a nervorum actione, nec motus fine nervis: paralytici in latere affecto frigidiores: corrofiva quidem calefaciunt, fed exulcerando fibras: frigidus, ab hauftu fpiritus vini et cerevifiae calidior fit: cordialia omnia fpirituofa funt, et cor ceffans in deliquiis excitatur fpirituofis. Exiftimat etiam Vir Cl. plurimos fenectutis morbos dependere non tantum a rigiditate fibrarum, fed etiam a minori irritabilitate nervorum. IX. *Noctiluca marina*, auct. *Car. Frid. Adler.* Auctor, cui admodum probabile videtur, aquae marinae lucem a vermibus oriri, Cl. *Grifellini* defcriptionem atque figuram huius vermis exhibet. X. *Rhabarbarum*, auct. *Sam. Zirrvogel.* Nofter, etfi plures effe fatetur, qui idem argumentum fibi explicandum delegerint, fe tamen comperiffe ait, defcriptiones Rhabarbari partim hic illic difperfas, partim prolixas, partim incertas nec fatis elaboratas effe, praefertim in eo, quod ad hiftoriam illius naturalem pertineat, et huic innixam veram artem huius medicamenti dignofcendi. Commemorat igitur primum auctores, qui Rhabarbari defcriptiones exhibent; tum claffes, ad quas referri debeat; poft,

ordinem

ordinem naturalem; deinde Synonyma: mox descriptione illius instituta, de differentia, de compositis, de selectu, de dosibus, qualitatibus, viribus, usu et cultura, differit. XI. *Quaestio Historico naturalis:* cui bono? auct. *Christoph. Gedner.* Cum plurimi sint, qui illud studium, quod in attenta naturae consideratione ponitur, magnifice contemnant, illique, ne temere et frustra hoc facere videantur, omnem utilitatem denegent, operae se pretium facturum esse credidit Auctor, si eorum impetum infringeret, ferociamque compesceret. Excurrit igitur in laudes huius studii, eoque gloriam Dei amplificari, multa medicamenta inveniri, oeconomiae incrementa valde augeri, et non pauca vitae commoda conciliari, ostendit. XII. *Nutrix noverca,* auct. *Frid. Lindberg.* Aegre fert Vir doctus, matres, quae vel minimum sibi supra vulgus sapere videantur, inglorium ducere, suos infantes suis uberibus alere, igitur, quae incommoda e prava hac consuetudine enascantur, differit. Nutricibus plerumque tribuendam esse causam, cur nobiles degenerent, acuti hebescant, temperamentumque corporis optimum plures amittant, immo non pauci prope prius vivere desinant, quam vitam ingressi sint. Conducibilius tamen esse infantibus, ut lacte nutricis, quam bubulo nutriantur. Hoc enim, ait, statim ac ex uberibus emulctum est, et frigescere incipit, crasin mutat: diverso sapore est: calore naturali, ei qui nutritur valde necessario, destituitur, ac si vel maxime admoto igne calefiat, tamen ab ipso vase, cui infunditur, adulteratur: denique sua natura plus acidi generat. XIII. *Hospita Insectorum Flora*, auct. *Ion. Gustav. Forsskahl.* Historiam primum Auctor contexit huius studii, quod in Insectorum natura indaganda ponitur, praecipuosque Scriptores recenset. Aldrovandum compilatorem indefessum appellat, et Ionstonum in scriniis aliorum compilandis impigrum, atque experimentorum expertem. Deinde recenset atque commemorat plantas, quae cuique familiae ex vasta Insectorum gente attributae sint, quasi domicilia et sedes. Indicem vero, et quasi regulam, secutus

 est

eſt *Floram* et *Faunam Suecicam.* Fatetur etiam, multa eſſe vegetabilia, in quibus nullos deprehenderit incolas, etſi illa Inſectis vacua eſſe pronunciare vix audeat. Uſum vero ex hac contemplatione naturae hunc percipi dicit: facilem reddi entomologis rationem inveſtigandi quamcunque Inſectorum ſpeciem, cum ſciant, ubinam locorum inveſtiganda ſit: poſſe Medicos ab Inſectis vires plantarum cognoſcere et diiudicare: Inſecta, quae aſſervare velimus, facile tali modo apto et accommodato alimento nutriri poſſe, etc. XIV. *Miracula Inſectorum,* auct. *Gabr. Eman. Avelin.* Huc refertur a Noſtro, quod naturae vel vegetationis leges ob inſecta quaſi mutantur, et plantae inſectorum cauſa aliam formam et ſtructuram induunt, quam quae iis a natura deſtinata eſt: v.c. quercus gallas globoſas et rubras ab inferiori latere foliorum promit, in gratiam cuiusdam cynipedis; populus nigra ex ipſis petiolis foliorum monſtroſas baccas rubras, magnitudine ceraſorum, hinc gibbas, inde rima hiantes, a fructu legitimo maxime alienas, producit, ut hoſpitium praebeat Aphidi populneae. Tranſit Noſter ad miraculoſam oeconomiam Inſectorum, ut apum, formicarum, veſparum, etc. aliaque adfert, quae ſolers naturae indagator facile animadvertet. XV. *Noxa Inſectorum,* auct. *Michael. Baeckner.* Initium diſſertationis capit Auctor ab homine, multifariam adſultibus inſectorum adflicto. Tum ad illa inſecta pergit, quae rebus domeſticis, victui hominum, amictui, ſupellectili, aedibus, aliisque utenſilibus, ſint noxia. Poſt enarrantur illa, quae hortis, arboribus, ſylvis, agris, plantis, ſylveſtribus arboribus, iumentis, pecori, avibus, noceant. Denique recenſentur inſecta, quae ipſa inter ſe mutua et pernicioſa bella movent: ita libellulae varia inſecta, per aerem volitantia, captant et exedunt; carabi et cicindelae in terra obvia inſecta crudeliter dilaniant. XVI. *Vernatio arborum,* auct. *Haraldo Barck.* Exhibet Auctor tabulam, qua adnotatum tempus frondeſcentiae arborum, addito die, quo hordeum ſeverint et reſecaverint, per tres annos, nempe

1750.

1750. 1751. et 1752. in variis Sueciae provinciis. XVII. *Incrementa Botanices*, auct. *Iac. Biuur.* Ad quatuor Epochas Vir Cl. fata Botanices redigit, nempe: I. Epocha Patrum Botanices ea continet, quae a temporibus Aristotelis usque ad reformationem sacrorum memoratu digna censentur: II. Epocha fundatorum ea, quae a reformationis tempore usque ad aetatem Casp. Bauhini circa A. 1620. acciderunt, tradit: III. Epocha systematicorum, inde a Bauhino usque ad Ill. Linnaei aetatem perducitur: IV. Epocha reformatorum ab anno XXXV. huius seculi incipit, quo Linnaeus prima reformationis fundamenta iecit. Ultimo loco aliqua adduntur de iis, qui plantis et herbis aeneis tabulis insculpendis nomen sibi et famam comparaverunt. XVIII. *Demonstrationes Plantarum*, auct. *Io. Christ. Hojer.* Collegit Noster omnes herbas, in horto Upsaliensi reperiundas, ad methodum Linnaei in classes XXIII. descripsit, et adiectis brevibus observationibus illustravit. XIX. *Herbationes Upsalienses*, auct. *Andrea Fornander.* Solent Botanices Professores auditores suos certa in loca deducere, in quibus herbas crescentes contemplentur et examinent. Atque cum varii scriptores exigua haec itinera peculiaribus libris exhibuerint, ut Iohnson in Mercurio Botanico: Auctor herbationes Upsalienses, octo excursionibus absolutas, proponit, ostendens, quae plantae quacunque excursione botanica, in campis Upsaliam circumiacentibus, reperiantur. XX. *Instructio Musei rerum naturalium*, auct. *David Hultman.* Exhibet Noster breves aliquot regulas, easque tironibus non inutiles, quas in colligendis et reponendis rebus naturalibus sequaris. Monet de aedificiis, de liquoribus, quibus corpora integra asservantur, de lagenis, de modo quo aves, herbae, vermes, fossilia, alia, sint habenda. Qui paullulum in hoc studio progressi sunt, non ignorabunt, quae in tironum gratiam ab Auctore monentur. Talia igitur repetere, atque huc transferre, putidum foret.

IACOBI

IACOBI CHRISTIANI SCHAEFERI, ECCLES. Evang. Ratisb. Ministri, etc. Isagoge in Botanicam expeditiorem, iconibus aeri incisis et pictis illustrata.

Ratisbonae, litt. fratr. Zunkel, 1759. plag. 7. fig. aen. 4. in 8vo mai.

Quo consilio hic libellus a Celeb. Auctore scriptus sit, facile ex ipso titulo potest intelligi. Nempe, breviter monentur atque explicantur, quae in Botanica expeditiore uberius et copiosius tradet. Paucis igitur exposuit, quae herbarum cognitionem pleniorem accuratioremque praecedere debent. Ipse Vir Cel. fatetur, lectorem in hac Isagoge, tironibus destinata, non multum novi, sed ubique fere eadem esse reperturum, quae alii, atque in his inprimis Viri Cl. Linnaeus et Ludwigius, docuerint. Immo ne ipsa quidem eorum verba se mutasse dicit, quoties bona et accurata illa sibi viderentur. Atque cum tironum potissimum usibus Noster hanc operam dicaverit, male se acturum esse iudicavit, si vel novas denominationes et descriptiones sine necessitate excogitaret; vel singulis in paginis Botanicorum libros commemoraret. Praeterea, nullas se delineationes et repraesentationes plantarum vidisse dicit, quae vel Tournefortianam, vel Rivinianam, vel Linnaeanam rem herbariam tractandi methodum ita exhibuissent, et sensibus quasi ita obviam rem fecissent, ut tiro, Botanicam sine magistro proprio marte discens, nihil praeterea requireret. Hunc igitur defectum, *quatuor*, iisque plane novis iconum tabulis, supplevit, quae vivis coloribus pulcherrime pictae, multum venustatis et gratiae spirant. Ipsum vero opusculum *quinque* capitibus absolvitur: I. de Botanica in genere: II. de partibus plantarum: III. de Systematibus in genere: IV. de Systemate Tournefortiano, Riviniano, et Linnaeano: V. de Botanicae expeditioris ratione, commodis, et usu. Quae Vir

Vir Cl. de ratione partium constitutivarum, classibus, et generibus florum monuit, notiora sunt, quam ut a nobis huc transferri debeant. Quare aliqua ex capite ultimo de Botanicae expeditioris ratione delibabimus. Constat nempe haec ex tabulis duplicibus, quarum prioribus sexualium, posterioribus universalium nomen imposuit. Illae, systema Linnaeanum, a staminibus et pistillis, sexum in floribus constituentibus, desumtum, fundamenti loco habent. Hae omnes partes floris et fructus, ad methodum Rivino-Tournefortianam, complectuntur. Hisce saepius etiam folia, locum nativum, et alias eiusmodi discretivas notas, adiunxit. In tabulis sexualibus Vir Cl. Linnaei vestigia secutus est, ideoque et classes atque ordines, et genera nominaque, retinuit. Reperiuntur tamen in illis nonnulla etiam a Tournefortio aliisque peculiariter expressa et separata, quae Linnaeus sub uno genere exhibuit. Alaternus, Frangula, Paliurus, Ziziphus, tanquam diversa genera, in classe pentandria inveniuntur, quae tamen omnia Linnaeus Rhamnae generi adscribit. In singulis his tabulis reperiuntur sex loculi, umbellatis et papilionaceis exceptis. Primus habet nomen generis: secundus calicem: tertius corollam: quartus stigma, et, ubi necessarium visum, post stigma modo ovarium, modo stylum, modo antheras: quintus pericarpium: sextus semen. In unoquoque loculo plantae eo ordine dispositae sunt, seque invicem sequuntur, quo ratione numeri petalorum, incisurarum, et partium, discretae sunt. In loculo calicum illae plantae semper primum locum habent, quae calice carent: deinde sequuntur quae calicem monophyllum habent, eaeque secundum incisuras, eo ordine, quo calix vel integer, vel bifidus, trifidus etc. est. Has excipiunt quae calicem diphyllum, triphyllum, polyphyllum habent. Ordinem claudunt quae calice duplici, triplici, etc. instructae sunt, iisque passim et spatha, spadix, et involucrum adnotantur. In corollarum loculo idem ordo invenitur qui calicum, sed ita, ut simul et corolla ipsa describatur, et nectarium, si adsit, in-

dicetur. Stigma secundum incisuras et numerum positum est. In quinto, sive Pericarpii, loculo, respicitur ad numerum loculamentorum et valvularum, ideoque uniloculares, biloculares, triloculares, etc. univalves, bivalves, trivalves, etc. sequuntur. Sexto loculo semina itidem numero proponuntur. Hisce in tabulis Auctor summam brevitatem adhibuit, ideoque saepenumero nihil praeter numeri discrimen addidit. Ut vero statim quaesitum genus in universalibus tabulis inveniretur, post ultimum seminum loculum numerum quoque indicavit, sub quo hoc ipsum genus in tabulis universalibus occurrat. Nam hae tabulae universales multo copiosiores illis sunt, et in duodecim loculos abeunt. Primo continetur nomen genericum: secundo calix: tertio corolla: quarto filamenta: quinto antherae: sexto ovarium: septimo stylus: octavo stigma: nono pericarpium: decimo semen: undecimo sexus: et duodecimo varia. Ordinem in his eundem, quem in sexualium loculis, observavit, pro numero petalorum, seu foliorum, incisurarum, et partium. Harum igitur tabularum ope, facile, promte, et tuto, tirones plantae verum generis nomen tribuere posse iudicat. Exoticas plantas, quoniam non ipse inspicere et examinare potuit, eas tantum exhibuit, quarum descriptiones alii, praecipue Linnaeus, Hallerus, Ludwigius, exhibuerunt. Indigenas vero ipse sub examen vocavit, earumque tot genera inspexit, quot licuit. Usum harum tabularum Vir Cl. valde extollit. Hac ratione, ait, facillime et accuratissime rationem sufficientem intelligi posse, cur, et in quibus, unum genus cum altero conveniat, vel ab eo discrepet, et quaenam ex hac tam facili collatione partes discretivae exclusive propriae sint. His tabulis, tanquam Lydio lapide, uti licere, atque explorare, utrum planta recte sit descripta ab auctoribus, an aliquid sit in descriptione emendandum? Hac compendiaria methodo etiam inter ambulandum quamlibet plantam examinari posse, omni tempore, atque etiam in ipso loco ubi nascitur. Forsitan etiam has tabulas academicis praelectionibus,

nibus, exemplaris inſtar, inſervire poſſe, et ſecundum illas ordine plantas in hortis botanicis collocari. Ceterum Auctor, haec ſi opera viris doctis probetur, de quo nos quidem nulli dubitamus, Ichthyologiam expeditiorem, et Iſagogen in eam, ſe editurum eſſe pollicetur.

PHILOSOPHIAE CIVILIS, SIVE POLITICAE, PARS QVARTA, tradens prudentiam publicam, vel artem feliciter regnandi in ſtatu civitatis pacato: cum indice quatuor Tomorum: tanquam continuationem Syſtematis Philoſophici Chriſtiani L. B. de Wolff, Frideric. Univerſit. Cancellar. Auctore MICHAELE CHRISTOPH. HANOVIO, Gymnaſ. Acad. Gedanenſ. Prof. Philoſ. eiusdemque Biblioth.

Halae Magdeburgicae, in officina Rengeriana, 1759. Alph. 3. plag. 14. in 4to.

Quemadmodum prudentia feliciter regnandi in duas partes dividitur, quarum altera prudentiam regnandi per ſe, altera per alios, ſive vicarios, continet: ita etiam hic Tomus in duas partes diſpeſcitur. Praemiſit vero diſſertationem A. ſive, ut ipſe Vir Cl. inſcripſit, praemunitionem de prudentia publica pacata, in qua Irenarchiae indoles definitur, atque eae virtutes commemorantur, quae ad bene feliciterque regnandum requiruntur. Sectio *prima* in capita *tria* abit, quorum *primo* agitur de Autarchia, ſeu virtutibus Autarcharum in genere. Huc referri docet egregias et animi et corporis dotes: haſce, ſi modo non illae deſint, non valde deſiderari: praecipue regnaturo a tenera usque aetate culturam ingenii, bonamque inſtitutionem adhibendam eſſe: hanc culturam compendiariam eſſe, et ad ſummas virtutes ducere debere: excolendas eſſe potiſſimum facultates cognoſcendi una cum phantaſia, memoria, attentione, acumine, iudicio, intelli-

gentia civili, atque ingenio. Porro regnaturo excolendam esse soliditatem, sive habitum optime ratiocinandi et ratiocinia concatenandi: primum ei tradendas esse faciliores scientias mathematicas, et deinde philosophicas: superiorum vero, ut aiunt, facultatum scientiam in eo non requiri, etsi artium liberalium studium illum et delectare atque recreare, et ad maiora parare possit. Tum regnaturum summa arte inveniendi politica excellere, atque sapientia civili summa, moralium virtutum praestantia, pietate, recto de Deo sensu et sincero cultu, summis virtutibus erga se atque alios, amore civium, probitate, fide, iustitia, taciturnitate, comitate, munificentia, misericordia, magnanimitate, indulgentia, gravitate, etc. longe reliquis omnibus praestare debere: paucis, Autarcham talem se populo suo et hominibus quibuscunque praebere debere, qualem sibi esse Deum velit. In capite *secundo* exponit Auctor de prudéntia per se curandi domania et aeraria. Curandum esse, ut reditus publici stati abunde sufficiant ordinariis reipublicae sumtibus: optimos modos sumtuum, cum ordinariorum, tum extraordinariorum adquirendorum, esse adhibendos; optimos vero esse, qui singulorum felicitati ex aequo consulant, caveantque, ne propterea alii aliis fiant deterioris conditionis: explorandos sumtus reditusque privatos et publicos, et inde iudicandum, quanta vel quota pars redituum privatorum ad reditus publicos sit destinanda. Deinde ostenditur, quomodo reditus privati sint explorandi: quota circiter pars redituum privatorum ad publicos requiratur: quibus e rebus capiantur reditus publici: quae domaniorum ratio esse debeat: quomodo conserventur, quando recte alienentur, quando reditus eorum augendi, quando rationes incrementorum edendae, quid de reditibus eorum observandum? Tum pergit Noster ad extraordinarios sumtus, docetque quando, quibusque opus sit modis extraordinariis, et quomodo ii quam minime onerosi sint reddendi? domesticum aes alienum praestare peregrino: cavendum esse nimium aeris alieni: a debiliori

civitate

civitate potentiori non temere magnam habendam crediti aeris fidem: quid ex reditibus operarum sit dandum, et quorum operae ad commune bonum conferendae? tributum in capita, sive capitationem, aequitati naturali conformandam: pecuniam publicam futuris usibus reservandam: thesauro publico ingeri et inesse debere, tum quae ex ordinariis reditibus parsimonia compareт, tum quae pecuniae valorem diminuerent, si in civium manibus versarentur, aliisque publicis sumtibus impendi possint; cavendum tamen, ne eo augendo, privati opibus exhausti ad egestatem redigantur. Ultimo loco commemorantur iura et peculia Fisci: illum gaudere iure occupandi res nullius: illi deberi derelicta et caduca, bonorum confiscationem, etc. In capite *tertio* explicatur doctrina de prudentia per se exercendi iura maiestatis, seu Irenarchiae, demonstraturque, quomodo haec iura sint quam optime exercenda; quis sit eorum abusus, et quomodo illi resistendum? usum iurium optimum requirere, ut discat et cognoscat Autarcha, quis sit optimus iuris cuiusque usus, et quot modis fieri possit, ut in usu eius ab eodem aberretur, atque inter meliores optimus ubique constanter teneatur: quid sit principi de satellitibus observandum, de militibus, de reliquis apparitoribus. Quia porro summum imperium continet ius summum actiones civium ad publicam salutem dirigendi, Noster ad iura maiestatis, pacis se tempore exserentia, refert ius circa sacra, potestatem leges ferendi et abrogandi, erigendi summa tribunalia, eligendi aut confirmandi summos magistratus, conferendi et auferendi summas dignitates, feuda, privilegia, et immunitates, ius circa monetam, ius condendi academias, urbes, emporia, restituendi famam, et natales honestandi, ius concedendi moratoria, protectoria, veniam aetatis, ius denique supremum fodinarum, postarum, nundinarum solenniorum, stapulae, similiumque. Atque haec deinceps uberius explicantur, et quid in unoquoque horum principi sit faciendum disseritur: v. c. in iure principis circa sacra definiendo docetur, si sibi tantum

erret atheus vel deista, et quisquis horum similis, in religionis contemtu, neque disseminet suos errores, tolerari illum quidem posse, dum neminem corrumpat, et resipiscentia sperari possit; sed, quatenus error eius magistratui innotuerit, ad iusiurandum nulla in causa eundem admittendum esse: ferendos tamen non esse apertos religionis contemtores, illamque consulto vel verbis perstringentes, vel contumeliosis factis negligentes, sed deportatione et exilio saltem intra rempublicam ita coercendos, ne ibi nocere aliis et civitati possint: neque ferendum temerarium et pertinacem neglectum cultus divini, et sine urgente necessitate diem festum profanantem laborem etc. Sectio huius Tomi *secunda*, de prudentia pacifice regnandi per alios, absolvitur capitibus *quatuor*. In *primo* tradit Vir Cl. prudentem Irenarchae selectum vicariorum seu ministrorum. Cum vero in civitate opus sit regiminis vicariis, non solum mortuis earum rectoribus, verum etiam iisdem vivis: ostenditur, quando opus sit vicariis, quando illi simul sint tutores, quomodo mortuis vicarii dentur, ante novam electionem, quando absentiae itinerariae causa opus sit vicariis, num in aristocratia vel democratia interregno locus, quomodo vicarii Autarcharum differant, quid sit circa proreges observandum? Cum ex animis populi evelli nequeat pronitas ad seditionem, quoties res regiminis haud prospere cadunt, non inconsultum esse, uti ministrorum principe, in quem culpa devolvatur, et cuius remotione a ministerio seditio sedetur, aut praeveniatur illi. Vicarios eos esse regimine dignos, qui tanta, quanta reperiri maxima potest, similitudine cum Autarchae praestantia gaudeant. Tum exponitur de virtutibus; animi ingeniique, quibus ornatus esse debeat vicarius, de notis, e quibus illae cognoscantur; de electione, illiusque caussis, cum externis, tum internis; de criteriis, e quibus iudicari possit et debeat, quisnam e compluribus candidatis dignissimus sit vicariatu, et quisnam optime partibus suis suoque officio sit satisfacturus. Caput *secundum* habet doctrinam de consiliariis et aulicis

aulicis prudenter adhibendis. Fundamentum totius huius capitis posuit Auctor hoc: uti debere rectorem civitatis sapienti arbitrio electis vicariis adiutoribusque, qui explorent occurrentis negotii singula momenta, quae attentionem mereantur, qui ea fideliter et summatim suggerant, et sicubi opus sit in rebus eventu dubiis, et quae pluribus modis fieri possint, rationum in contrarias partes occurrentium ponderatione, qui illas investigent, in medium afferant, examinent earum momenta, et quid sibi videatur salubrius factu exponant; denique uti debere ministris aulicis, qui ipsi serviant eminentiori modo, ubi in parergis et generalibus indiget eorum adiumento. Quae hic breviter et strictim diximus, ea per totum caput uberius explicantur et illustrantur. Agitur enim de referendariis, eorumque officio, de magistris libellorum et scriniorum, de archivis, de dotibus animi ingeniique, quibus consiliarius excellere debeat, de experientia, inprimis celeritate et maturitate consiliorum, de praesagitione et arte divinandi, quam in consiliario requirit, de numero consiliariorum et variis muneribus partibusque, de loco et tempore, quo sint consilia habenda, de modo consultandi apertiori et tectiori, de libertate veram animi sententiam dicendi, deque iure privatae admonitionis consiliariis concedendo, de exsecutione consiliorum. Quod ad aulicos attinet, enarrantur varia eorum munera, insignia, partes, tituli, etc. Cap. *tertio* traduntur praecepta de magistratibus prudenter adhibendis. In eligendis magistratibus attendendum esse, an satis luculenter instituta praescripta vel nota sint, quae sequi debeant, an ea intelligant satis, an teneant modum ea recte applicandi, an denique constanti et perpetua gaudeant voluntate praescriptis satisfaciendi: leges civiles esse debere breves, perspicuas, paucas, generales, ac inter se concordes: amplitudine legum suppleri posse et solere, quod multitudini earum deesse videatur. Tum exponitur, qualem se magistratus praebere debeat erga cives, qualem erga principem; quorum virtutes illis sint imitatione exprimendae;

mendae: quid eisdem ſit fugiendum, quid pertineat ad conſuetudines civiles: quomodo recte animus et ingenium candidati exploretur: quinam modus optimus ferendarum legum: quaenam interpretatio magiſtratui concedenda. Tum virtutes magiſtratus enarrantur: abhorreat a partium ſtudio, ab ambitione, vano metu, donis et cupiditate habendi; ſit contra abſtinens, memor fidei, et iurisiurandi, omnem praevaricationem fugiat, etc. Multum enim diſputat de his et aliis Vir Cl. Pergit deinde ad cauſas, et, quomodo in iis diiudicandis magiſtratus verſari debeant, docet, variaque addit de iurisdictione, de commiſſariorum officio, de diverſis iurisdictionis ſpeciebus et gradibus, de contumacia et impedimento legitimo, de legibus ſenatoriis, de proceſſu iudiciario, de advocatis et inſtigatoribus, de concurſu creditorum. Ultimo loco demonſtratur, concedendam eſſe querelam adverſus inferiorem magiſtratum, et in gravioribus cauſis appellationem; hanc tamen non niſi ſemel, aut ad ſummam bis, abuſum vero variis modis tolli poſſe. In Cap. *quarto* agitur de prudentia utendi legatis. Primo dividuntur legati in ſuperiores vel inferiores, aut quaſi, in ſolennes vel clandeſtinos, in ſacros vel ſaeculares, in ordinarios vel extraordinarios. Ubi eiusdem gradus legati ordinarii et extraordinarii concurrant, ibi extraordinariorum primas eſſe partes: extraordinariorum inter ſe, et ordinariorum eiusdem dignitatis inter ſe; quando diverſarum ſint civitatum, eum ordinem eſſe, qui ſit rectorum civitatis inter ſe convenientium: legatos mitti non poſſe, niſi ab his, quorum ſummum ſit in civitate imperium, nec ad ſuos ſubditos, ſed ad aliam liberam civitatem, nec a ſubditis ad rectores civitatis, vel ad comitia: ſi imperium fiduciarium, ſeu infeudatum et fideicommiſſum, maneat abſolutum, plenum, ac ſummum, nullum dubium eſſe, quin et a rectoribus eiusdem legati mitti poſſint: quamdiu etiam invaſor vel uſurpator imperii rerum potitur, ut ſubditi ad homagium illi praeſtandum adacti fuerint, aut ſponte ipſi fidem dederint, tamdiu eundem legatos mittere poſſe.

Mani-

Manifeste rebellibus iniuriam non fieri, si ipsis ius legandi denegetur: legatos ad subditos tantum vel ordines solos, sine consensu superiorum, non esse mittendos: si legati non recipiantur, iniuriam fieri mittenti, nisi admissioni obstent officia erga se ipsum potiora: ne quid in legationibus contra decorum civitatum committatur, manifestae legationi adhibendos esse viros aetate et dignitate sua negotio pares, non superiores, nec inferiores: si quis legatum suum pro se ipso haberi velit, id pro arbitrio alteri obtrudi non posse, qui ipsi absoluto summoque imperio aequalis, nisi pacto vel expresso, vel tacito, alter consentiat. Legatos considerandos esse tanquam hospites civitatum, earumque rectorum ad se invicem; ideoque, quanta civitatem deceat, hospitalitate dignos censendos, modo potiora erga se officia ne obsint: illis multo maiorem, quam aliis peregrinis, praestandam securitatem: salvum iisdem esse debere in personas sibi subiectas resque suas imperium privatum et dominium, neque in usu huius iuris eos a quoquam impediendos, multo minus laedendos, sed prudenter dispiciendum, quae et quanta legatis iurisdictio in suam familiam, velut segregem, vel pacto permittatur. Si vel maxime legati iurisdictione praediti sint, et ex pacto in suos comites ea uti possint, non tamen ideo eosdem ea gaudere in alios sui principis subditos sociosve, vel ipsis ultro se submittentes, nisi et hoc sit pacto concessum: legatos, ex pacto asyli iure gaudentes, minime eo abuti debere ad maleficorum poenam eludendam, sed tales potius vel non recipere, vel iudici tradere. Si princeps per legatum, eiusque comites, in alia civitate factiones excitaret, rebellionesque moveret, aut si legatus eiusmodi aliquid auderet, idem quidem de eo statui posse, quod de exploratoribus, proditoribus, aut percussoribus: sed cum talia clam et astute agantur, ita ut nesciamus, utrum mittentis mandato arcano haec facta sint, nec ne, nihilque probabilius sit, quam negatum iri, ea mandato principis acta esse; ob securitatem legatorum, communis boni causa amplissimam fa-

ciendam, mitiorem ſententiam in caſu dubio praeferendam, et vel legati avocationem et ſatisfactionem expetendam, vel, ſi periculum in mora, iubendum ut praeſtituto tempore urbe et regno exeat, atque tum Principi ſuo puniendum tradi debere. Si legato ſimpliciter fides ſit habita pecuniae creditae, quam abiturus ſolvere vel nolit, vel nequeat, non tamen inconſulto vel ipſum propterea detinendum, vel eius res retinendas: ſicut ipſis liberum tranſitum, ita et litteris nuntiisque eorum eundem eſſe concedendum, dum communi bono operentur, nec ſe admodum ſuſpectos reddant. Denique varia de immunitatibus, ſalariis legatorum, aliisque huc pertinentibus rebus, monentur.

VUES PHILOSOPHIQUES, OU PROTESTATIONS et Declarations ſur les principaux Objets des Connoiſſances humaines, par M. de PREMONTVAL.

Berolini, *TOMUS I.* pag. 361. *TOMUS II.* pag. 416. 1757. in 8vo.

Si vel maxime Auctoris fama, nominisque celebritas, inter omnes rerum philoſophicarum ſtudioſos non adeo nota eſſet et pervagata, ipſa huius libri inſcriptio multos allicere poſſet lectores. Etenim cum haec plerumque librorum fors eſſe ſoleat, ut plures lectores inveniant, qui ſententias inter viros doctos receptas, et ut certas atque indubitatas propoſitas impugnent, quam qui eaſdem defendere, aut novis ſtabilire rationibus conentur: quanto magis hic multorum excitabit deſiderium, legendique cupiditatem, in quo praecipua cognitionis humanae fundamenta concuſſa, atque adeo prorſus everſa venditantur, eorumque loco nova iacta, longe antiquis ſolidiora. Qua in opinione, ſi quidquam, praefatio certe, lectorem confirmare poteſt, et ſumma ſpe implere, ſe longe doctiorem atque acutiorem ex huius libri lectione diſceſſurum eſſe.

In

In ea enim Cl. Auctor hoc agit inprimis, ut lectori hunc librum, ob praestantiam suam atque utilitatem, commendet. Qua tamen in re, nobis quidem nonnunquam parum modeste de se aliisque sentire visus est. Rarum esse, dicit, hominum genus, quod cogitet: se vero esse eum, qui videat et docere possit

— — *quanta sub nocte iaceret*
Nostra dies. — —

Cum igitur omnibus hominibus ius competat, de rebus ad humanam cognitionem pertinentibus sententiam proferre, tanto magis hoc sibi liberum esse, quo pluribus prae multis aliis hanc in rem necessariis ornatus sit virtutibus. Eum iam multum profecisse in philosophia, qui, quantae sint in ea tenebrae, videat; se vero non tenebras solum ostendisse, cum dubia sua obiectionesque protulerit, sed etiam lucem intulisse, atque cognitionis humanae obiecta longe distinctius, quam quidem hactenus factum sit, perspexisse. Igitur quasi historiam intellectus sui texere Cl. Auctori est constitutum, h. e. exponere, quid, et quomodo de rebus nostra cognitione dignis iudicarit. De quo instituto ne forte tenuiter lectores sentiant, amplissimum campum, in quem excurrant, ipsis patere, Auctor eos monet. Quod vero alii diligenter cavere solent, ne quid contradictionis aut repugnantiae in scriptis suis reperiatur, hoc a Cl. Auctore factum non est. At ne fieri quidem potuit. Etenim cum is, qui cogitat, diligenter in res inquirere soleat, ex omnibus partibus eas considerare, omnes iudicii sui rationes non solum sigillatim examinare, sed et conferre inter se, et, quae ex singulis novae deduci possint conclusiones, videre: Auctor, qui hunc proprium et peculiarem esse characterem librorum suorum dicit, ut accurate de rebus omnibus cogitet, hoc inprimis sibi curae esse lectoribus cupit persuadere, ut rem, quam considerare velit, ex omnibus partibus, cum argumentis tam affirmantibus, quam negantibus, ob oculos ponat. Quod cum fecisset, fieri non potuisse, quin admodum diversas in hoc

opere personas ageret, ita ut modo Scepticus, modo Dogmaticus, modo religionis adversarius, modo superstitioni deditus, et quid non? esse videretur. Caute tamen, iudicandi libertatem lectoribus ademit, quod in ultimis demum huius operis partibus ingenue se olim expositurum promittit, quid de quibusdam rebus sentiat. Sed veremur, ut hoc artificio omnium reprehensiones effugiat, cum haud minima dissertationum in his voluminibus contentarum pars eo loco proposita est, in quo veram exposuisse sententiam nec ab una tantum parte res ostendisse, videri voluit. Praeterea subinde ad alios a se editos libros provocat, idem affirmantes, defendentes, negantes; neque controversias ipsi motas intactas reliquit, in quibus, quin pro sua decertet sententia, quomodo nobis persuadebit? Multis deinde, ut solet, verborum ambagibus, se defendit Cl. Auctor ab obiectionibus eorum, qui dicant, non nova esse quae dixerit, multos iam dudum idem sensisse et protulisse. Et primo quidem, eidem iniqui videntur esse censores, qui inventionis gloriam iis negent, quorum acumen et intelligendi subtilitas, cum non tam lectionis assiduitate occupetur, quam proprio cogitandi et veritatis investigandae studio, multa ipsi vident et intelligunt ab aliis iam inventa et dicta. Deinde non superfluum videtur Auctori, suo modo et dicendi ratione quaedam denuo proferre, quamquam ex aliorum scriptis nota sint; quod nondum, ut existimat, in philosophorum placitis, eos, quos debuissent, effectus produxerunt. ex quo patere dicit, non satis accurate, nec nostris temporibus convenienter, aut ea, qua debuisset, ratione, has res explicatas esse. Quos defectus omnes his libris explere, atque emendare se posse, confidit. Atque hoc quidem omnium maxime concedendum putat iis, qui opiniones vulgares, praeiudicia regnantia, errores inveteratos impugnant, ut repetant, quae saepe iam, vel ab ipsis, vel ab aliis dicta sunt. Quo in loco inprimis invehitur non in philosophos tantum, sed et theologos, qui dogmatum sacrorum adversarios

saepe

ſaepe accuſare ſolent, quod obiectiones toties iam refutatas iterum iterumque repetere non erubeſcant. Sed ſatis de praefatione.

Si ex fine, quem Cl. Auctor ſibi propoſuiſſe dixerat, diſſertationes priorum libri ſui voluminum diiudicamus, multa his inſperſa videntur non ſatis bene ad hunc finem collimare. Promiſit Cl. Auctor in praefatione, ſe opiniones, praeiudicia, errores impugnaturum, deſtructurum, everſurum eſſe, novas eorum loco ſtabiliturum veritates, hominumque intellectum tenebris depulſis clara luce illuſtraturum. Quid igitur opus erat, tam multa de ſe rebusque ſuis interſerere, ſuique defenſione, quae copioſam laudum ſuarum commemorationem admixtam habet, partem haud exiguam operis huius implere? At hae ſunt ſine dubio iſtae tenebrae, quas ex hominum intellectu diſpellere cupit; haec iſta lux, quam accendere optat, ut cognoſcant, Cl. *Premontvallum* eſſe ſubtiliſſimum Philoſophum, Metaphyſicum tantum, quantum nec praeterita, nec praeſens aetas vidit uſquam; hi denique ſunt iſti errores, quos impugnat, qui nolint idem omnino concedere, atque adeo audeant, repetere hoc et defendere contra hunc humanae cognitionis emendatorem. Sed alii iudicent: nos quidem ſummam diſſertationum indicabimus. Harum nonnunquam quaedam eſt inter ſe connexio; plerumque ſuam quaeque quaeſtionem, a praecedente diverſam, tractat. Poſteritati ſuum opus Cl. Auctor dedicavit. Cuius rei paullo inuſitatioris rationem reddit in diſputatiuncula quadam, quae dedicationem excipit. Vehementer iratus eſt ſui Seculi hominibus, ſed tantum amore veritatis permotus. Hanc enim negligit et contemnit aetas noſtra frivola et ſuperba. Temerarium igitur eſſet, ſi quis benignam de ea iudicium quaereret aut expectaret. Cum magnus omnis generis opinionum praeconceptarum numerus impugnandus ſit, cum ſectae dominantes Theologorum et Philoſophorum aggrediendae ſint, fieri non poteſt, ut horum calumnias atque obtrectationes effugias, ut hi te audiant. At haec,

et multo deteriora, animus fortis et constans Cl. Auctoris non curat. Exiget opus,

— — quod nec Iovis ira, nec ignes,
Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetustas.

Erit aliquando numerus hominum sapientum, sed proh dolor! admodum parvus (pag. 10.), qui hoc opus servabit et custodiet. Aetas haec futura laudes his libris dabit, quas nostra, ingrata illa et contemtrix sapientiae, denegavit. Haec igitur posteritas docilis et morigera digna erat, cui hoc opus inscriberetur. Has querelas, de perversa saeculi nostri in admittenda veritate pertinacia, excipit gratiarum actio ad Societatem Scientiarum Berolinensem, quam habuerat cum in eam receptus esset Cl. Auctor. Quae sequuntur Dissertationes tres, connexae quodammodo sunt inter se, et unam fere constituunt. Atque in prima quidem Cel. Auctor se demonstraturum promiserat, vanum esse gloriae studium, cum nemo, utut meritorum dignitate clarus, gloriam durantem et longe divagatam possit expectare, et ne ingenii quidem atque sapientiae monumenta soleant esse aeterna. Mox tamen desperat de felici huius laboris effectu (pag. 35.). Aeque difficile ei videtur, de gloriae vanitate homines convincere, ac mundum stultis, quorum omnia plena sint, liberare. Mirati sumus hunc timorem. Oblitus sine dubio erat Cl. Auctor illius, cum diceret, se nolle nostrorum temporum hominibus, perversis, et praeconceptis opinionibus imbutis, scribere, sed parvo sapientum hominum numero, post aliquot saecula victuris, et hunc librum, ut reliquos Cl. Auctoris studiose lecturis. Nae illi aegre ferant cum legerint, minus benigne de se sensisse et iudicasse eum, qui modo alia omnia de ipsis praedicarat. Sed ipse videat, quomodo horum animos leniat. In illo quidem loco, mutato quodammodo consilio, hoc tantum probare instituit, se isto morbo, gloriae nempe studio, non laborare. Quodsi hoc egregie probatum videant lectores, et simul in mentem veniat alius locus (pag. 7.), quo, gloriam se quidem sectari negarat Cl. Auctor, sed simul

ſimul ingenue faſſus erat, ſibi non diſplicere illud *dicier hic eſt:* non ſatis accurate haec inter ſe convenire exiſtimabunt. Sed facilis eſt huius difficultatis ſolutio. Pertinet hic locus, ut multa alia, ad frequentes iſtas contradictiones, de quibus in praefatione dictum eſt. Altera huius diſſertationis pars duas Sectiones habet: quarum prior probat, antiquorum ſcriptorum, Homeri, Virgilii, Ciceronis, Livii, aliorumque, merita, utut magna atque indubitata, parum contribuiſſe, ut eorum memoria ad noſtra tempora perveniret, ſed cauſas longe diverſas hoc effeciſſe. Rerum enim publicarum, cum graecae, tum romanae, mira quaedam eſt cum literis graecis et romanis coniunctio. Quodſi mutatis illis, earumque forma, mutationem linguae aliquam et ipſae ſubiiſſent: omnia haec divina ſcripta Homeri, Virgilii, Ciceronis, non minus periiſſent, quam libri Chaldaeorum, Perſarum, Aegyptiorum, perierunt, qui fortaſſe Graecis et Romanis doctrina atque eruditione inferiores non fuerunt; et, quod inprimis attendendum eſt, utriusque linguae, in religione Chriſtiana uſus, effecit, ne earum notitia vel in ſumma barbarie interiret. *Poſterior Sectio* oſtendit, quid impediat, quo minus ſcriptores recentiores, ſi vel maxime antiquis neque ingenio, neque doctrina cedant, tantam gloriam nominisque immortalitatem conſequantur. Qua de re Cl. Auctor, pro ingenii ſui foecunditate, multa egregie diſputat. Pleraque fere eo redeunt: Noſtra aetate tantam eſſe antiquorum ſcriptorum admirationem, ut fama et gloria recentiorum, ſi vel antiquis aequiparanda aut praeferenda ſit, diu durare non poſſit, quin mox e hominum memoria per iſtos antiquiores detrudatur. Praeterea linguarum vivarum, quod inter omnes conſtet, perpetuam eſſe mutationem, ita ut fortaſſe poſt ducentos annos, ſcriptores optimi Gallici, Anglici, Italici, Germani, ne intelligantur quidem, aut una tantum alteraque harum linguarum viva ſit, reliquis, una cum libris in ea ſcriptis, quamvis praeſtantiſſimis et utiliſſimis, oblivioni traditis. Quae quidem non

inepte,

inepte, sed tamen probabiliter tantum dicta sunt. Igitur, argumentum rationibus probabilibus suffultum, tantam non habet certitudinem, quantam quidem Cl. Auctor ei tribuit. Deinde, cum linguae latinae usus tam diu sit futurus, quam diu suus literis honos et decus manebit, ingenia elegantissima nostrorum temporum, antiquis aequiparanda, quorum copiam extare non contemnendam Cl. Auctor existimat, si latine scribant, et in hac lingua antiquorum scriptorum elegantiam exprimant, aequalem cum antiquis gloriam et immortalitatem consequentur. Sed quid? si verum est, post tempus non ita longum tantam fore linguae Gallicae mutationem (pag. 99. 104.), ut vix intelligantur quae nostra aetate scripta sunt, quid, quaesumus, fiet cum hoc ipso opere Cl. Auctoris? quid cum *Dedicatione ad Posteritatem*. Haec enim illam non magis, quam totum librum, leget atque intelliget: et tamen haec erat illa Posteritas, quae tantam ex his libris utilitatem erat perceptura. Quod tantum incommodum effugere potuisset Cl. Auctor, si ei placuisset, latine hos libros conscribere. Omittimus alia loca, quae forsan non paucis parum probantur: e. g. pag. 93. frequentes istas ad antiquos scriptores, ad Mythologiam, ad antiquam historiam, allusiones, impedire intellectus humani emendationem. Pag. 104. reprehendit linguarum studium. Pag. 106. ridet eos, qui in antiquis et recentioribus scriptoribus nimis solliciti sunt de omnibus minutiis explicandis. Sed progrediendum est ad sequentem disputationem, in qua quaestio haec proposita est: *quinam omnium Romanorum sit famosissimus*, hoc est, cuius nomen omnibus notum sit, et in omnium ore fere quotidie versetur? Post multas verborum ambages, quae lectorem huius nominis cognoscendi cupidum reddunt, respondetur, hunc Romanum esse *Pontium Pilatum*. Fortasse haec quaestio, aeque atque eius solutio, multis ingeniosa magis, ne dicamus ludicra, quam utilis videatur. Sed Cl. Auctor eam, modo prorsus egregio, ad Christianam religionem, et quae ex ea provenerunt commoda, transtulisse

liſſe ſibi viſus eſt. Scilicet religioni Chriſtianae, cuius auctor eſt Ieſus Chriſtus, qui ſub Pontio Pilato paſſus eſt, acceptum referre debemus, quidquid ex Hiſtoria veteri, cum Graeca, tum Romana, ſupereſt. Etenim inter doctores religionis Chriſtianae notitia linguae graecae et latinae ſervata eſt, quae inter tantas rerum publicarum mutationes et everſiones prorſus fuerat peritura. Cum vero uſus linguae graecae et latinae inter doctores eccleſiae Chriſtianae eſſet perpetuus, Chriſtianiſmus certe effecit, ut ſcriptores graeci et romani, atque ita omnium rerum notitia, quarum eventus varios memoriae prodiderunt, ad noſtra tempora perveniret. Porro, quam arcte tot rerum mutationes, earumque cauſae, cum Chriſtiana religione coniunctae ſunt? nonne in hac ſaepiſſime ratio unice quaerenda eſt, cur evenerint, cur hoc nec alio modo evenerint? Et quid? an non Chriſtiana religio pleroſque noſtros conatus, conſilia, vivendi rationem, dirigit et gubernat? Quae quidem omnia vere et recte a Cl. Auctore diſputantur: ſed non videmus, quaenam ſit his rebus cum *Pontio Pilato* coniunctio. Etenim Chriſtiana religio ſine dubio fuiſſet propagata, tantosque tamque ſalutares effectus produxiſſet, ſi vel memoriae proditum non eſſet, Ieſum Chriſtum, huius religionis auctorem, ſub *Pontio Pilato* mortem eſſe perpeſſum. Et quis non videt, iſtum *Pontium Pilatum* omnibus Chriſtianis notum eſſe, et in omnium ore fere quotidie verſari, non propterea, quod Ieſum Chriſtum morti tradidit, ſed quod eius nomen in ſymbolo apoſtolico legitur. Nulla eſt niſi admodum remota earum rerum omnium, quae de religione Chriſtiana dictae ſunt, cum quaeſtione, eiusque ſolutione, coniunctio. Quae pag. 104. ſeqq. legitur Diſſertatio, hanc quaeſtionem tractat: Numne liceat contra veritates graviſſimas, et contra argumenta, quibus hae veritates probari ſolent, eiusmodi difficultates movere, de quibus verendum ſit ut ſolvantur. Cl. Auctor reſpondet ad hanc quaeſtionem ita, ut eam affirmet,

doceatque, si cui de veritatibus, cuiuscunque demum sint generis, et de modo quo hactenus probatae sint, dubia oriantur, eum non solum posse, sed etiam debere ista dubia proferre. Semper enim verendum esse, ne ista dubia plus noceant si occultentur, quam si communicentur cum aliis, qui de eorum solutione solliciti sint. Nobis quidem, qui brevitatis studiosi esse debemus, non licet distinctius mentem Cl. Auctoris explicare; igitur hoc tantum observamus, ex quo Lectores de scopo huius Dissertationis, et de reliquis, quae ibi dicta sunt, iudicent: Pag. 179. negatur, religionis et doctrinae moralis ullam esse certitudinem, si ea, qua hactenus factum sit, ratione tradantur. Sed utramque non minorem admittere certitudinem, quam veritates mathematicas, si separentur ab iis minus necessaria. Quid mirum, his, et sexcentis aliis, cl. Auctorem multorum in se excitasse indignationem, statim postquam in lucem prodierat haec Dissertatio, (praelecta enim est coram Societate Scientiarum Berol. 1752.) inprimis ῥήσει quadam, in hac quidem parte operis omissa, sed parti II. inserta, de qua suo loco. Huius igitur defensionem agit, inde a pag. 237. suosque adversarios accusat, quod odio et pravis affectibus indulgentes, innocue, quin optimo consilio dicta, calumnientur, hominique religioni amico, atque adeo defensori, cui vero indignum videatur aliorum inservire opinionibus, libertate sentiendi interdicant, eumque tanquam adversarium religionis omnisque certitudinis traducant. In sequenti Capite, contra alios adversarios Cl. Auctor pugnat, quem mirati erant repente tantum Metaphysicum extitisse, sive potius videri velle, qui ante paucos annos nemini notus fuisset, aut cognitus. Hanc igitur opinionem praeconceptam ita ex eorum mentibus evellere studet, ut probet, se inde a primis pueritiae annis Metaphysicae, sive, quod vocat, *philosophiae speculativae*, atque *arti dubitandi* operam dedisse. Quam in rem affert summam epistolarum quarundam, ante complures annos scriptarum

,ptarum, quae vitae inde ab adolescentia laudabiliter actae, studiorumque suorum rationes, exponunt. Sed cum nobis non liceat esse prolixioribus, non possumus has laudes Cl. Auctoris recensere. Progredimur igitur ad Partem II. operis. In qua primo loco tractatur famosissima illa quaestio de *Optimismo*, a Societate Berolinensi MDCCLIII. proposita. Cuius historia atque explicatio primo paucis praemittitur, deinde ridetur, et salse, uti quidem Cl. Auctori videtur, perstringitur eorum sententia, qui hunc mundum optimum esse dicunt, in fabula quadam, qua homines querelas in conventu deorum exponunt, et Minerva has hominum querelas iniustas esse pronnnciat, hac addita ratione, quod omnia bona sint. His inserta est defensio Cl. Auctoris ab obtrectationibus variis adversariorum suorum. In qua inprimis observari meretur ille locus pag. 27. quo se vehementer iactat, et gloriatur de eo, quod gloriae vanitas tam egregie a se demonstrata sit, ut qui se melius eam demonstraverit repertus sit adhuc nemo. Postea redit ad quaestionem de *Optimismo;* in qua duas propositiones misere confundi, et, tanquam coniunctas inter se crasso errore existimari, indignatur. Prima propositio est haec: *Deus ex omnibus possibilibus optimum eligit.* Altera haec: *Mundus inter omnes possibiles est optimus.* Hanc falsissimam esse dicit, summamque, quae cogitari possit, delirationem philosophicam, pro sua humanitate, pronunciat (pag. 35.). Illam verissimam habet atque evidentissimam, quae ab omnibus, qui quidem Deum esse dicant, concedenda sit: immo se de illa propositione ne tum quidem dubitasse, cum, an Deus sit, dubitarit (pag. 40.). Ab utraque parte, cum illorum, qui hunc mundum optimum esse dicunt, tum horum, qui hoc negant, vehementer errari in notionibus de summa Dei bonitate, sapientia, potentia. Igitur tantum abest, ut cum *Cl. Reinhardo* sentiat, cuius libellus contra optimismum palmam acceperat a Societate Berolinensi A. 1755. ut

 potius

potius in Epiſtola ad eum data (pag. 67.) ſcribat, ſe in eo tantum eius libellum approbaſſe, quod a ſententia Leibnitiana diſcedat. Ceterum ſe eius Syſtema aeque ac Leibnitianum, quod Fataliſmi accuſat, improbare. Hanc epiſtolam excipit prolixa refutatio diſſertationis Reinhardianae (pag. 75-136.) et tandem haec controverſia finitur contumeliis, quibus *Humaniſſimus Auctor Gottſchedium V. Cl.* onerat; bene, ſcilicet, memor eius, quod in praefatiuncula, huic Parti praemiſſa, dixerat, ſententias atque opiniones aliorum ſe tantum impugnare, nullius meritis ſe quidquam detrahere, etc. Quae pag. 147. ſeq. legitur diſputatio, *de lingua Chinenſium* agit, et de mira eius, quae vulgo putatur, amplitudine. Conſtat nempe inter omnes, Chinenſes centum millibus ſignis in ſcriptura uti, quorum ſingula ſingulis verbis, ſive potius ideis ſignificandis, deſtinata ſunt. Quoniam igitur in noſtris linguis viginti quatuor ſignorum uſum eſſe peregregium videmus, vulgo colligitur, Chinenſium linguam, propter tantam characterum multitudinem, longe eſſe ditiorem noſtris. Contrariam ſententiam Cl. Auctor ſibi probandam ſumſit. Chinenſes hos characteres non pronunciant. Utuntur iis ad ideas, non ad verba exprimenda, ut numerorum ſigna peculiaria eſſe ſolent. Alia eſt eorum lingua, qua in ſermone utuntur, cui exprimendae peculiares characteres non habent. Illa igitur Chinenſium lingua, qua in ſcriptura tantum utuntur, eſt non niſi coniunctio quorundam characterum, ſed quae ex minori numero characterum fundamentalium compoſita non eſt. Quoniam igitur verba Europaearum linguarum, aeque atque apud Chinenſes, in coniunctione aliqua quorundam characterum conſiſtunt, quae vero ex minori numero characterum fundamentalium compoſita eſt, nempe viginti quatuor, pro numero literarum noſtrarum: verba linguarum Europaearum cum ſuis flexionibus numerum centum millium idearum longe ſuperant. In Diſſertatione quae pag. 160. ſeqq. legitur, Axio-

ma

ma illud Metaphyficorum quorundam impugnatur: Confcientiam conftituere ipfam hominis perfonam, ita ut non idem homo fit, qui confcientia ftatus fui vel praefentis, vel praeteriti, privetur. Non omnino negatur hoc Axioma a Cl. Auctore, fed multis exemplis oftenditur, non fatis accurate loqui, qui eius fenfum non diftincte explicent. Diftinguendum effe inter τὸ effe phyficum, et τὸ effe morale. Concedit, dici poffe, hominem, qui fui confcientia privetur, e. g. mente captum, non effe eandem perfonam, non idem individuum, fed *morale*, τὸ effe eius phyficum non defiiffe aut mutatum effe. Quod nifi concedatur, fequeretur, ut homo furens per totum illud tempus, quo mentis fuae compos non eft, a fuis non pro fratre aut amico habendus effet, cuius curam ut fufciperent nullo modo tenerentur. Aut ut v. g. Nebucadnezar poena non adeo gravi fit affectus, cum mente effet deturbatus; nam ab illo tempore, non fuiffe Nebucadnezarem idem individuum, etc. Quam abiecte Cl. Auctor de religione eiusque myfteriis fentiat, cum ex multis locis, in his differtationibus philofophicis paffim obviis, clarum eft, tum inprimis ex ea, quam infcripfit: *Paradoxon de exiftentia reali unius corporis in diverfis locis* (pag. 212). Nemini dubium effe poteft, qui vel obiter hanc differtationem legerit, quin tota confcripta fit, ut dogma illud religionis noftrae, de praefentia corporis Chrifti in S. coena, deridendum praeberetur, atque abfurdi argueretur. Quanquam enim philofophice tantum de hac quaeftione fe acturum effe Auctor promittit, tamen non folum hoc, fed in univerfum omnia myfteria religionis noftrae negat, eosque, qui haec credunt et defendunt, ridet. Etenim explicatio, quam philofophicam vocat, eft pura puta fophiftica, vocum ambiguitate nixa, Metaphyfico tanto, quantus haberi Auctor vult, vere indigna. Corpus unum idemque, uno eodemque tempore, diverfis locis effe poffe, per fallaciam phyficam, five potius opticam, eadem ratione, qua e. g. aliquod corpus

lucidum celeriter motum, in illo ſpatio, per quod motitatur, etiam in minoribus ſpatiis eodem tempore eſſe, atque omnia ſpatiola eiusdem ſpatii maioris uno eodemque tempore implere, videatur. Tam inepta eſt haec explicatio, tam manifeſta cavillatio, ut nullo modo nos illius poeniteat cum diximus, Auctorem totam hanc diſſertationem ad dogma Theologicum, de praeſentia corporis Chriſti in S. Coena, irridendum, conſcripſiſſe. Alterum ut probemus, quod ex religione myſteria tollat, et miracula in Scriptura S. narrata rideat, ex multis locis unum alterumque modo apponamus. Pag. 216. *Probabo*, inquit, *aliqua ſaltem ratione praeſentiam realem corporis cuiusdam diverſis locis mente concipi poſſe. Hoc forſan non niſi mutatis legibus mundi phyſicis fieri poterit. Ita eſt. Poteſt conſiderari ut magnum aliquod miraculum, miraculum haud paullo inferius eo, quod ſolis curſum impedivit, aut mortuis vitam reddidit.* Pag. 234. Myſteria religionis negantur, et *Socinus* laudatur et defenditur. Quid de Scriptura S. eiusque auctoritate ſentiat, haud obſcure ex his verbis colligi poteſt: *Temerarium eſt affirmare aliquid de Deo, ex narratione aliorum, aut ex fide aliorum, quicunque tandem illi fuerint.* Progrediamur ad ζήτησιν illam de qua ad P. I. dictum eſt, quod haec, ut tota illa quaeſtio P. I. pag. 164. tractata, aliarum controverſiarum cauſa fuit. Cel. Auctor introducit in illo loco philoſophum, cui Theotimi nomen facit, diſputantem, de argumentis pro exiſtentia Dei. Ipſe quin ſub hoc nomine latere voluerit, dubium non eſt; nam in ſequentibus huius Voluminis Diſſertationibus easdem ſententias ornandas et defendendas ſibi ſumſit. Ille igitur Theotimus dicitur eſſe vir bonus, de eo, quod Deus ſit, tam certo perſuaſus, ut hanc primam eſſe omnium veritatum putet. Sed idem ille Theotimus omnia argumenta, hactenus quidem pro exiſtentia Dei allata, non ſatis accurata aut ſufficientia dicit. Igitur longe alia principia fundamenti loco ponit (pag. 254.). Cognitionem, ſive potius ſuppoſitionem primi entis, optimi, ſapien-

ſapientiſſimi, potentiſſimi, unicum eſſe fundamentum cognitionis ſyſtematicae, eiusdemque certae; ex quo conſequi hoc dicit, ut aeque abſurdum ſit, ſi quis exiſtentiam huius entis demonſtret, atque ille riſui ſe exponat, qui tenuem incendat candelam, ut ſolem videat; omnes iſtos conatus non ſolum fructu carere, ſed etiam periculi eſſe plenos; omnia igitur argumenta, pro exiſtentia Dei ex mundo eiusque partibus deſumta, eos tantum convincere, qui iam de eo, quod Deus ſit, certiſſime ſint perſuaſi. Quin haec argumenta omnia eſſe ſophiſmata; cum oſtendi poſſit, ſi modo ſermo ſit de opere aliquo finito, quale mundus noſter eſt, intellectum perfectiſſimum nihil poſſe producere ſapientia ſua conſiliisque prudentiſſimis dignum, quod non caſus fortuitus idem producere poſſit. Atque idem illud eſt, quod Theotimus ille demonſtrandum ſuſcipit: non repugnare, caſum fortuitum Scholae Epicureae, ſi concedatur Atheo, tale opus, atque adeo magis perfectum, producere poſſe. Quinque iſtae epiſtolae, quae *de dogmatibus Epicureorum* inſcriptae ſunt pag. 269. ſeqq. de eadem re agunt. Occaſionem illis dedit praelectio cuiusdam ex Societate Berolinenſi, qui ex oculo, et mira arte quae in eius conſtructione conſpiciatur, exiſtentiam Dei probarat, atque rei gravitate commotus dixerat: eum mente deturbatum et ſtupidum eſſe, qui hoc organum, tanta arte compoſitum, caſu fortuito oriri aut effici poſſe dicat (pag. 270. ſeqq.). Cl. Auctor hoc ſibi dictum putavit. Et recte quidem: nam id ipſum in praelectione quadam, quae P. I. p. 164. legitur, atque inprimis in eius parte cuius ſummam modo indicavimus, ſub perſona Theotimi defenderat. In prima igitur epiſtola evincere ſtudet, ſi probandum ſit, quod detur Ens ſummum, ex Metaphyſica argumenta eſſe arceſſenda. *Unicum enim opus,* inquit pag. 282. *infinita ſapientia dignum, eſt ſpatium immenſum poſſibilium, conſtanti ratione inde ab aeterno conſtitutum, atque quoad res minutiſſimas ordinatum. Hic eſt mundus mei Dei,*

Dei, hic est mundus, hic est Deus dementis et stupidae meae Metaphysicae. Mathematicus eo pertingere non potest. In altera Epistola Cl. Auctor ingenue fatetur, se casum fortuitum defendere; et cum admonitus esset, ut dimitteret eiusmodi opiniones, quas quidem omnes, qui Christianam religionem profiterentur, abhorrerent; in tertia Epistola ulterius tuetur et defendit suum systema, inprimis ab obiectione, si casus fortuitus mundum producere posset, posset etiam combinatione attributorum divinorum Deum producere; qua ratione Epicureo, sine Metaphysica probari possit, quod detur Deus. Quam quidem consecutionem Cl. Auctor in quarta Epistola propterea negat, quod casus fortuitus ens cogitans atque intelligens producere nequeat, quoniam talis combinatio attributorum necessariorum repugnet: quaestionem vero controversam ita ponit: Si neglecta cognitione metaphysica, casui fortuito materiae compositio concedatur, mundus oriturus est nostri similis; ex quo sequitur, ut omnia argumenta, pro existentia Dei ex perfectionibus huius mundi, sine metaphysicis argumentis, pura puta sint sophismata. Quae quidem in ultima epistola Cl. Auctor partim repetit, partim probitatem et ingenuitatem consiliorum suorum, animique sui, commendat: se non iis, qui Deum esse credant, sed iis, qui negent, eius existentiam probare velle. Quodsi de quibusdam dogmatibus aliter sentire videatur, hoc fieri non propterea, quod re vera dissentiat, sed quod aliquid concedendum putet Atheo, ne omnino victor discedat, quod hactenus factum sit. Atque hoc quidem suum esse consilium, quod strenue sit prosecuturus, a quo ne unquam discedat religioni se sibi ducere. Eandem quaestionem tractant tria ultima Capita huius Voluminis. Duo priora ostendunt, quod argumenta pro existentia Dei, ex rerum naturalium consideratione parum accurate desumantur; quod nullo modo sufficiant, sed quod metaphysicis rationibus tantum probari possit et debeat, quod sit aliquid, quod omnia dirigat,

gat,

gat, et in omnibus dominetur; ultimum Caput argumentationem metaphyſicam continet, quae inſcripta eſt: *Catena idearum ab Ente usque ad Deum.* De quibus ut accuratius agatur, opus non eſt, cum ex dictis conſilium Auctoris nemini obſcurum eſſe poſſit. Haec vero aliis diiudicanda relinquimus: an tanta ſit animi probitas, et in Deum reverentia in eo, qui aliorum argumentationes derideat, quae, ſi vel non omni ex parte ſufficiant, tamen ad Dei cognitionem perducant, et non omni deſtituantur utilitate apud eos, qui Deum eſſe credunt; deinde, an non is a principibus religionis Chriſtianae dogmatibus vere diſſentiat, qui Theologiae evidentiam et certitudinem negat, eamque ſuperſtitionis atque ineptarum opinionum arguat; tandem, an is omnino conſilium ſuum recte exequatur, qui, cum rem ab omnibus partibus ſe conſiderare dicat, ut verum inveniat, eam ab una tantum parte lectoribus oſtendat, et tamen pro hac parte ſtatim decidat, et inſolenter ſe iactet, cum tamen tota argumentatio verbis ambiguis nitatur, et cavillationibus.

HISTOIRE DE L' ACADEMIE ROYALE etc.

h. e.

ACTA REGIAE SCIENTIARUM ET ARTIUM Academiae, ad A. 1749.

Berolini 1751. ap. Haude et Spener, Alph. 2. plagg. 20. tab. aen. 13. in 4.

Quae inde ab annis aliquot, neſcimus quo fato, intermiſſa fuit Actorum Berolinenſis Societatis in his Eruditorum Actis recenſio, ea a nobis repetetur deinceps, et continuabitur. Ipſae virorum doctorum diſſertationes in *quatuor* claſſes diſtributae ſunt, quarum prima Philoſo-

losophiam experimentalem, altera Mathesin, tertia Philosophiam speculativam, ultima humanitatis litteras complectitur. Nos, in indicandis argumentis, ipsis auctorum verbis utemur, ne interpretatione latina vel aberremus ab eorum mente, vel obscuriores simus. Ad *primam* classem referendae sunt dissertationes sequentes: I.) Recherches sur la fertilité de la Terre en général, par M. *Eller*: II.) Nouvelle maniére de rendre l' argent très fin par l' acide du sel commun; ou moyen, de faire la reduction de l' argent cornu sans perte: par M. *Marggraf*. III.) Experience, concernant la génération des Champignons, par M. *Gleditsch*. IV.) Maniére de construire une Echelle de Barométre, qui indique directement la véritable pression de l' air, et qui corrige les défauts causés par les altérations que la chaleur de l' air fait éprouver au Mercure: par M. *C. F. Ludolff*. V.) Observations sur l' Huile qu' on peut exprimer des Fourmis, avec quelques Essais sur l' acide des mêmes Insectes: par M. *Marggraf*. VI.) Rélation concernant un Essain prodigieux de Fourmis, qui ressembloit à une Aurore Borçale: par M. *Gleditsch*. VII.) Mémoire, concernant certaines pierres, qui par la stratification avec les charbons et la calcination, parviennent à un etat, et acquiérent une force, par laquelle étant exposées un peu de tems à la lumiére, elles brillent ensuite dans un lieu obscur: par M. *Marggraf*. VIII.) Mémoire, sur l' art de couver les oeufs ouverts: par M. *Beguelin*. IX.) Observation Anatomique sur un Noeud, ou Ganglion, du second rameau de la cinquiéme paire des nerfs du cerveau, nouvellement découvert; avec l' examen physiologique du veritable usage des Noeuds, ou Ganglions, des nerfs: par M. *Meckel*. X.) Essai d' une fécondation artificielle, fait sur l' espéce de Palmier, qu' on nomme *Palma dactylifera folio flabelliformi*: par M. *Gleditsch*. XI.) Systéme des Plantes, fondé sur la situation et la liaison des Etamines: par M. *Gleditsch*. Ad *Mathesin* pertinent sequen-

quentia: I.) de la Controverse entre MM. *Leibnitz* et *Bernoulli*, sur les Logarithmes des nombres négatifs et imaginaires: par M. *Euler*. II.) Mémoire, sur la véritable raison du défaut de la Régle de *Cardan* dans le cas irréductible des équations du III. degré, et de sa bonté dans les autres: par M. *Koenig*. III.) Rapport de quelques Observations celestes, faites à l' Observatoire Royal: par M. *Kies*. IV.) Sur le point de rebroussement de la seconde espéce de M. le Marquis *de l' Hopital:* par M. *Euler*. V.) Recherches sur les racines imaginaires des Equations: par M. *Euler*. VI.) Recherches sur la précession des Equinoxes, et sur la nutation de l' Axe de la Terre: par M. *Euler*. VII.) De la Parallaxe de la Lune, tant par rapport à sa hauteur, qu'a son Azimuth, dans l' hypothése de la Terre sphéroidique: par M. *Euler*. VIII.) De la situation la plus avantageuse des Planétes, pour découvrir les irrégularités de leurs mouvemens: par M. *Kies*. IX.) Sur l' Eclipse des Etoiles fixes par la Lune: par M. *Kies*. X.) Mémoire, dans lequel on examine, si l'on peut espérer la même précision dans la détermination des Longitudes, des Observations des occultations des Etoiles fixes par la Lune; ou des distances de cette Planéte aux Etoiles fixes, que des Eclipses des satellites de Iupiter: par M. *Cassini de Thury*. XI.) Description d'un Instrument, qui se trouve à l' Observatoire de Berlin. *Tertia* in classe exhibentur: I.) Dissertation sur les raisons d' établir ou d' abroger les Loix. II.) Examen de l' Usure suivant les principes du Droit Naturel: par M. *Formey*. III.) Mémoire sur l' apperception de sa propre existence: par M. *Mérian*. IV.) Mémoire sur l' apperception considérée rélativement aux idées, ou, sur l' existence des idées dans l' Ame: par M. *Mérian*. V.) Réfléxions sur l' origine du Plaisir, où l'on tâche de prouver l' idée de des Cartes: qu'il naît toujours du sentiment de la perfection de nous-mêmes: par M. *Kaestner*. *Ultima* denique classis haec habet: I.) Disser-

 tation

tation fur un paſſage des Commentaires de Iules Ceſar, *de Bello Gallico*, Liv. VI. ch. 21. par M. *Pelloutier*. II.) Diſſertation ſur l' origine du Peuple Pruſſien, par M. *de Franchville*. Iſtius poſtremae diſſertationis praecipua capita huc transferemus. Eſt vero tributa in tres Sectiones. *Prima*, quae hoc Volumine ſola exhibetur, tradit certas atque perpetuas notas, quarum ſubſidio, in ſcriptis veterum, detegi Pruſſorum gens poſſit, quibuscunque demum nominibus, hodie deperditis, inſignita fuerit antiquiſſimis temporibus. Palmaria in iis eſt ea, quae peti ſolet ex iis, quae *Plinius* maior, Hiſt. natur. L. 37. de Succino memoriae prodidit, quaeque omnium certiſſime declarat, qui populi, quae hodie Pruſſi incolunt, littora habitaverint. Sectione *ſecunda* ſucceſſiones populorum in Pruſſia explicabuntur, eorumque hiſtoria quaſi in tabula adumbrabitur. *Tertia* denique diſquiret A. undenam Pruſſia nomen acceperit; atque tum diverſae doctorum virorum, ſuper eo nomine, opinationes proponentur. His Auctor novam ſubiunget; magna contentione effecturus, ut origo Pruſſis tribuatur deinceps vero proprior, et quae nemini adhuc in mentem venit.

BESKRIVELSE OVER EYLANDET ST. CROIX.

i. e.

DESCRIPTIO INSULAE SANCTAE CRUCIS in America.

Haſniae 1758. apud viduam Liliam, plagg. 9. in 4.

Eo libentius huius libelli argumentum lectoribus noſtris indicamus, quo rarius libri ab iſtis regionibus ad nos perferuntur. Sunt vero etiam complura in

in illo non iniucunda lectu: multa quoque iis utilia, qui in communi hac Europae calamitate hanc insulam accedere, ibique sedem figere velint. Namque Auctor, qui culturam, proventus, aliaque, quae ad hanc insulam pertinent, describit, multa simul iis necessaria scitu monet. Primum igitur de situ et de facie huius insulae exponamus. Est vero insulae S. Crucis longitudo per millaria 9. Danica extensa, atque latitudo quibusdam in locis milliaria 3½. complectitur. Sita est ad gradum 17. minut. 36. latitudinis septentrionalis, et ad gradus 312. minut. 50. longitud. Quanquam igitur zonae torridae subiecta est, non eundem tamen calorem per totum annum experitur. Maximus solis ardor mensibus Iulio et Augusto ingruit, quibus etiam venti et tempestates surgunt. Neque tamen vel calor, vel frigus, ullo modo plantas laedunt: semper virides arborum comae, et nemorum iucundissimus adspectus est. Aeris perpetua fere est tranquillitas: coelum serenum: rarissima pluvia: nimia ariditas et siccitas perniciosa. Mane enim nebulae surgunt, quae, licet plantas recreant, noxiae tamen hominibus iudicantur. Non saepe tonitrua, sed eo fortiora et vehementiora, audiuntur. Pluribus in locis inopia est aquae, cuius ob defectum etiam Franci incolas S. Crucis ad insulam S. Dominici asportasse dicuntur. Reservatur magnis sumtibus advecta aqua in cisternis, licet etiam huius aliqua sit diversitas. Aqua e pluviis vehementioribus collecta, tanquam melior, usibus dominorum inservit: reliqua tribuitur servis, quibus multum solis ardor, et diuturna siccitas, molestiae adfert. Audit plerumque ob malignitatem aeris pessime haec insula: verum Auctor, etsi non diffitetur, plurimos, qui illuc devenerint, morbo aliquo corripi, tamen insalubrem et noxiam esse hanc regionem omnino negat. Plures, ait, qui hic moriuntur, sunt senes, quorum res in Europa turbatae et confusae

 sunt,

ſunt, et quos etiam paupertas atque miſeria usque in novum orbem comitantur. Maximum detrimentum adferunt potiones aduſtae, et inopia bonorum medicamentorum. Huc accedunt vigiliae, aliaeque vitae intemperantiae. Alias multi non minus belle hic vivunt, quam quovis alio in loco. Metropolis inſulae appellatur *Chriſtianſtadt*, in planitie ſita, et pulchrum oculis ſpectaculum exhibens. A. 1739. non niſi quatuor aedes, hoc nomine dignae, fuerunt: ſed iam nunc quatuor plateae aedibus ornatae adſpiciuntur, et illarum numerus in dies augetur, magisque etiam augeretur, ſi plures adeſſent, quorum opera uti poſſent incolae. Aedes ligno adopertae ſunt, et duas feneſtrarum ſeries non exſuperant. Feneſtrae non e vitro ſunt compoſitae, ſed hoc nomine foramina quaedam indicant incolae, quae mane aperiunt, veſpere claudunt. Maximum urbis ornamentum eſt arx praefecti regii, ab omni latere bene tormentis bellicis inſtructa. Terra a ſervis nigris colitur, quorum longam deſcriptionem Auctor proponit. Servi, qui plurimi veneunt, a navibus Danicis ab Africis oris in inſulam S. Thomae deportantur. Nudi oculis hominum exponuntur: plurimi ſatis alacritatis prae ſe ferunt vultu: quivis eos attente perluſtrat, illiusque pedi, quem emturus eſt, filum alligat: multi chirurgum ſecum adducunt, ut eo melius de ſanitate ſervi iudicent: omnes ſenſus examinant accurate, atque motus varios curioſe obſervant. Pretium hominis ſani et robuſti usque ad 400. thaleros aſcendit. Mares ſequuntur feminae, quarum aliquot infantem ubere alunt, aliae tribus et quatuor liberis cinctae ſunt. Tota familia venditur thaleris 800. ſaepius etiam pluribus. Agmen claudunt infantes, matre deſtituti. Quidam domini ſervorum pectori ferro candente aliquot notas inurunt, quibus eos bene diſtinguant. Labore exercentur perpetuo, eoque magno. Mane, ante ſolem ortum, ille qui

Bomba

Bomba nominatur, eorumque curam gerit, cornu quodam signum edit: hoc sonitu audito surgunt, campos petunt, ibique herbas ad pastum bestiarum colligunt. Inspector ille, ubique praesens, praegrandi baculo vel instigat eos, vel ignaviam coercet. Inde reduces radicibus et aqua se recreant a labore, quem per undecim horas sustinuerunt. Mox iterum ad laborem redeunt, per sex horas tolerandum. Cubant humi, in casis et tuguriis, quae vix atrocitati aeris resistunt. Paullulum illis die Solis recreationis conceditur, quo tamen etiam illis pro suis emolumentis laborandum est. Conceditur enim illis regio quaedam, in qua sibi radices et alia plantent, et colant, ne cibus desit. Quidam hunc laborem non sustinent, sibique persuadent, non omissurum esse dominum cibum sibi tradere, ne forte fame pereant. Licet eis uxores ducere, sed infantes matris sortem experiuntur. Infestissimi sunt Europaeis, et perpetuo libertatem suspirant. Patienter alioquin tolerant iniurias et dolores, quibus adficiuntur; sed data occasione lubentissime eas ulciscuntur. Saepe rixa elati socios obtruncant, atque uxores, si suspicionem aliquam laesae fidei moverint, occidunt. Numerus servorum est 6000. et ultra. Incolae insulae huius non unius sunt nationis. Batavorum atque Anglorum, si a Danis discesseris, maximus est numerus. Cuicunque aliquis sit religioni addictus, libere sacra facere potest, nullo impediente. Sunt igitur etiam Iudaei, imo et Herrenhutiani in hac insula. Diversitas haec religionum nullis dissensionibus occasionem praebet. Unicum nonnisi in tota insula est tribunal, dirimendis litibus constitutum. Frumentum Turcicum, et radices, alimenta praebent: neque pisces desunt: animalium magna est caritas: bos thaleris 60, vacca 40, equus 200. emitur. Aliquot in locis terra est bona, foecunda, nigra; aliis tamen mera argilla. Quod ad proven-

tum

tum e plantatione ſacchari attinet, non certo ille definiri poteſt. Si 30. vel 40. ſervos habeas, plantatio bene culta reddit 100, 120. et 150. dolia ſacchari, quibus ſingulis pretium ſtatuitur 36. thalerorum, ſi ſumtus erogandos in hoc negotium detrahas.

NOVA ACTA
ERUDITORUM,
publicata Lipsiae
Calendis Septembris Anno MDCCLX.
Pars II.

RECENSIONIS BIBLIORUM HEBRAICORUM Hubiganti V. C. Particula Altera.

Coepimus nuper *) dicere cum de virtutibus atque bonis egregii huius laboriosissimique Operis, tum etiam de maculis eiusdem atque vitiis: docuimusque, uti verba Hebraica divinorum scriptorum ab *Hubiganto* multis locis doctissime explicata essent, et in Latinum tam eleganter conversa, ut intelligi ab omnibus linguae Latinae peritis facillime possent; ita eundem multa loca tam male interpretatum esse, et indolem naturamque sermonis latini tantopere laesisse ac neglexisse, ut sententia Hebraicorum verborum prius, quam Latinorum, indagari investigarique posse videretur. Neque vero hoc unum est vitiorum Operis genus, immo plura etiam, neque illa minora, notanda restant.

In ea enim *Hubigantus* est secta, quae non modo tollit omnes Enallagas e lingua Hebraica, sed quae pugnat, nihil usquam omissum fuisse a scriptoribus divinis: quum tamen nulla reperiatur lingua, in qua non omittantur multa vel semper, vel certe nonnunquam. Cuius opinionis vanitate deceptus Vir doctus, multa inculcanda esse atque infercienda, etiam contra omnium librorum auctoritatem, dictitat, quae abesse et posse commode, et debere, nemo non intelligat. Gen. 2, 24. legi vult והיו שניהם לבשר אחר. nam sic legisse

*) v. Acta Erud. huius Anni, Mens. *Febr.* p. 48. sequ.

gisse ait interpretem Syrum, Alexandrinos, Vulgatum; etiam ab ipso Christo atque Paullo verba ita esse laudata recte: et Morinum iam ante te, *Hubigante*, iisdem rationibus scimus pugnasse [Exercitatt. in Samarit. Pentat. p. 286. s.], etsi tibi non placuit eum nominare. At primo trium interpretum illorum unam auctoritatem esse, quum unus alterum sequutus sit, quis ignorat? Deinde satis constat, loca librorum V. T. a Christo et ab Apostolis fere ita laudata esse, ut sensum expresserint, non verbum de verbo reddiderint: et Codices Versionis Alexandrinae multis locis emendatos, vel interpolatos potius, fuisse e Codicibus N. T., ita ut admodum incertum sit, an ipsi interpretes Alexandrini verba illa in suis libris invenerint. Accedit, quod Samaritani codices habent והיה משניהם לבשר אחד: quae varietas satis docere videtur, verba ista aliunde migrasse in textum. Atque eadem impediunt, ne c. 7, 3. pro מעוף השמים legendum censeamus מעוף השמים הטהור. Gravius autem peccat Hubigantus, quod c. 7, 8. pro וכל e solis Samaritanis Codicibus restitui vult ומכל, quum nihil soleat in omnibus linguis saepius fieri, quam ut Praepositiones ante positae omittantur, eaeque etiam in libris Mosis tam multis locis omissae sint, ut, qui corrigere ea omnia velit, is admodum ineptus imperitusque videri possit. Cap. 20, 14. ante τὸ צאן addi ex iisdem Codicibus debere contendit verba אלף כסף, quod v. 16. diserte commemoretur illud donum: quum etiam diligentissimi historici consuerint modo omittere aliquid, modo idem cum aliis nominare. Atque eadem de caussa non probari potest audacia, quod c. 24, 22. addenda arbitratur verba, auctoritate Samaritanorum Codicum, וישם על אפה. Sed longe minus necessarium est, c. 21, 9. post Participium מצחק, ex praeeuntibus Alexandrinis, inseri verba את בנה יצחק, non את בנו, ut est in Opere *Hubiganti*. בן enim ad Saram pertinet, non ad Abrahamum. At primo quam tenuis sit hoc in genere auctoritas Versionis tantopere corruptae et interpolatae, quis non intelligit? Deinde quid prohibet, quo minus ipsa

Sara

Sara credatur ab *Ismaele* irrisa fuisse? Neque vero videre licet, cur c. 22, 16. ex iisdem libris post את יחידך adiiciendum sit ממני, quum iam serie orationis contineatur, ita ut manifeste glossema redoleat. Quod ipsum tenendum putamus de nomine ימים, quod addi vult c. 25, 8. post Adiectivum שבע. nam venit illuc in libros Samaritanos haud dubie e c. 35, 29. et latet quodammodo in Adiectivo זקן. Sic c. 25, 8. est ויאסף אל עמיו: at Num. 20, 26. simpliciter יאסף legitur, eodem sensu. Ergo hoc quoque loco inserenda erunt verba אל עמיו, de tua, *Hubigante,* sententia? At tu nihil ea de re ad locum illum praecepisti. שבע vero, τῷ זקן iunctum, non poterit absolute significare *admodum senem?* Atque eiusmodi exempla potuissemus longe plura vel e sola Genesi laudare, nisi speraremus, lectores etiam ex paucis illis quae protulimus locis facile iudicium facturos esse, de omni hoc in genere *Hubiganti* ratione.

Sed fortasse sibi cavere potuisset *Hubigantus* ab effreni ista ineptaque corrigendi libidine, nisi tantum tribuisset Samaritanis Codicibus, ut fidem eorum testimoniumque praeferret auctoritati omnium aliorum librorum, atque naturae adeo ac legibus linguae. quod quidem tertium Operis praeclari vitium numeramus. Etenim tot glossematis scatere, tam misere loco non uno corruptos interpolatosque esse Codices illos, cognovimus, ut vehementer miremur, Virum doctum vestigia tam imperitorum, tam fallacium ducum, temere sequutum esse: quanquam ipse interdum fraudem odoratus videatur, sed ita ut lectores non monuerit. Quae quidem exemplis nonnullis docere conabimur. Gen. 7, 2. pro איש ואשתו e libris Samaritanis reponendum censet זכר ונקבה, Clericumque vituperat, quod hanc lectionem pro glossemate habuerit. At nos tamen non dubitamus Clerico assentiri. Nam primo in omnibus linguis vocabula hominum eleganter tribuuntur etiam bestiis, quod genus ἔθνος apud Homerum passim, et *gens* apud Latinos, [vid. Burmannus ad Phaedrum I, 11. 15.] et apud Hebraeos אם, משפחה, בן, et alia. Deinde non credibile est, librarios

nostrorum Codicum permutasse vocabula rariora minusque usitata cum notioribus minusque exquisitis: et facilius potuit ab Samaritanis librariis errari, quum et paullo post eodem Capite [v. 3.] et paullo superius [c. 6, 19.] legantur verba זכר ונקבה. Nam quod ait Hubigantus, verba איש et אשה nusquam alibi de bestiis legi, ex eo nihil effici potest contra vulgatam lectionem, quum de copiis linguae Hebraicae e tam paucis libris iudicari recte non liceat: immo videtur ea res etiam magis confirmare nostram sententiam. Paullo post c. 8, 11. pro עלה זית cum libris Samaritanis legi vult עלי זית. nam non dubitari posse ostendit, quin significetur surculus oleae virens, pluribus instructus foliis. At quis non videt, haec temere sumi? Et quidni Singularis עלה vi eadem gaudeat? C. 15, 3. pro יורש restituit ירש ex iisdem Codicibus. nam יורש ait esse Fut. Coniugationis quintae. at est Participium primae. Aeque inconsiderate c. 20, 12. lectionem Samaritanam אמנה praefert lectioni vulgatae אמנם. nam etsi אמנה tantum bis extat hodie in libris divinis: tamen nihil usitatius est nominibus desinentibus in ה, et nihil libentius solent facere Hebraei, quam ut istud genus nominum, intellecta particula ב, ponant Adverbiorum loco. At cur tu, *Hubigante*, quum susceperis propugnationem Codicum Samaritanorum, eos deseris nonnunquam, neque adiuvas copiis doctrinae tuae? C. 18, 29. אשחית legunt pro אעשה, ut Alexandrini: c. 19, 12. מלאכים pro אנשים: c. 24, 15. לדבר אל לבו pro לדבר simpliciter: eod. Cap. v. 36. בזקנתו pro זקנתה: c. 37, 4. בניו pro אחיו: quae et plura alia, nemo ita destitutus ab omni iudicio est, quin correctoribus male sedulis deberi concedat. Neque vero tu ipse, *Hubigante*, ea de re dubitasse videris, quum has caeterasque eius generis lectiones posueris quidem, id quod fidei leges requirebant, in marginibus, sed in notis non vindicaveris, quod tamen constantis patroni officium partesque postulabant: quibus tam parum video nonnunquam a te satisfactum esse, ut etiam reieceris non semel scripturas tuorum Codicum, [vid. Gen. 11, 8.

c. 13.

c. 13, 14. c. 27, 36. c. 30, 34. 40. etc.] Neque id iniuria, quum defensionis eorum diligentia te aliquoties eo redegerit, ut violares leges, ad quarum normam dirigi ab lectoribus oportere iudicium de veritate lectionis dixisses. Sic Gen. 2, 2. pro השביעי contendis legendum esse cum Samaritanis הששי. At Graeci interpretes, praeter Alexandrinos, habuerunt in suis libris השביעי, non minus quam Onkelosus, aliique Paraphrastae orientales, praeter Syrum. Deinde litterae utriusque vocabuli sunt nimis dissimiles inter se, ut τὸ הששי non facile a tot librariis potuerit mutari in השביעי. Denique nec in aliis linguis novum est, Praeteritum poni pro Plusquamperfecto, [vid. *Beza* ad Ioh. 4, 44. f.]. Sed aliis quoque locis constantiam *Hubiganti* desideramus. Gen. 5, 29. pro ינחמנו rescribi, praeeuntibus Alexandrinis, qui habent διαναπαύσει ἡμᾶς, oportere docet יניחנו, quod apertum sit, verbo illo respici originem nominis נח. recte: nam etsi incertum est, an Alexandrini ita legerint; quod tamen et Grotius credebat et Cappellus: tamen etiam leges linguae lectionem illam, יניחנו, requirere videntur, quum verbum נחם construatur ubique, quod quidem sciamus, cum particulis על et אל, sed verbum הניח cum Praepositione מ: quae constructio est apud Mosen illo loco. At speramus, *Hubigantum* nobis vicissim concessurum esse, Iacobum verbis [c. 49, 19.] גד גדוד יגודנו והוא יגוד עקב respexisse originem nominis גד a verbo גדד *latrocinia exercere*, ut גד idem valeat quod גדוד *turmam latronum*, omninoque *multitudinem*. Et tamen c. 30, 11. repudiatur ab eo lectio בא גד, et probatur altera, quam Samaritani Codices exhibent, בגד *feliciter*, et quam Seldenus maxime [in de diis Syris 1, 1.] tueri conatus est. Nobis vero, praeter rationem modo commemoratam, auctoritas Onkelosi, Paraphrastae Hierosolymitani, Symmachi, Aquilae, qui omnes in libris suis invenerunt בא גד, pluris facienda videbatur. Accedit, quod nomen גד etiam in marg. Cod. Coisliniani [apud Albertum Gloss. N. T. p. 22.] explicatum est, nescio a quo, per πειρατισμός; quo *latrocinium, depopulatio-*

lationem, ſignificari putabamus. In verbis Aquilae [Gen. 30, 11.], ut hoc obiter addamus, ἦλθεν ἡ εὐζωία, quae Montefalconius e Codice Coisliniano protulit, pro εὐζωία emendandum cenſemus εὐζωνία. nam altero quoque loco [c. 49, 21.] eſt in reliquiis hominis, εὔζωνος εὐζωνεῖ. Atque haec quidem hactenus.

Iam de reliquis labibus Operis *Hubiganti* videamus. Magnam enim negligentiam eius deprehendimus in colligenda varietate lectionis, ut ex omnibus Verſionibus antiquis, ita vel maxime e Graecis, ut induſtriae aliorum ac doctrinae non ſpicas quasdam, ſed integram propemodum meſſem, relinquere voluiſſe videatur. Gen. 3, 17. pro בעבורך interpretes Alexandrini, quod iam Druſius [Quaeſt. Hebr. 3, 5.] vidit, atque Symmachus, legerunt בעבדך. Symmachus enim habet, ἐν τῇ ἐργασίᾳ σȣ· Alexandrini autem, ἐν τοῖς ἔργοις σȣ. Etiam Theodotion aliter interpretatus eſt verbum illud. nam legit quidem בעברך, ſed non accepit pro Adverbio, ut Aquila et Onkeloſus, verum ortum putavit ab verbo עבר, eſſeque aut Infinitivum eius verbi, aut Subſtantivum; vertit enim, ἐν τῇ παραβάσει σȣ. Haec igitur a Critico Hebraeo, qui lectiones variantes colligere et diiudicare voluerit, non praetermittenda fuiſſe, quis non fatebitur? At *Hubigantus* ea ne attigit quidem. Gen. 4, 26. pro אז הוחל Alexandrini in ſua Verſione habent, ȣ̂τος ἤλπισεν. ex quo non difficile eſt iudicare, eos legiſſe, aut הוה הוחל, aut, quod magis placet, quia propius accedit ad vulgatam lectionem, הזה יחל. Gen. 12, 6. iidem interpretes non invenerant in Codicibus ſuis עד אלון מורה, quae verba nunc, et recte quidem, in libris noſtris habentur. eſt enim in Verſione eorum, ἐπὶ τὴν δρῦν τὴν ὑψηλήν. Montefalconius ſuſpicabatur, eos legiſſe אלון רם. Nobis vero cum Trommio videntur reperiſſe in ſuis libris על אלון מרום. nam primo ſcriptura haec non multum diſtat a vulgata: deinde Alexandrini etiam alibi τὸ מרום expreſſerunt Adiectivo ὑψηλός [vid. Ier. 49, 15. Ez. 20, 40.]. Gen. 14, 7. Alexandrini habent, κατέκοψαν πάντας τȣ̀ς ἄρχοντας.

ἄρχοντας. Quis igitur dubitet, quin legerint, את כל שרי, non את כל שדה, quae est lectio editorum librorum? Gen. 42, 2. editur vulgo ויתנכר אליהם. At in Paraphrasi Onkelosi est, וחשב מה מליל עמהן. Iam quum in illa ipsa Paraphrasi aliis locis verbum חשב respondeat verbo ככל: satis erit dixisse, Onkelosum legisse ויתנכל, non ויתנכר, praesertim quum sponte appareat, quam facilis sit permutatio litterarum ר et ל. Sed redeamus ad Alexandrinos. Gen. 21, 23. eorum Versio docet, abfuisse ab Codicibus, quibus usi sunt, particulam הנה. Contra vero c. 27, 6. habent, τὸν υἱὸν αὐτῆς τὸν ἐλάσσω, vel, quae est libri Complutensis lectio, τὸν νεώτερον, quum in libris nostris Hebraicis sit simpliciter בנה. Videntur Adiectivum illud addidisse propterea, quia paullo post eodem Capite [v. 15.] legitur בנה הקטן. Quam quidem rationem eos scimus locis infinitis aliis sequutos esse. Gen. 44 9. pro ומת in Versione Onkelosi extat יתקטיל, omissa particula ו, ita ut non videatur dubium esse, quin legerit יומת, quae est Samaritanorum Codicum lectio. Haec, aliaque huius generis innumera, quae praetermisit *Hubigantus*, et moneri debebant, et explicari uberius in notis Criticis. Quod tamen quum non unius hominis opus esse intelligatur, sed multorum; quum non exiguo paucorum annorum spatio absolvi possit, sed usum magnum industriamque multarum aetatum requirat: hortamur studiosos sacrarum litterarum etiam atque etiam, ut, si quando specimina eruditionis diligentiaeque edenda sint publice, malint potius argumenta libellorum ex hac parte doctrinae liberalis promere, quam de quaestionibus spinosis philosophiae cuiusdam nuper exortae exponere. has enim constat fere inutiles et vanas esse, atque labefactare magis fundamenta religionis Christianorum, quam confirmare, quum abstrahat ingenia a studiis verae doctrinae, tradique mox a cunctis sempiternae oblivioni; quum prioris generis scripta in universo terrarum orbe ab omnibus Christianis omni tempore legantur. nam interpretationis librorum divinorum, qua continetur omnis theolo-

gia

gia Christianorum, non minima pars est Critice. Sed revertamur ad *Hubigantum*.

Nam etsi magnam eius Hebraicarum litterarum scientiam valde admiramur, magnique facimus merito: tamen videmur cum in Genesi, tum in reliquis libris historicis, quaedam inscitiae vestigia deprehendisse. Gen. 4. 13. ait, in Cod. Samarit., etiam in Cod. Hebr. Reg. 29. et Orator. 42. rectius legi מנשא, quam vulgo מנשוא, propterea quod Infinitivus Coniugationis secundae *(Niphal)* respuat litteram ו. At ut taceamus, in exemplo Francofurtensi [a. 1691.] legi מנשא, quomodo hoc, per leges Grammaticae, Infinitivus Coniug. Niphal esse possit, non videmus. Deinde c. 31, 51. pro ירִיתִי e Cod. Samaritano vult restitui יראת, quod ait esse personam secundam a verbo ראה, sensumque nasci hunc, *tumulus iste quem vides*. At leges Grammaticae Germanorum, scimus, nunquam sinent, a ראה dici יראת. Fortasse tamen Francogalli aliis melioribusque legibus utuntur hoc in genere. Neque vero minus displicet ea *Hubiganti* ratio, quod omnes anomalias, ut ita dicamus, vult e lingua Hebraica tolli et quasi exterminari. Quum enim eae reperiantur in linguis cura doctissimorum Grammaticorum omni tempore excultis: cur non habeantur, et quidem longe maiori numero, in lingua ea, quam constet tot saeculis iacuisse abiectam et incomtam? Sed apparet vanitas rationis illius etiam ex eo, quod ipse *Hubigantus* coactus est nonnunquam eam deserere. Gen. 49, 11. pro אסרי censet rescribendum esse, auctoritate Cod. Samaritani אסורי, ut sit Pluralis status constructi, ut Grammatici vocant, positus pro Plurali status absoluti. Haec vero non est anomalia? Atque ex his, speramus, satis intelligent lectores, Opus *Hubiganti* esse, ut omnes libri humani, multis maculis labibusque conspersum.

Ostendimus autem earum praecipuas atque maximas, non ut laederemus doctrinam Viri, contemnendaque studia eius hoc in genere doceremus; quum in libris quidem humanis non ille sit optimus, in quo nulla reperiantur vitia,

verum

verum is, in quo paucissima atque minima: sed ut satisfaceremus lectoribus, quibus hoc debere videmur, ut bona librorum non minus, quam mala, fideliter demonstremus; et ut acueremus diligentiam studiosorum, ut, si viderent, etiam doctissimos maximosque Viros labi interdum in exercenda Critica, eo plus studii ponerent in ea, modesteque de facultate sua sentirent, lacunasque illas explere suis aliquando studiis conarentur.

Restat ut, quae omnino Prima Operis Parte contineantur, paucis doceamus. Prolegomena igitur excipiunt texta Pentateuchi Hebraica, stipata Versione latina, ita quidem ut capitibus singulis subiectae compareant notae criticae. Texta Hebraica sequitur Index quadruplex. Primus enumerat loca Pentateuchi, quae in notis vel diligenter, vel obiter, explicantur et illustrantur. Alter Index pertinet ad menda librariorum, et ad emendationes, ita ut hae sequantur, vitia praeeant: commemorat etiam loca Pentateuchi, ubi vel omittendum quid, vel addendum videatur. Tertius laudat verba Hebraica, quorum significatus novi vel demonstrantur e linguis orientis veteribus, vel e sententia orationis colliguntur. Agmen claudit Index qui paucis complectitur summam eorum, quae cum in Prolegomenis, tum in Notis criticis, occurrunt.

Reliquarum Partium recensionem coacti sumus in aliud differre tempus: quod lectoribus non ingratum fore nostris sperabamus, quum varietate librorum vitaretur lectionis fastidium.

TRAITE DES THERMOMETRES, PAR M. HENNERT.

Hagae Comitum 1758. apud Petrum Gosse iun. plag. 11. cum una tabula aenea, in 12.

Quam parum ex vero ii iudicent, qui a Philosophis recentioribus nihil dici perhibent, quod non fuerit dictum ab antiquioribus, cum hodierna totius Philoso-

phiae naturalis facies, tum inprimis doctrina de thermometris omnium luculentissime declarat. Non est, quod nostri aevi hominibus nimios illos antiquitatis admiratores in certamen provocaturis verendum sit, fore, ut aliquid ex veterum monumentis illi proferant, quod aliquam saltem cognationem cum subtili recentiorum calorem ac frigus aeris metiendi ratione cognationem habeat. Quare nostrorum saeculorum ac hominum gloriam asserere videntur, qui non solum praestantissimi huius inventi historiam scite describunt, sed etiam eiusmodi meditationes proferunt, quibus difficilem eius theoriam si non ipsi perpoliant, alios tamen ad eam perficiendam perpoliendamque excitent. Et huc potissimum spectat libellus Cl. Hennerti. In duas eum Cl. Auctor dispescuit partes. In quarum prima parte, ex quibus thermometra constent indicans, eas primum fluidorum exhibet proprietates, quae efficiunt, ut ex innumeris fluidis alterum alteri sit huic rei accommodatius, magisque inserviens: deinde in tubis vitreis cum globo vitreo connexis, quae alteram partem thermometrorum constituunt, Cl. Auctor multifaria observat artificia, expellendi omnem fere aerem ex ea tubi parte, quae ab aere vacua relinquitur: problema solvit determinans rationem, quae inter diametrum tubi atque globi communicantis obtinere debeat; docteque monet, quomodo scalae graduum caloris frigorisque construendae sint sensibiles, variorumque thermometrorum Mercurialium, vel ex spiritu vini aliisque fluidis compositorum, scalae inter se comparandae. Tandem vero ea profert, quae in ipsa thermometrorum constructione sunt observanda. Ubi recensitis Thermometri Drebbeliani vitiis, quibus laborabat, Florentinorum Academicorum thermometra, eorum species, parandi modos, merita ac defectus, copiose describit. Haec perficienda sibi sumserunt Boileus, Halleius, ac Newtonus, quaerentes terminum caloris et frigoris fixum. Magno Newtono et hac in re ita felici esse licuit, ut primus eundem determinaret, sibique thermometrum tale ex oleo lini pararet. Pauca, quae adhuc in Newtoniano thermometro desiderari poterant,

rant, emendare conatus eſt celeberrimus Galliae Philoſophus, Reaumur; indeque orta thermometra Reaumiriana, ubivis inter Philoſophos nota. Eadem diligentia thermometrorum Farenheitianorum, Deslilianorum, indoles copioſe ac docte deſcribitur, interſperſis ubivis, ex hiſtoria litteraria, non contemnendis, quas interdum ab ipſis harum rerum inventoribus ſe benigne accepiſſe teſtatur auctor Cl., annotationibus, quae libelli lectionem et utilem, et iucundam, reddunt. Notari inprimis merentur, quae de Cornelio Drebbelio, Viro ingenii novarum inventionum feraciſſimi, ex relatione illuſtris Muſchembroeckii narrantur. Secunda huius libelli pars continet novam caloris, quae, iudice Auctore, cum lumine plane convenit, theoriam. Prima eius ſtamina ſe ab amico accepiſſe, gratus profitetur, quae deinde evoluturus, et per experimenta confirmavit, et ex certis principiis deduxit. Totius theoriae haec eſt propoſitio palmaria: actionem ignis eſſe in ratione maſſarum directa, et diſtantiarum quadratica inverſa. Newtonus, Muſchenbroeckius, et alii, hanc propoſitionem ipſam in iis caſibus, in quibus tempora indagarunt quibus corpora incaleſcant ac refrigeſcant, veram eſſe cognoverunt. Latet eadem in iis experimentis, quae inveſtigaturi legem, iuxta quam corpora calorem ignemque inter ſe communicant, Kraftius, et inprimis Richmannus, inter fulmina ad ſecretioris Philoſophiae cognitionem a Deo Philoſophiae ſtatore translatus, inſtituerunt. Sed nemo eam generaliſſime conceptam examinavit, nedum demonſtravit, aut in declarandis naturae phaenomis ea uſus eſt. Ad eam itaque experimentis comprobandam machinam Cl. Auctor invenit, quam Pyrometrum fluidorum vocat. Et cum haec experimenta eam ſatis veram oſtendiſſent, totius propoſitionis vim ac indolem hyperbolae inter aſymptotos IIdi generis ope, more inter Geometras recepto, adumbravit.

Dignae profecto ſunt Cl. Hennerti meditationes naturalis Philoſophiae doctorum examine, qui ſi eas veritati conſonas ſint deprehenſuri, nulli dubitamus, fore, ut naturalem Philoſophiam mirifice perficiant, clariſſimoque Auctori multum laudis afferant.

LA SPIRITUALITE ET L' IMMORTALITE DE l'Ame, avec le sentiment de l' antiquité, tant sacrée, que profane, par rapport à l' une et à l' autre: par le R.P. HUBERT HAYER, Recollet, ancien Lecteur de Theologie.

Lutetiae Parisiorum 1757. Tomi III. Alph. 2. in 8.

Coaluit inde a non ita longo tempore societas eruditorum hominum in Francia, qui religionis christianae sanctitatem ab adversariorum impietate et perditissima licentia, ut consilio maxime laudabili, ita successu longe felicissimo, defendere studerent. Cuius rei fidem facile fecerit hic ipse liber, qui qualis sit, ne ignoraretur a Lectoribus nostris, cavere, quantum in nobis fuit, libenter quidem voluimus. Scriptus ille ab *Hayero*, cui, de voluntate societatis illius, paucisque adhuc aliis, nominatim e theologia et philosophia praesidia veritati quaerenda erant: quorum ille utrumque, dubium, maiorine subtilitate, an vero pietate atque integritate, secutus esse videtur. Universa quidem disputatio est tripartita: quarum duae priores ab omni concretione liberam esse naturam animi humani, spiritumque, docent; cum quidem, quae contra dici et solent et possunt, refelluntur, declarato etiam librorum sacrorum et philosophiae gentilis consensu. Nec aliam viam rationemque sequitur pars tertia, in demonstranda immortalitate animorum.

In quo quidem argumento tractando, non, ut fit vulgo in libris philosophicis, versatur doctissimus Auctor, in quibus una et item altera demonstratio affertur, universae cuiusque rationi, Metaphysicae inprimis, consentanea. Neque enim subtilitatem solum diligentiamque secutus est in eruendo vero, declarandoque, sed divitias etiam, per quas liceret ei multiplicem cuiusque rei demonstrandae rationem repraesentare, eas igitur conferre benigne in paupertatem plerorumque voluit. Nil itaque non commemorat, quod in animo esse moverique scimus, atque inde, quibus veritatem

tem ſtabiliat, ea ſedulo colligit. In quibus utitur dicendi genere, non illo quidem nimis tenui, aut ſimplici et languido, ſed eo tamen, quod dictionis philoſophicae formam habitumque tantum non ſemper exhibeet. Et legit ille quidem omnia, quae et olim, et cum maxime ab invictis philoſophaſtris, ſi Deo placet, ad impugnandam ſimplicem animi humani naturam et immortalitatem prolata ſunt, omnemque eorum rationem perſpicue traditam confutavit.

In praefatione docet, ſententiam ſuae rationi contrariam, quae animum admixtionis non expertem cenſeat, ad Epicurum auctorem referendam eſſe; ſed idem affirmat, recentioribus temporibus, *Lockii* illius librum, de intellectu humano, haud parum ad iſtum errorem vulgandum contuliſſe. Ipſe quidem Lockius non docet concretioni obnoxium eſſe animum, admixtumque habere aliquid diſpar ſui; nec magis aliis Epicureis erroribus eſt addictus: neque tamen fieri poſſe negavit, ut animus materia conſtaret; ſed per omnipotentiam divinam fieri poſſe contendit, ut vis cogitandi materiae tribueretur. quam eius ſententiam multi, in his etiam Theologi, ſecuti ſunt. Quodſi rationis Lockianae deſcriptionem quaſi formamque diligenter inſpicimus, errorem illi de animi materialitate ſuperſtrui poſſe reperiemus. Siquidem unus de iis, qui totos ſe ad Lockii auctoritatem contulerunt, Epicurum doctorem agnoſcit, et materialiſmum, omnibus illum numeris abſolutum, defendit. (*Parkerus* quidem Lib. de Deo diſp. I. recentiores atheos et materialiſtas Hobbeſio ita deberi docuit, ut hic ipſe Lucretio debeatur, qui, quem ſecutus ſit, conſtat inter omnes, qui Lucretium recentioresque legerunt). Quod vero haec ſententia tantopere invaluit, eius rei cauſa inprimis haec eſt, quod facilis admodum eſſe, naturaeque conſentanea exiſtimatur, pronusque intellectus humanus ad eam recipiendam videtur, ſponteque ſua eodem deferri: quae autem huic oppoſita eſt altera ſententia, mera putatur eſſe idea metaphyſica. In quo Auctor noſter longe aliter ſentit. Ipſi quidem ſenſus utique et phantaſia materialiſmo favent; ratio

autem humana nullo modo. Neque etiam ſententia, reiiciens illa materialiſmum, eſt in iis numeranda, quae, quid verum ſit, ſubobſcure difficulterque declarent, ut nec praeclara ingenia perſpiciant omnia, quamvis explicata, et aſſequantur. Materialiſmus autem multa inepta, neque ullo modo componenda continet. Ceterum fatendum eſt, doctrinam illam de animo a concretione libero, his annumerandam eſſe, quae poſſint illae quidem ſatis perſpicue doceri, ſed ex quibus quae conſequantur, difficultatibus obſcuritatique quodammodo ſint obnoxia. Neque tamen propterea licet, quod manifeſte verum cognovimus, reiicere. In quo idem fatetur Cl. Auctor, nimis abſtractam illam, nec ſatis diligentem et ſubtilem huius rei defenſionem, ut quae rationis aſſenſum commovere nequeat, veritati offeciſſe: nec ipſum Auguſtinum, qui plurima de eo ſcripſerit, eidem dicit ſatisfeciſſe: cui vitio ipſe quidem voluit hoc libello mederi. De antiquitate huius ſententiae, quam quidem ex Philoſophorum veterum, Doctorumque Eccleſiae ſcriptis, demonſtravit, propterea ſeparatim egit, quod auctor libelli male ſani, cui titulus eſt *la Philoſophie du bon ſens*, hanc ſententiam dicere ſuſtinuit non ultra tempora Auguſtini aſſurgere, nec niſi ab hoc ipſo inventam eſſe.

Univerſe quidem iam dictum eſt, vires animi omnes, et quae ab his proficiſcantur, diligenter admodum, ut repeterentur inde quibus veritas firmaretur, a Cl. Auctore conſideratas eſſe. In quo ſequitur illum ipſum ordinem, ad quem ſolent in libellis philoſophicis explicari. A ſenſibus igitur et phantaſia facto initio, commercium animi et corporis ultimo loco commemorat. Prolixiores iuſto futuri ſimus, ſi omnium eius demonſtrationum vel ſummatim facere mentionem velimus. Speciminis loco unum et item alteram allaturi, ſperamus nos Lectoribus noſtris ſatis eſſe facturos; praeſertim cum ſint eiuſmodi, ut fere in omnia, quae ab animo perficiantur, transferri queant: cuius generis eſt illa ipſa, quae primum locum obtinet.

Sumit

Sumit Cl. Auctor, effectum, qui melior sit sua causa, extare nullum posse, quod, quae in illo forent perfectiora, causam, unde penderent, haberent plane nullam: atque hoc unum putat (p. 31.) omnem tollere, si recte adhibeatur, materialismum posse. Tum porro, quae a machina vel causa mechanica producuntur, non nisi mechanica et ipsa esse possunt. Iam satis patet, in sensu perfectionem inesse, omnibus illam mechanismi perfectionibus longe superiorem, nihilque prorsus esse machinam artificiosissimam, nemo negat, ad vilissimum animalculum quod sensu gaudeat.

Nam quae mirum in modum a mechanismo proferuntur, cum non nisi vel ipsi motus sint, vel ope motus edantur, ea vero omnia e mechanismo queunt explicari. Verum, quae sensus vel suaviter, vel acerbe officiunt, ii nulli sunt motus, neque ex mechanismo unquam possunt intelligi, sive modum compositionis vel tenuissimae, sive actionem partium spectes. Compositio enim quantumvis sit tenuis, eadem tamen partes figura gaudent, quae est in partibus crassioris compositionis; neque actio quicquam, praeter motum, esse aliud potest. Si quis subtiliores materialistas secutus, materiae posse tamen Deum dicat istos sensus tribuere; aut necessario coniuncti cum illa dici debent, quod abhorret; aut in animo plane accidentes: unde tamen causa eorum, a materia seiuncta, intelligeretur. Nam, quae alicui rei insunt parum necessaria, ea rem ipsam constituunt quandam, sed eam certo quodam modo effictam, qui et adesse et abesse potest, vaganturque illa et cernuntur in singulis rerum partibus. Iam, si concedatur, materiam ipsam, sive quod ab hac proficiscatur, his gaudere sensibus non posse, nec sensus ipsi in illa quidem possunt esse positi, sed utraque seiuncta sint a se invicem necesse est. Quodsi materiae, qua materiae, sensus vel suaves inessent, vel acerbi, non minus hi profecto, quam illa ipsa extensione laborarent, eandemque et magnitudinem et figuram referrent. Cuius materiae cum infinita esse queat partium multitudo, huic etiam quaestioni locus fieret, utrum suo quaeque sensu gaudeat, an vero sit

non-

nonnullis tantum partibus proprius. Sumto illo, genera sensuum innumerabilia statuenda forent, cui repugnat experientia. Et si vel maxime omnes illi singulares minutique sensus conficere in nobis hunc unum sensum dicerentur, quem animadvertimus, idemque unus vagari per omnem materiam; foret hoc tamen figmentum valde ineptum. Cum enim sensus proprie non nisi in particulis illis ponendi essent, unde materia conflatur, sed vario illis constitutis modo: hi ipsi sensus, ut semper divisi essent, cogeretur, nullique ut coniunctioni locus relinqueretur. (In quo tamen nobis non videtur quaestioni satisfactum esse. Nam sensus illi minuti, dici utique possunt, sigillatim singuli consistere, sed, ad nostrum sensum, pro uno illi omnes sensu haberi possunt, quemadmodum videmus sensum laetitiae, irae, saepenumero e pluribus uno sensibus conflatum esse, si caussae plures fuerint, cum non nisi unam iram sentiamus, unamque laetitiam. Verum in hoc quidem subiectum est commune, quod singulas res parum distincte percipiat, omnesque pro una habeat; quod secus est in illo).

Neque etiam dici possunt partes non nisi iunctae inter se et copulatae sentire; quamvis speciosum sit: quomodo enim ea coniunctio tribuat illis id, quo carent. Compositionis quidem haec vis est, ut mutet externum quasi habitum rerum formamque, sed ea omnia non nisi extrinsecus accedunt. Sensus autem haec vel alia eiuscemodi ratio esse nulla potest. Atque hi sensus quomodo tandem cum vi inertiae componi queant, omni materiae communi, cum quidem sentiendi facultas in agendo posita sit?

Explicatis his, quibus suaviter secusve afficitur animus noster, ad ipsas sentiendi facultates, quos proprie sensus vocamus, transit, hosque et ipsos materialismo officere, docere allaborat. Qui animum concretionis parum expertem putant, sensus ipsos, eorumque perceptiones, nonnisi mechanismi vim et naturam referre arbitrantur; ut quae organorum sensoriorum ope mechanica excitentur. Verum Cl. Auctor nullas utriusque rationes communes intercedere sibi per-

persuasit, cum, vel ignorato oculorum auriumque mechanismo, oculoque non conspecto, audire tamen et videre possimus. Nam haec quidem putat rectissime consequi, cum dicit, ea, quae sensibus percipiantur, ignorato mechanismo, cognosci non posse, si modo illa vim huius et naturam haberent. Veruntamen satis novimus ea quae sensibus hausimus, licet ipsum sensuum mechanismum vel prorsus, vel maximam partem ignoremus. Nec utrorumque est quaedam quasi coniunctio necessaria; quin sine mutua ope consistere sola possunt. Saepenumero enim fit, ut, quicquid inest motus mechanici, in sensibus, oculis, ut hoc utar, et auribus, id vero a legibus suis non abhorruerit, neque tamen v. c. audiat videatve is, qui aliis in rebus serio curioseque cogitandis versetur. Quae igitur in effectis obtinet mechanismi perceptionumque coniunctio, ea vero, non e necessaria rerum natura, sed ex arbitraria creatoris institutione videtur esse repetenda. Quod enim horum unum consequitur alterum, id non certo argumento est, pendere illa necessario a se invicem, multo minus, habenda ea esse pro iisdem, ut v. c. actus videndi sit ille ipse motus in oculis, in cerebro, in succo denique nerveo. Quodsi materia in nobis et audit et videt, aut si illud ipsum est mechanismi motusve negotium, iure profecto meritoque, cur non omnis materia, omnis mechanismus, motusque omnis eandem vim exserat, quaeri potest. Quam quidem quaestionem neque veteres Materialistae, neque recentiores, attigerunt. Atque etiam diversae sensuum perceptiones, harumque non solum universa genera, sed etiam singulae et multifariae formae, colorum, saporum, aliarumque id genus rerum, totidem ut essent diversi mechanismi motusque, cogeretur: unde infinita varietas oriretur, quae mente concipi nullo modo potest. Nec fieri potest, ut, quae sensibus percipiamus, eorum causa sit e materia repetenda, cum quidem, ut supra posuimus, perceptiones longe superent praestantia sua materiam, eiusque et motum et mechanismum: cui addendum et illud est, quod causam efficientem inter et effectum ipsum

similitudo quaedam et analogia debet intercedere. Utriusque porro commune genus debet esse, ut apta sint sibi invicem et convenientia. Quodsi causa efficiens est in re et materia posita, necesse est mechanismo instructa sit motusque quodam genere, qui proferendo effectui par sit et aptus. Quae omnia, si componas materiam conferasque cum perceptionibus ope sensuum haustis, non reperias, nihilque omnino, quod simile illis ullo pacto esse videatur. Porro, ut perciperemus, efficiendum esset materiae, quae vel in obiecto, vel in organo sensorio latet, vel denique materiae inter utrumque intermediae; quarum prior illa, ut et haec posterior, procul dubio non nisi locum faciunt perceptioni, huiusque, ut ita dicam possibilitatem parum sensibilem efficiunt: materiae vero, quae inest organo sensorio, oculo v. c. ut perciperemus, vel mechanismo suo efficiendum esset, vel motu. Neutrum autem hanc vim habere, praeterquam quod iam demonstratum est, alia adhuc via doceri potest. Omnis mechanismus, quantumvis multiplex et impeditus, vel in rotundis figuris ponitur, vel in acutis, omnisque motus, licet quam maxime varius, vel ad rectas lineas, vel ad curvas suscipitur. Iam, sive illa perceptionum causa statuitur, sive haec, utrobique, quod absurdum est, conceditur; cum vel dicendae sint perceptiones excitari aut rotundis figuris, aut acutis, aut utrisque; vel earundem causa quaerenda sit, aut in recto motu, aut in curvo, aut in utroque. Causalitas physica, quam solam materialistae statuunt, proprie non nisi explicatio quaedam et expeditio est seminis alicui rei proferendae destinati. Quae expeditio et expansio cum fiat aucta partium multitudine, sequitur, perceptiones sensibiles secundum rationem materialistarum, vel materiae esse partes, vel materiae nullo modo deberi. Iam nemo somniet, perceptiones in materia, rebusve corporeis positas esse; alterum igitur concedat necesse est, oriri eas ex re incorporea in qua et ipsae sint: quorum hoc quidem pluribus adhuc, peculiari capite, rationis experientiaeque subsidiis firmatum est. Materialistae ex eo quoque immaterialem esse animum con-

contendunt, quod Lockius, ſententia quorundam de ideis innatis reſutata, docuerit, omnes ideas ſenſim ſenſimque extrinſecus homines quaſi penetrare. Itaque Cl. Auctoris opera in eo verſatur, ut non ſatis perſpicue demonſtratum hoc doceat ab Lockio, neque eſſe, quod Voltarius, aliique Lockianae diſciplinae alumni, eas tam fere ſcenico modo rideant. Lockius enim, ut inter alia monet Cl. A. pluribus hiſtoriam explicatarum idearum demonſtravit, quod profecto in dubium vocari non poteſt; verum, idem non docuit, a quo temporis momento clara fiat idea, eiuſque ut conſcii ſimus efficiatur, quod conſequitur illam explicationem, ab eodem eſſe primam eius originem ducendam. Docuit ille quidem, ideas abſtractas ex reflexione oriri; verum, illas ipſas ante in animo non fuiſſe, quam idearum abſtractarum in eodem locum occuparent, id vero plane non docuit; ſed non erat, quod de eo diſputaret. Conſilium potiſſimum hoc ſequebatur, ut doceret, animum, ſi vel maxime evicta Lockii ſententia eſſet, tamen eſſe incorporeum, neque ad hoc impugnandum inde poſſe ullum argumentum duci: quin, poſſe utique ſyſtema illud de ideis connatis egregie cum materialiſmo componi. Etenim, quod ad hoc quidem attinet, materialiſtis idea nihil eſt aliud, niſi cerebri quaedam quaſi efformatio: in quo, nihil obſtat, quo minus, a principio ſtatim iſtiusmodi conformationes inſiat, quae quidem forent illae ideae connatae. Hae autem ideae mechanicae homini prius non conſpiciuntur, quam in corpus egerint extrinſecus res variae illi quaſi admotae: uti delineata eſſe multa in tabula poſſunt, ſed eadem tum demum, ſi luci admoveantur, conſpicua: utive, auctore Lucretio, unde frequenter hoc ipſum deſumunt materialiſtae, per quietem conſpicuae fiunt animo conformationes cerebri, eodem modo, quo igniculi favillae, conſpiciuntur, cinere ſuperiori oris halitu remoto. Illud autem quod attinet, rerum externarum impulſus mechanicus, non eo valet, ut quae conſequatur illum idea, ea et ipſa ſit mechanica, neque magis profecto, quam mechaniſmus, ſecutus ille ideam incorpoream, et

 ipſe,

ipſe, cum idea incorporea ſit, incorporeus eſt, quod ille ipſe Lockius diſertis verbis Lib. II. p. 239. §. 15. docet.

Tum deinde Cl. Auctor defertur ad obiecta perceptionum ſenſibilium, ad corpora eorumque qualitates ſenſibiles, colores, odorem etc. utrimque arceſſitis iis, quae ad evincendam animi vim et naturam incorpoream valere queant. Ac de illis quidem, ideas corporum eſſe incorporeas docet, nec ad ſenſus eas, imaginationemve pertinere. Multum enim diſcriminis intereſt v. c. inter ideam circuli, circulumque ipſum, qui iſtius ideae proferendae occaſionem dedit. Nam ille quidem unus eſt et certus, cui etiam vitii quid ineſſe poteſt. Verum idea circuli, quae ineſt geometrae intellectui, ea vero eſt perfecta, et univerſalis, eſſentiam circuli a ſenſibus remotam refert, illam nulli mutationi diviſionive obnoxiam. Eodem modo iudicandum eſt de omnibus ideis rerum corporearum. Cuius rei documentum artes inprimis, in tractandis corporibus verſantes, praebent. In opere artificioſiſſimo, minimum tribuitur ei, quod eſt corporeum: in quo perficiendo, quicquid artifex ſuſcipit, id omne refertur ad ideam, quam habuit iſtius operis, antequam eſſet, eaque ipſa mechaniſmum manus regit.

Ea autem idea, cum obiectum eius nullum ſit, nec materiae ſit particeps id, e quo conſtat, ea igitur idea corporea eſſe non poteſt. Nam ſumma rei poſita eſt in proportione, quae prorſus eſt incorporea; nec in opere ipſo, cum abſolutum eſt, cerni poteſt. Eadem ratio eſt ſimilitudinis et aequalitatis. Res ſimiles et aequales poſſunt illae quidem oculis cerni, ipſa vero ſimilitudo et aequalitas nullo modo: unde nequit utriusque idea corporea eſſe: quod quidem eodem modo ex arithmetica theoretica poteſt demonſtrari. Quod ad proprietates corporum ſenſibus ſubiectas attinet, idea v. c. coloris rubri in roſa non eſt illud ipſum, quod roſa oculis quaſi obiicit. Nam cum roſa conſpicitur, ſenſuumque indicio creditur, color iſte ruber roſae non niſi involucrum quaſi eſt materiae roſeae. Sed ea non eſt idea coloris rubri, intellectui inſignita. Neque color, neque ſonus,

in

in corporibus aut in aere ſunt, qui eſt nos inter corporaque intermedius, neque in oculis, neque in auribus denique. Attamen ſunt utique. Egrediendum igitur eſt e mundo corporeo, ſi, quo in loco ſint illa, reperire velimus. Quaerenda ſunt enim in animo incorporeo, qui, ex inſtitutione divina, occaſione a rebus corporeis data, has ideas profert. Huic rationi magnam vim tribuit Cl. Auctor; nec, ut opinamur, immerito. Unde, diſſerendo de rebus philoſophicis, cenſet ea omnia, non *ſenſibiles proprietates corporum*, ſed ſimpliciter *perceptiones* appellanda eſſe. Cui quidem aliam rationem addit, ductam ex eo, quod idea coloris dividi nequeat, cum tamen obiectum, cui color ex opinione vulgi ineſt, dividi queat: unde ſubſtantiam patet aliam eſſe eam, cui idea inſit, aliam eam, quae illam ideam excitet. In quo Cl. Auctor hoc etiam negotii ſuſcepit, ut vana ea eſſe doceret, quibus *Metrius* (De la Metrie) inprimis idearum ſpiritualitatem impugnare voluit, eaque omnia e logica Hobbeſiana repetita eſſe indicat. Materialiſtae quaerunt ex nobis, cur, cum contendamus ſubſtantiam incorpoream poſſe ſibi corporearum rerum ideas formare, cur igitur dici nequeat ſubſtantia corporea rerum incorporearum ideas fingere? etenim quod materia ſit animo, id eſſe idem animum materiae. Verum diſcriminis multum, facileque deprehendendum, intereſt. Nam etſi res corporeae a natura intelligente percipi poſſunt, non tamen propterea conſequitur hoc, ut res intelligibiles ſint ſenſibiles. Fieri autem non poſſet, quin tales eſſent, ſi a ſubſtantia corporea poſſent cognoſci, (unde materialiſtae in animo ſuo corporeo nil niſi perceptiones et imaginationes relinquunt,) gauderetque v. c. virtus, extenſione figuraque, quod plane abſonum eſt. Neque vero bene ſe habet, quod Auctor ille *novae libertatis cogitandi* ſumit, (Art. de animo p. 159.) analogiam quandam intercedere inter ſubſtantiam quae ideas formet, et inter eas res unde imagines abſtrahat, quod, ſi animus eſſet corporeus, dici nullo modo poſſet. Et neceſſe quidem eſt, intercedat relatio quaedam vim inter et obiectum, ſed ea non

necessario consistit in plena quadam et absoluta similitudine essentiae, sed in facultate a Deo illi attributa, obiectorum, vi ipsius, ad certas quasdam regulas considerandorum. (Quae quidem facultas non abstractarum metaphysicarum propositionum ope, (quas adeo non amant materialistae, ut cum Voltario eas rideant etiam,) sed experientiae ope cognosci explicarive debent: unde si cognoscatur, nequit profecto subtilitatibus et argutiis metaphysicis in dubitationem adduci, ut Idealistae consueverunt in vi corporum semetipsa moventium, motumque cum aliis communicantium). Ea relatio non oritur ex intellectu, a quo, quin cognoscatur eadem, negari non potest. Neque enim intellectui liberum est constituere relationes ad obiecta, ita enim forent arbitrariae, sed utendum est his intellectui, quae qualesve sunt a Deo concessae.

Hactenus evicta est immaterialitas animi ex perceptionibus, unde quae deinceps disputata sunt de variis animi viribus, facilius intelligi possunt. Nam si, quam verum sit hoc, ex ideis sensuum ope haustis doceri potest, profecto, quae praeterea insunt intellectui, ea vero idem aliquanto magis poterunt docere. Igitur in his enumerandis poterimus esse breviores.

Docet autem Cl. Auctor veritatem sententiae suae ex phantasia (p. 102.) ex ideis in se spectatis (p. 113.) ex ideis coniunctione in formam propositionum redactis (p. 147.) e Syllogismis (p. 167.) e facultate errores sensuum et phantasiae deprehendendi (p. 131.) e vi memoriae (p. 136.) e dubitatione (p. 161.) ex attentione, cogitatione, et perturbatione (p. 176.) e somniis et delirio (p. 188.) e quo posteriori capite pauca commemorabimus.

Mira profecto res est, quod quae ex una propositione colliguntur, ea vero valde discrepant. Ex eo, „quod somniis homo et phantasiae est obnoxius, materialistae; nil nisi machinam eum, idealistae nil nisi spiritum esse colligunt.„ Cl. Auctor, relictis iis, quae docte et acute somniavit *Berkelejus* (Berkeley), in confutandis materialistis tantummodo versatur.

Ete-

Etenim firmissimum argumentum pro spiritualitate animi duci ex illa propositione posse docet. Nam, qui somniat, ideis gaudet, imagines fingit parum corporeas obiectorum licet corporeorum, iudicat, ratiocinatur, vult denique; in quibus omnibus neque extensio, neque divisio ulla reperitur: unde necesse est animus somnians sit et ipse incorporeus. Id etsi iam patet ex superioribus; tamen ex hoc ipso aliquanto magis colligi posse putat Cl. Auctor. In somnio, aut in perturbatione mentis, ideae rerum absentium, vel plane ex rerum natura exulantium, et ne quidem possibilium, valde sunt vividae. Iste quidem vigor tantus est, ut exaequet veritatem rerum. Iam quaerit Cl. Auctor, unde, si concretus est animus, aut mera est machina, motus illi machinae, qui talia efficiant, pendeant: porro, cur interdiu ideas nobis formare aeque vividas nequeamus, si quidem causa earum non nisi e machina, quae nobis semper est eadem, repetenda sit. Atque etiam animus nonnunquam una eademque nocte sui est valde dissimilis: modo enim suaviter somniat, modo secus, etc. Quomodo autem effectus tam diversi ab una eademque machina sine impulsu externo produci queant. Somnium, etsi est fallaciae genus, neque tamen omnia in eo sunt fallacia. Ideae, quae hominibus offeruntur, sunt illae quidem mere imaginariae, verum consecutioni earum veri quid inest, quin etiam ratiocinationes non ex vano haustae. Si cui somnianti mortis periculum offertur, tum vero est illa quidem illusio: verum quod idem sibi timet, quod fugit, vociferatur ad arcessendum auxilium, suique defensionem ab impetu alieno suscipit, in eo certe nihil praeter rem et rationem cogitatum factumque est: quod profecto nullo modo machinae opus materiaeve potest esse fortuitum. Qui fidium est usus in instrumento musico, idem est fibrarum in corpore. Illae cum intenduntur certo quodam modo, sonum edunt; hae ubi spiritus vitales sat multos habent, ad actiones corporeas sunt idoneae. Utrarumque illarum, cum diversa est ratio, hique posteriores somno quasi oppressi sunt, omnes omnium actiones cessant. Eo igitur modo

modo etsi corpus humanum est affectum, eaedem tamen vires animi, quae interdiu, eaeque melius interdum, sese exserunt. Nam non solum cogitamus multa, ut interdiu, canimus, concionamur, scribimus, etc. sed cognoscimus etiam facimusque ea, quae interdiu non poteramus, cuius rei exempla bella profecto, nec ficta, extant, afferunturque nonnulla a Cl. Auctore. Quorum illud inprimis animum advertit, cum testatur ipse Cl. Auctor, Baccalaureum quendam Theologiae, assiduum quidem et industrium in eadem disciplina percipienda, quaestionibus eiusdem modi, vigilantem nunquam, dormientem autem nunquam non promte et accurate satisfacere potuisse. Unde colligit, somniantis animum mechanismo corporis minus, quam vigilantis, obnoxium esse. Enimvero materialistae multa iactant de vestigiis impressionum, quas cerebrum extrinsecus passum sit, earumque varia coniunctione, quo facilius harum imaginum, quae phantasiae debentur, possint originem declarare. Verum quis non videt, nil nisi verba dari. Unus de recentioribus materialistis, somnia negat e systemate Epicureo de idolis rerum explicari posse: quod idem dicendum est de toto materialistico systemate. Hobbesiana illa explicatio (Leviath. c. 2.) manifeste repugnat experientiae, ad quam idem provocaverat. Namque somniorum originem ducit e modo, quo corpus dormientis, antequam cubitum iret, affectum erat, ut ea ex uno mechanismo derivaret: cui experientia saepenumero adversatur. Quodsi vero animus existimetur spiritus esse, (qui vim suam per quietem minus accommodet mechanismo corporis, quod eodem tempore, neque mundo, neque homini ipsi interest quicquam, qualia sint ea, quae contempletur,) omnes illae difficultates concidunt.

His ita explicatis, Cl. Auctor argumenta suae causae repetit ex voluntate hominis et appetitionibus. Voluntas est vis sese exserens; quod negari non potest: eam vim sua sponte exserit, eiusque causa non nisi in ipsa quaerenda est. Animus ope corporis se ipse afficit, illiusque vis huius quasi ministerio in se redit. Quod longe secus est in effectibus

cor-

corporum, quorum et motus aliunde pendet, et actio foras quasi exit, transitque ad alia obiecta. Haec diversissima agendi ratio, vim et naturam itidem diversissimam prodit, animumque ab omni concretione liberat. Sentimus et ipsi, non nisi una nos voluntate regi: unde consequitur, animum e materia conflatum esse nullo modo posse. Nam variae illae partes, relinqueretur, ut unam voluntatem conficerent, aut ut sua cuique voluntas singularis attributa esset. Quodsi illud sumatur, voluntas multipliciter divisa sit necesse est, quod in eam plane non cadit: aut, si hoc sumas, totidem animi, quot partes, existerent, in quibus dubitari potest, an voluntatum vel futura sit, vel esse queat consensio; nisi vero necessario determinata fuerit illa ipsa consensio. cuius rei ratio reddi nulla poterit.

Neque favet ullo modo Materialistis multiplex illa et celerrima saepenumero vicissitudo, quae est in animo; quin potius nobis favet, cum explicari ex mechanismo neutiquam possit. Etenim inter Physicos constat, celerrimas motus vicissitudines, in vehementia, quae illarum causis inest, positas esse. Quod longe aliter se habere videmus in diversissimis celerrimisque illis, quae sunt in animo, vicissitudinibus: unde patet, voluntatem non esse vim quandam mechanicam.

Libertatem tollunt materialistae, necessitatique, aut quod idem est, fato casuique fortuito, obnoxium esse dicunt animum. Quare peti libertate vix videntur posse. Quod tamen ita instituit Cl. Auctor, ut libertatem animi confirmaret argumentis et fulciret. Nam si animus vera libertate gaudet, fieri non potest ut e materia constet: quam ipsam ob causam in dubium vocant libertatem isti astuti homunculi. Speciminis loco in medium proferamus aliquot Cl. Auctoris argumenta, quorum vis fortasse maior est illis ipsis, quae magnam acuminis speciem prae se ferunt.

Nonnunquam libertate nos destitutos esse sentimus. Cum veritatem cognoscimus, aut videmur nobis cognoscere, ei ut adsentiamur, cogi nos sentimus. In quo, nemo, quod

contra dicat, quicquam habet: (eamque ob caussam Cicero dixit, mathematicos *non persuadere, sed cogere*). Nec aliter cogi nobis videmur, ut appetamus id, quod vere bonum cognoscimus, quoad idem in bonis numeramus. Verum, aliis omnibus in rebus libere nos agere iidem sentimus. Quem sensum nec ipsi libertatis osores in dubitationem adducunt, sed fraudem eam esse opinantur. In quo Cl. Auctor opportune quaerit, cur omnes omnino homines, ea una in re, male, nec satis distincte sentiant, in alia minus: aut cur alius sensus sit verus, alius fallax?

Regulae mechanismi nullo non tempore sunt necessariae: igitur idem impulsus externus, relinqueretur, ut idem in voluntate efficeret. Quod tamen secus esse, non solum in diversis, sed in iisdem etiam hominibus, videmus; quin iisdem temporibus ac locis, idem nec appetunt nec faciunt: quod non nisi e libertate potest explicari. Qua in re Cl. Auctor egregium locum e Platonis Phaedone affert, in quo refutatur opinio *(Aristoxeni)*, qui animum putaverat consistere in harmonia corporis, sive nervorum, musculorum, etc. quoad tensionem et expansionem.

Tum pergit Cl. Auctor argumenta ducere e facultate movendi corporis pro lubitu (p. 239.) e desiderio, spe, et metu (p. 243.) ex amore et odio (p. 253.) ex amore voluptatis (p. 261.) e laetitia et tristitia (p. 271.) e vi laudis (p. 283.) e Politica (p. 293.) e charactere heroico (p. 309.) ex odio (p. 320.) ex hypocrisi (p. 333.) e conscientia (p. 340.) ex operis mutuis, quas et sentiendi et cogitandi vis invicem sibi praestant (p. 351.) e repugnantia facultatum animi inter se (p. 363.) e coniunctione animi et corporis (p. 371.) denique ostendere conatur Cl. Auctor, animum non esse Leibnitianam monadem (p. 384.)

In parte altera pergit Vir doctiss. simplicem naturam animi humani, eamque spiritualem, evincere atque defendere. Id primum ostendit ex eo, quod illud ipsum simplex, neque ulli divisioni mutationive obnoxium est, quod unusquisque pronuncianda vocula *ego* cogitat, de quo agit quinque capi-

capitibus ita, ut explicata ipſa re, argumenta inde petat, hiſque, quae contra dici poſſint, ſatisfaciat.

Quibus egregie diſputatis, ut ſuavitatis etiam permultum creent lectori, docet, notionem animi ipſam, nobis eum, tanquam immaterialem ſubſtantiam et ſpiritualem quaſi oſtendere. Definitio animi, Scholaſticis maxime probata et uſitata: *eſt actus primus corporis organici, poteſtate proxima vitam rationalem habentis,* non eſt uſquequaque bona; ut qua abuſi ſunt materialiſtae: Voltarius autem, indicta cauſa, ut ita dicam, eandum, ut ſtultam, reiecit; ſcilicet, ut impugnandi labore poſſet ſuperſedere. cum quidem ipſe nullam omnino animi notionem cuiquam contingere poſſe contendit. In quo Cl. Auctor aeque magnam, quin, haud paullo maiorem latere ſtultitiam, exiſtimat, ac ſi quis oculorum ſenſu praeditus lucis exiſtentiam, vel ipſam negare, vel nullam ſibi eius ideam eſſe, dicere ſuſtineat: nihil enim eſſe, cuius idea nobis amplior, perfectiorve cognitio contingat, notione animi; e cognitione autem animi omnem reliquam noſtram cognitionem repetendam eſſe, quod pluribus declarat. Tum deinde inquirit in hoc, an cogitationis et materialitatis ratio par eſſe queat, *(incompatibilité et compatibilité).* Declarata ipſa re et cauſa, diverſiſſimam earum rationem eſſe maximeque repugnantem, evincit; ut adeo, in uno ſubiecto utraque conſiſtere, dici nequeat: in quo multos multorum, *Lockii* inprimis et *Voltarii,* errores confutat.

Haec omnia excipit duplex diſputatio hiſtorica, inſerviens illa, confirmandae, in utraque libri parte, rei propoſitae. Et prior quidem docet, Moſen, Patriarchas, Eccleſiam omnem Iudaicam, Chriſtum ipſum et Apoſtolos, Patres Eccleſiae denique, et Scholaſticos, ſtatuiſſe, Deum, animumque, pro immaterialibus ſubſtantiis habendos eſſe. Altera autem conſenſum ſummorum philoſophorum ethnicorum in ea re declarat: quod recentiores materialiſtae negant.

Quod ad illud attinet, ſumma rei in eo poſita eſt, ut diſpiciatur, quam ſignificationem olim verbis רוח et πνεῦμα attribuerint. Iam materialiſtae opinantur, veteres, Moſen,

Prophetas, aliosque, non ſignificaſſe, quam notionem his verbis ſubiecerint; quae, cum ſpiritum, qui proprie dicitur, halitumque oris denotent, ea prima idea debet putari, quam illi quidem cum iisdem coniunxerint. In quo mirum illud eſt, quod, qua ſignificatione iſta verba ex mente veterum accipienda ſint, ab his ipſis non ſit pronuntiatum, ut adeo parum liquido nobis de iis conſtare debeat; et tamen materialiſtae, quomodo iſta verba ab illis ipſis adhibita ſint, probe ſciunt, aliosque edocent. Verum, primo quidem parum ſubtiliter verſantur in eo, quod ſignificationes repetunt ex etymologia; tum deinde iis, quae a viris divinis tribuuntur animo, prorſus adverſatur, cum animus non niſi ſpiritus, qui proprie intelligitur, eſſe dicitur: v. c. cum Davides, Ieſusque adeo ipſe dicit, commendo ſpiritum meum benignae Tuae potentiae; cum Ieſus Deum eſſe ſpiritum dicit, eumque colendum ſpiritu; cum denique Paullus Deum ſpirituum patrem appellat, ita, ut diverſitatem a corpore reſpiciat. E quibus dicendi rationibus patet, animum intelligi ab illis ſubſtantiam eam, quae natura ſit a corpore ſua ſeiuncta. Ceterum Cl. Auctor prope putat accedere ad veritatem Auguſtini ſententiam, cum dicit, animum vocabulo רוח propterea donatum eſſe, quod halitu divino, ipſo Moſe ita narrante, inditus ſit primo homini; in quo tamen idem monet, ideam corpoream immiſcendam non eſſe, ſed eo vocabulo non niſi voluntatem divinam vi ſeſe exſerentem ſua indicari. Libri Moſaici plura ſuppeditant, unde patet, ab eorum auctore, Deum, animumque, pro ſpiritibus habitos eſſe, eamque tum Iſraelitis uſitatam fuiſſe notionem. Sed non erat, quare idem Moſes definitionem ſpiritus ſuppeditaret. Neque enim ſyſtema religionis, ſed hiſtoria ipſi conſignanda erat, neminemque, quid ſpiritus eſſet, latebat. Patriarchas autem, omnemque populum, materialiſmo favere non potuiſſe, univerſa quadam, ſed eadem idonea ratione comprobatur, cum quidem ex hiſtoria docetur, quo tempore iſte error de animi materialitate, hoc eſt, paullo ante Chriſtum natum, coortus fuerit. Ieſus nunquam non adverſarium

ſarium ſeſe praeſtitit Sadducaeis; cuius omnis doctrina concidat neceſſe eſt, ſi modo corporis pars eſt animus, concretionisque particeps. Neque vero quicquam proficiunt materialiſtae, cum corpus Deo tributum in prima Eccleſia obiiciunt; quod, quomodo amoliendum ſit, ſatis conſtat. In quo Cl. Auctor in univerſum, et recte quidem, aliquid monet eiusmodi, quod materialiſtas a vanitate multarum ratiocinationum arcet. Dicit, cum notioni verae alicuius rei alligentur quaſi acceſſoriae ideae, eaeque parum verae, illam propterea non magis negari, quam hae ipſae tollantur. *Philo* quidem (de ſomn. p. 407.) bene monet, ingenia obtuſa, quod nihil ſine imagine cogitare quicquam poſſint, nec Deum ſine corpore animo concipere poſſe. Neque tamen propterea ſpiritualitatem aut immaterialitatem Deo abiudicant. Cuius rei exempla e Patribus Eccleſiae haud paucis affert, iſtosque locos vindicat a criminationibus perditorum hominum. E quo genere cum excerpta dari nequeant, lectores noſtros ad ipſum librum amandamus. Neque conſilio noſtro eſt conſentaneum, praeter enumerationem capitum, quicquam aliud ex altera appendice afferre. Ipſe Cl. A. ſtatim ab initio fatetur, ſi quis in hoc inquirat, id vero negotium multis cum difficultatibus eſſe coniunctum, cum veteres non perſpicue ſatis diligenterque, quotiescunque Dei mentionem feciſſent, locuti eſſent. Et reperiuntur quidem in eorum ſcriptis iſta verba, ſpiritus, corpus, ſimplex, compoſitum; verum, quas iisdem notiones ſubiecerint, id quidem conſtitui ſatis certo non poteſt, cum modo propria ſignificatio, modo tropica, iisdem attribuatur. Eas igitur difficultates hoc maxime modo ſuperari poſſe putat, ut in interpretando non tam ſingula verba ſpectentur, quam omnis ratio potius et diſciplina cuiuſque Scriptoris, ad quam debeat, quid verba ſignificent, iudicari. Quod quidem ipſe ſecutus eſt in exemplis allatis: quorum initium facit ab Aegyptiis, quos, oſtendere conatur, Deum animumque, immaterialitate et ſpiritualitate gaudere, ſtatuiſſe; in quo cardo rei vertitur in fide Iamblichi, qui, cum non coaevus fuerit, nimiſ-

nimisque sero vixerit, fieri facile potuit, ut, quid senserint Aegyptii, e sua ratione interpretando, repeteret. Et Iablonskius quidem in Opere illo satis noto, de religione Aegyptiaca, quod ad Deum attinet, idem sentit, quanquam Cudwortho paullo cautius; verumtamen illa ipsa tota res valde adhuc est incerta. Inter Graecos primum locum obtinet Thales, a quo cum maxima pars Graecorum Philosophorum per Socratem profecta sit, multum interest, quae ille quidem senserit, cognovisse. Eum favisse materialismo, *Doederlinus* conatus quidem est evincere; verum ipse, quaecunque dixerit, ea vero omnia non nisi in coniecturis ponenda esse pronunciavit. *Baelius* autem Theologiam eiusdem reprehendit, cui Cl. Auctor respondet. Vehementer enim in eo elaborant materialistae, ut a partibus suis ille ipse Thales stare videatur: a qua calumnia vindicat eum *Cicero*, *Athenagoras* item in Apologia, et *Origenes* denique. *Thaletem* excipiunt *Pythagoras* (p. 332.) *Anaxagoras* (p. 339.) *Socrates* (p. 343.) *Plato* (p. 348.) *Aristoteles* (p. 358.)

Tertia pars agit de *immortalitate animi*, primum *dogmatice* (p. 1 — 208.) deinde *historice* (p. 209 — 324.). Ex notione immortalitatis tradita p. 1 — 9. necesse est, animus, si quidem materia, quocunque demum sensu constare dicatur, aeque ac corpus, morti obnoxius existimetur. Quodsi vero immaterialis est animus, idem profecto est immortalis. Iam, si non interit animus, vivus idem et efficax permanet, neque adeo morti est obnoxius. In quo demonstrando copiose versatur Cl. Auctor. Argumenta ducta sunt, e divina sapientia in constituendo hominis officio (p. 19. s.) ex immutabilitate consiliorum divinorum quoad animum (p. 25. s.) e providentia mundi regnatrice (p. 36. s.) e cupiditate hominis, veri cognoscendi (p. 62. s.) ex amore gloriae, naturalique cupiditate immortalitatis (p. 66.) perfectaeque felicitatis (p. 72.) e conscientia (p. 77.) e miseria vitae humanae (p. 85.) e coniunctione felicitatis humanae et immortalitatis (p. 95.) e vigore vagoque ambitu perceptionum sensibilium, angustisque intellectus limitibus (p. 107.) e praerogativa

tiva

tiva animalium brutorum prae hominibus, quoad vitam ſenſibilem (p. 113.) e conſenſu generis humani (p. 121.) quod argumentum ab obiectionibus defenditur (p. 133.) ex officio, Deum amore proſequendi (p. 142.). Haec argumenta, etſi ſunt moralia, neque ſpecioſa gaudent acutaque ſubtilitate, qualis eſt in geometricis et metaphyſicis, unde etiam contemnuntur a multis: tamen, ſi logice ſpectes, poſſunt eadem bene ſe habere, licet demonſtrationis firmitas omnibus eadem non inſit. Ipſe Cl. Auctor nonnulla monuit de valore horum argumentorum, cum non ſolum contra Voltarium, Sherlokium, alioſque, non contemnenda eſſe hac in re philoſophica argumenta diceret, vetaretque ex una revelatione immortalitatem animi demonſtrare, ſed etiam cenſeret rationem pariter ac revelationem in conſilium adhibendam eſſe. Nihil enim profici dicit, cum parum firmitatis ineſſe his demonſtrationibus obiiciatur, niſi ſimul, et quae ſumta ſint, et quae inde conſequantur, minus bene ſe habere doceatur, quod verendum ſibi nullo modo putat. In quo fatendum eſt plura dictis addi potuiſſe. Veruntamen non oblitus eſt metaphyſicae rationis. Nam cum ſuperiora maximam partem e ratione ducta eſſent, quae Deum inter animumque humanum intercederet: ex ipſa illa idea quoque argumentum repetit, quae nobis de animo conſtat, unde haud dubie initium faciendum erat. Ideam animi non ſolum hoc conſtituit, ut neque dividi poſſe, neque materia conſtare dicatur; verum etiam, ut ei propria quaedam vis agendi ſive activitas tribuatur, uti in idea corporis, et ut dividi poſſit, nec ſua virtute agere, commemorandum eſt. Ex quo ſequitur, illam activitatem eſſe partem eſſentiae. Quodſi igitur ipſe animus vel poſt mortem remanet, ut vere remanet; nec Deus eum ſinit evaneſcere, quod ne ratione quidem quodammodo intelligi poteſt: neceſſe eſt illa activitate etiam tum gaudeat, h. e. vivat, cogitet, velit, etc. Tum porro, facultates animi intrinſecus conſiſtunt, atque ex ipſa eſſentia derivantur: unde fit, ut animus eas, quocunque ſe modo habeat, et poſt mortem adeo, retineat. Qua in re,

quae

quae proferri ſolent obiectiones, iis hoc loco egregie occurritur. Parum ſubtiliter ratio animalium brutorum transfertur ad animum humanum, quicquid ſtatuatur de illorum animis. Nam ſi, auctore Carteſio, merae machinae ſunt, iſta concluſio plane locum non habet. Sin autem animo ſunt praedita, qui non niſi perceptionibus idoneus eſt, longe alia itidem eſt ratio. Neque enim omnia ea, quae ad demonſtrandam animi humani immortalitatem valent, locum ullo modo habent. Quod tamen de moralibus tantum capit. Sed ſi porro obiiciatur, ea, quae ſuperiori capite de immortalitate animi diſputarit, e notione ipſius animi, transferri et in brutorum animalium animos poſſe; tum vero, quomodo ſe expediat, non habet. Namque, nec Auguſtinum ſe eſſe, nec Carteſium, dicit, ut decidendi facultatem habeat, ſeque recurrere iſta quidem in re ad Scepticiſmum. Ceterum varia adhuc, eaque ſatis egregia, proferuntur ad hanc rem pertinentia, materialiſtis illa maxime oppoſita. Denique duabus adhuc obiectionibus contra immortalitatem animorum occurritur, ſatis antea perſpicue explicatis; quae quidem omnia, cum novitatis gratiam nullam habeant, iis, quorum intereſt, perlegenda relinquimus. Sed paucis mentio facienda eſt hiſtoricae partis, quae huic diſputationi annexa eſt.

Diu multumque dubitatum eſt de eo, an Patriarchae etc. in V. T. immortalitatem animorum ſtatuerint. Super hac re multa univerſe diſputantur et egregie, quibus, e natura religionis, revelatae inprimis, petitis, id, quod poſitum eſt, affirmatur. Quibus ſubiunguntur exempla, cum quidem *Adamus, Henocus, Noachus, Melchiſedecus, Abrahamus, Iacobus, Iobus, Moſes, Davides, Salomo* denique, dicitur immortalitatem animi ſtatuiſſe: atque iſta quidem omnia, quae confirmandae rei cauſa allata ſunt, ſatis bona illa quidem, ſed ab aliis iam dicta, reperiuntur. Ioſephi quoque auctoritas affertur eo conſilio, ut eadem ſententia omni populo Iudaico vindicetur; unumque et item alterum recentiorum materialiſtarum confutat, qui ſatis impudenter illa ipſa negaverant.

verant. Atque etiam auctor libri istius, *l' ame et son immortalité*, sustinuit, Patribus Ecclesiae, primisque Christianis hanc sententiam tribuere, quae animum humanum mortalem esse censeret: cui facile poterat a Cl. Auctore satisfieri. Iam transit ad Philosophos gentiles, e quorum numero Socratem, Platonem, Aristotelem, eorumque discipulos, Zenonem item, eiusque asseclas, Senecam denique, producit: quod genus Philosophorum, quid statuerit, satis certo dici non potest. Cicero quidem Stoicos dicit animis aliquam post mortem vitam, nec perpetuam, relinquere, quod et Lipsius concedit, qui, quaecunque Seneca de vita animi post mortem magnifice dicit, ea omnia eodem modo explicat. Populorum denique etiam ethnicorum mentionem facit, qui et olim fuerunt, et cum maxime sunt, multaque de his inprimis commemorantur, ut scitu digna, ita vix alibi reperienda.

DAGBOK OVER EN OSTINDISK RESA etc.

i. e.

DESCRIPTIO ITINERIS A. 1750. 1751. ET 1752. IN Indiam suscepti, cum animadversionibus de historia naturali, lingua, moribus, et cultu diversarum regionum, edita a PETRO OSBECK. Accedunt Tabulae IX. et Appendix, continens epistolas TOERENI ad LINNAEUM.

Holmiae 1759. apud Gressingum, Alph. 1. in 8vo.

Multas hoc itinerarium complectitur res memoratu dignas, et iucundas lectu, multaque, quae ad regionum illarum, quas Auctor peragravit, faciem accuratius cognoscendam, faciunt. Si iter *Osbeckii* recte consideres, in quatuor illud capita abire videtur. Primo describitur iter in Hispaniam, et quid in ea terra acciderit: alterum habet descriptionem Gadium: tertium sistit tempus, quo in China fuit: quartum denique reditum. Nos praecipua delibabimus. Insulae Feroenses tristem praebent intuentibus adspectum:

 longae

longae ibi ſunt noctes, alti montes, iique nivibus operti, maris perpetuum murmur, et coelum triſte. Urbs Gaditana antiquiſſima eſt, bene munita, et tormentis 300. inſtructa. Aggeres, moenia, et muri aedium, e topho, ſive genere aliquo argillae, quam in mari inveniunt, exſtructi ſunt: tres quatuorve feneſtrarum ordines raro aedes ſuperant: vitreas feneſtras in nullis, niſi ditiorum aedibus, conſpicias. Ordines feneſtrarum valde ſunt alti: quaevis magna domus quadratum exhibet, et in medio aulam habet: conclavia plerumque tabulis pictis, et inaurata ſupellectile exornata ſunt. Nullos invenies fornaces, aut camina: pavimentum lateribus coctis effabricatum, et ſtragulis conſtratum viſitur. Cives ſunt alacres, faciles, promti: ſi loquantur, caput, humeros, et brachia ad ſermonem movent, unde oratio illorum efficax. Mores faciles, ipſorum militum, ab advenis valde celebrantur: aedificia publica, ut templa, oratoria, monaſteria, magnam pulchritudinem prae ſe ferunt. Etiam ex marmore nunc ibi templum aedificatur, ad quod exornandum iam inde a longo tempore ſumtus cives conferunt. Hiſpani ſcholas ibidem habent, in quibus pueros initia ſuae doctrinae, et repetitionem Miſſae, docent: raro aliam linguam quam vernaculam tradunt. Praeter Ieſuitas nemo latinam linguam novit, atque etiam cum his difficulter loquaris, ob corruptam et ſingularem pronunciationem, v. c. *miki* pro *mihi*. Carmina Hiſpanica magni aeſtimant, inprimis poetae *Quevedo*, cuius comoedias perpetuo agunt et formulis deſcribunt. Reliquarum litterarum facies eſt miſerrima, et quam vehementer homines docti deplorant. In Gadibus bibliopegi in tabernis aliquot libros vendunt, religionis Hiſpanicae doctrinam complectentes, ſed peſſime impreſſos et ligatos: paullo nitidiores ſunt libri Francici, ad hiſtoriam naturalem et civilem, et ad medicinam pertinentes. Inquiſitores valde cavent, ne laici biblia legant, id quod facile efficiunt: pauci enim intelligunt latina, et in Hiſpanicam linguam translata Biblia non habent. Omnis liber, a Proteſtantibus ſcriptus, examinatur ab Inquiſitoribus, priuſquam in urbem inferatur.

Ali-

Alimenta advenae Sueco incognita ſunt et peregrina, ut radices, fungi, et panis albus. Diebus conſtitutis nullum cibum accipies, neque ſi aegrotus ſis, ſine permiſſione. Optimum vinum, et quo maxime delectantur homines, eſt *Xeres de Fonteira*, unde ſpiritum vini eliciunt, tam fortem, ut loco aquae fortis ſit. Artifices plurimi ſunt natione Galli aut Itali, et perquam caro operam ſuam locant: negotiatores maxima ex parte ſunt natione exteri. Hiſpani ad vehendas et portandas res aſinis utuntur et mulis, quos Auctor fecundos eſſe poſſe aſſerit. Advenis ſemper cum armis eſt incedendum: latrocinia in his regionibus rara, frequentiſſima ſunt in Andaluſia. Eſt in proverbio Hiſpanis: ſi tibi occurrat Andaluſius, ſigna te cruce: ſi e Sevilia, duabus te manibus ſigna: ſi Corduanus, ſigna te manibus pedibuſque. — Inſula Teneriffa, ob nudos montes, iniucundum adſpectum praebet; ſed dicunt illam interiorem fertilem eſſe, plurimoſque fructus, ut ficos, citra, et inprimis vinum, gignere. Vitulus marinus, ab aliis catulus maior plerumque appellatus, eſt animal viviparum, capiturque catena, ligno affixa, cui adhaeret uncus piſcatorius, adfixa carne, quam ille devorat. Vel cauda et capite abſciſſis, totam per horam adhuc vivit, etiam cum inteſtina extracta ſunt. In ſtomacho invenitur caro, et gallinae, quae e navibus in mare deiectae, et adhuc plumis contectae conſpiciuntur. Cum capitur hoc animal valde homines attenti ſunt, et ſibi cavent, facili enim opera digitos devorat. Maiores vitulos nunquam, minores raro comedunt incolae. In cavitatibus oculorum materia quaedam albida invenitur, quae poſtquam arida facta et in pulverem redacta eſt, uſum habet in medicina. Animal hoc comitantur ſemper duo piſces, alter echeneis, alter ſcomber. — Incolae inſulae Iavae nudi incedunt, excepta faſcia quadam, qua mucro inſeritur. Haſtis utuntur venenatis, cum ad pugnas, tum ad nuces aperiendas. In digitis habent annulum, lapillo gemmeo ornatum: corpore ſunt mediocri, oculis et capillis nigris, dentibus nigricantibus, oculis et labiis parvis, ore amplo, et imberbes. Sunt praeter-

rea officiosi, ingenui, faciles, benevoli: si quid illis eripias, tam facile terrentur, quam infantes. Domus eorum quatuor fulcris innituntur, fronde nucum tectae, omni ab latere apertae: hic noctu ignem accendunt, quo bestias abigant. Vendunt nuces, gallinas, batos, saccharum, citros grandes, alia; pro quibus specula, cultros, vitra, acus, et talia accipiunt. Est etiam ibi genus quoddam simiarum, quas *Tiaeko* navigatores appellant, et quarum descriptionem Auctor exhibet. Praecipue enim illud operam dedit, ut, si qua ex historia naturali occurrerent, accurate de iis dissereret. Atque bene, si qui harum rerum studio teneantur, illarum scientiam inde petent. Affert etiam plures coniecturas de antiquitatibus Chinae, ingeniosas illas quidem, sed fortasse a veritatis specie longius remotas. Copiose inprimis navigia Chinensium describuntur, quae *Lam — pan* vocant. — Interiores partes aedium papiro sunt obductae, quae, licet admodum sint laeves, lacertae tamen tanta celeritate per muros cursitant, ut capi non possint. Nemini tamen aliquid detrimenti afferunt, sola insecta quaerunt, quibus se alunt. *Canton* unica est urbs, qua commercia habent Europaei: muri constructi sunt saxis quadratis, quibus milites insistunt: hos lapides in exteros devolvunt, si quando propiores fiant muro. Auctor vehementer studuit et indolem medicamentorum Chinensium cognoscere, sed frustra. Ignorant Chinenses nomina, quibus nos morbos designamus, neque describere illos sciunt: atque etiam, si quando aegrotent, se in gynaeceis abdunt, quo extero venire non licet. Quamvis etiam libenter aliquid novi et audiunt et discunt, mentiuntur tamen, cum interrogati respondent. Plurimarum rerum artifices et opifices sunt Chinenses, quas Auctor commemorat, ut et illa, quae negotiatores exteri ab illis emunt. Maximam causam, cur tanta sit hominum in China frequentia, Auctor perpetuam cupiditatem incolarum esse putat, patriam nunquam deserendi. Anglicanus quidam nauta vix ac ne vix quidem quibusdam persuadere potuit, ut se in Indiam comitarentur, licet prima occasione illos redituros esse

esse sancte promitteret. Potus, quo vulgo utuntur, est Thea sine Saccharo, et deterrima quaedam aqua vitae, quam *Samsou* vocant. Ubi convivio se invicem excipiunt, quisque vasculum alteri ad os admovet, et potum infundit. Neque ante, neque post prandium, salutant se invicem. Victus frugalis est et simplex. Porcos in aedibus suis habent et alunt, non aliter ac Europaei canes. Sunt enim magis mundi, neque se in luto volutant. Vites sunt nullae in China, sed vinum e fructu quodam, qui *Pausio* audit, conficiunt. Intolerabilis est sapor huius potus, a quo Europaei prorsus abstinent. Plurimos vidit Auctor coecos, et causam sciscitatus a Chinensi, accepit, hoc inde oriri, quoniam se mane aqua calida lavent. Sed plurimi coeci nascuntur. Spectacula exhibent sub dio, et comoediis valde delectantur, e musica et actione compositis. Multa deinceps ab Auctore de fertilitate terrae, de festis, de animalibus, disseruntur. Mores et animos Chinensium ita depingit, ut vix eos bonos viros putare possis. Exterum, ait, non solum in campo incedere debere; statim illum lapidibus peti, aut ludibrio haberi. Sed hos mores plebem tantummodo adamare addit. Plurima A. narrat exempla, quibus furacissimum incolarum ingenium apparet. Europaeis propria claustra adferenda esse, nam Chinensium pluribus clavibus reserari. Hisce adiungit plura exempla peregrinorum, qui rapaces et uncas Chinensium manus experti sint.

NOVA LITTERARIA.

ELISABETA AUGUSTA, Scientiarum atque Artium Promotrix Optima, Maxima, in legibus Academiae Imperialis Petropolitanae, a Se instauratae, clementissime prudentissimeque iussit, *ut Praeses publicari quotannis curet problema erudito orbi solvendum, praemio centum aureorum proposito illi, qui feliciorem prae caeteris solutionem illius argumenti exhibuerit.* Huic munificentiae, Scientiarum incremento insigniter profuturae, ea, qua solet, solertia responsurus *Excel-*

lentissimus Academiae Praeses, Praepotens minoris Russiae Hetmannus, AUGUSTAE *Camerarius ordinarius, Legionis Praetorianae Ismailovicae Protribunus, Ordinum Equestrium S. Andreae, Aquilae albae, S. Alexandri, et S. Annae Eques,* CYRILLUS COMES RASUMOWSKI, post adiudicata annis 1755. et 1756. praemia, alias iterum quaestiones curavit proponi, has nempe:

In annum cIↃIↃCCLVII.

Motus diurnos planetarum circum axes proprios, in primis Veneris vertiginem, cuius commodissime determinandae copiam annus 1756. *faciet, accuratius observare, et inconcussis observationibus, iisque novis, una cum positione aequatorum, demonstrare atque definire.*

In annum cIↃIↃCCLVIII.

1) *Qua praerogativa constent magnetes artificiales prae naturalibus?* 2) *Quae sit optima eos conficiendi methodus?* 3) *Utrum phaenomena nova, per magnetes artificiales detecta, theoriae magneticae adhuc propositae satisfaciant? Si minus, ut quis novam eorum phaenomenorum explicationem suppeditet.*

In annum cIↃIↃCCLIX.

Sexum plantarum argumentis et experimentis novis, praeter adhuc iam cognita, vel corroborare, vel impugnare, praemissa expositione historica et physica omnium plantae partium, quae aliquid ad foecundationem et perfectionem seminis et fructus conferre creduntur. Praemium itaque, et sexum plantarum defendentibus, et impugnantibus, offertur.

In annum cIↃIↃCCLX.

Indagare experimentis refractionem radiorum lucis in diversis corporibus, tam solidis, quam fluidis, indeque eruere, quantum diversae gravitati specificae corporum, quantumque variae particularum cohaesioni, aut principiis corpora constituentibus, magnitudo refractionis debeat, idque omne per theoriam, quae institutis experimentis respondeat, explicare.

Quod

Quod ad priorem quaestionem attinet, eadem ratio, quae prorogationem praemii iam bis suasit, nunc quoque collationem eius suspendere potuisset. Nulla enim ab eo quoque tempore dissertatio ad Academiam pervenit, quae observationes novas circa Veneris motum factas contineat. Perpensa autem raritate et difficultate huius generis observationum, ut quae in ipsa quoque Italia, sub faventissimo alias coelo, capi optato tempore non potuerunt, Academia ab ista conditione desistit, et selecta ex theoreticis argumenti tractationibus optima, illi praemium decernit, quae lemmate: *Tardi ingenii est rivulos consectari* etc. notatur. Post schedulam resignatam compertum est, auctorem huius dissertationis esse *Io. Albertum Eulerum*, Academicum Berolinensem.

Simili modo de dissertationibus alteram quaestionem illustrantibus anceps haesit Academia, antequam de praemio conferendo aliquid statueret. Continebat enim quaestio duas partes, practicam alteram, alteram theoreticam, quibus in nulla dissertatione plene satisfactum est. Est autem dissertatio, lemmate insignita: *A scintilla una augetur ignis,* reliquis praestantior, eademque ob methodum magnetes artificiales conficiendi perfectiorem redditam praemio condecoratur. Huius auctor in schedula adiecta nomen et conditionem suam ita expressit: *L'Auteur de ce Memoire est* Antheaulme, *Syndic des Tontines à Paris.*

De tertia quaestione una inter omnes tractatio eminere visa est, quae quo minus praemio afficeretur, dubios reddidit iudices lemma adscriptum: *Famam extendere factis:* quia eo ipso auctor iam sub adspectum dissertationis cognitus reddebatur. Ast ex tractatione quoque celeberrimum *Linnaeum* cognoscere non grave fuisset. Ideoque haec difficultas impedimento non est, quo minus Academia praemium botanicum, de sexu Plantarum stabilito, conferat eleganti dissertationi *Caroli Linnaei*, Equitis de Stella Polari, Serenissimi Regis Sueciae Archiatri, Doctoris atque Professoris Medici in Academia Upsaliensi, multarumque Academiarum Socii.

De

De tribus itaque quaestionibus propositis promisso se liberat Academia. Restat quaestio in annum praesentem 1760. proposita, de qua cum unica tantum dissertatio, eademque nulla nova experimenta continens, ad Academiam pervenerit, collationem praemii in alíud tempus, donec quaestioni satisfactum fuerit, differre statutum est.

Praeterea in annum cIↄIↄCCLXI. proponitur *quaestio:*

Determinare Theoriam perturbationum, quas patiuntur Cometae in motu suo ab attractione Planetarum, et demonstrare, quantum haec theoria cum observationibus Cometae anni 1759. *conveniat?*

In annum cIↄIↄCCLXII. haec:

Investigare, quantum imperfectiones tuborum opticorum et microscopiorum, ex diversa refrangibilitate radiorum, ac figura vitrorum sphaerica ortae, per combinationem plurium lentium corrigi, aut imminui queant, atque theoriam praxi aptare, et per experimenta comprobare.

Pro solutione cuiusque quaestionis optima praemium centum aureorum promittitur, sub iisdem conditionibus, quae adhuc obtinuerunt.

Invitantur ergo omnium gentium Viri docti, ut cogitata sua atque observata de qualibet quaestione ante diem 1. Iunii cuiusque anni cum Academia communicent.

Publicatum in Conventu Academiae solemni die VI. Septembris. Petropoli, cIↄIↄCCLX.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiae

Calendis Octobris Anno M D C C L X.

CLAUDII CLAUDIANI OPERA, QUAE EXSTANT, omnia, ad membranarum veterum fidem castigata: cum notis integris Martini Antonii Delrii, Stephani Claverii, et Thomae Dempsteri, auctioribus Nicolai Heinsii, et ineditis Petri Burmanni. Accedit Sylloge variantium lectionum, ex ingenti numero codd. MSS. a N. Heinsio collatorum digesta: subiungitur Lactantii Elegia de Phoenice, vulgo Claudiano adscripta, cum curis secundis Nicolai Heinsii, et adnotationibus PETRI BURMANNI secundi.

Amstelaedami 1760. ex offic. Schouteniana, Alph. 6. in 4to mai.

Saepius laude nostra atque admiratione prosecuti sumus ingenium, doctrinam, alacritatem, mirificumque de humanitatis litteris bene merendi studium *Petri Burmanni.* Nam cum totam per vitam illud potissimum operam dedit, ut priscum, et amissum prope, (hominum ne dicamus, an temporis iniuria?) nitorem et decus Latio restitueret; tum plurimorum veterum auctorum editionibus adornatis egregiam eruditae reipublicae operam navavit. Atque etiam vehementer laetamur, neque ipsa viri cel. morte fontem illum limpidissimum, qui, multos in rivos diffusus, amoenos Musarum hortulos elegantiore doctrina irrigabat, exaruisse. Etenim, posteaquam schedae illius in manus Cl. *Burmanni* per-

pervenerunt, utile hic litteris ac periucundum nobis cepit consilium, eandem Claudiano, quam Virgilio navarat, operam praestandi, atque viri beati adnotationes in hunc poetam e tenebris in publicam lucem producendi. Nam etsi fortasse *Burmannus* senior, quo erat ingenii acumine et doctrinae copia, si fata illum diutius in vivis esse atque suas animadversiones ipsum edere voluissent, alia mutaturus, alia deleturus, plura uberius illustraturus erat, ut deinceps aliquot exemplis docebimus: neminem tamen fore arbitramur, qui nihil omnino, quam inchoatas et imperfectas *Burmannianas* observationes, habere malit. Age vero, copiosius de iis agamus, quae hac editione continentur, et quae a Cl. Editore in praefatione accurate exponuntur, unde praecipua delibabimus. Vere enim nobis et docte de virorum doctorum laboribus iudicare videtur, si ea excipias, quae p. 22. de *Barthii vaegrandi*, ut ait, *Commentario* dicit. Nescimus quidem, quomodo accidat, ut inde ab aliquo tempore quidam apud Batavos Critici adeo in bonum nostrum *Barthium* invehantur, ut quasi coniurasse adversus eum videri possint. Cum vero diffusas eruditionis copias, ex omni antiquitate repetitas, atque ex vasto litterarum ambitu a nostro congestas, neque possint, neque audeant illi denegare, inde ad alia dilabuntur; qualia sunt quae Cl. Editor monet: *Barthium saepe parum ad poetae sui emendationem conferre, neque eum semper acutissima aure ad poetas iudicandos consedisse, observationes vero eiusdem parum ad auctores ipsos, quos tractet passim, facere.* Fatemur quidem, *Barthio,* si quando ex ingenio Scriptoribus suis medicinam facere velit, non satis semper feliciter rem succedere; atque etiam illud addimus, eundem nimio obsoletarum et antiquarum formularum atque vocum amore eo interdum abripi, ut malarum et aperte falsarum lectionum defensionem suscipiat, unde *Burmanno* seniori p. 71. *magnus archaismorum amator* audit. Largimur etiam, *Barthium* in iudiciis de lectionum varietate ferendis, in coniecturis proferendis, atque lectoribus probandis, in arte denique critica exercenda, *Nicol. Heinsio* palmam concedere.

dere. Sed primum, neque emendationes *Barthianae* ſemper ſunt contemnendae, quarum bonam partem codicum auctoritate confirmari animadvertimus: deinde, ſi idem cum aliis comparetur, et iis quidem, qui ſibi in Parnaſſo dormiviſſe, et inde pectus plenum ſapientia critica retuliſſe videntur, quam verecundus eſt! quam modeſtus et religioſus! Multa quoque a noſtro proferri videmus, quae abeſſe poterant, licet docte et iucunde diſputata. Verum hoc nomine illum a Cl. Editore reprehendi, miramur, cum ipſe Batavorum vineta hoc modo caedere videatur. Habet enim cum plurimis eorum hoc vitium, ſi ita dicendum eſt, *Barthius* commune. Excerpas, quaeſumus, e Dorvilliano illo in Charitonem commentario, in quo ampliſſima et uberrima omnis doctrinae ſeges effloreſcit, et quo nemo Graecarum litterarum ſtudioſus aequo animo careat, ſed excerpas, quae praeter neceſſitatem ibi prolata fuerunt, quam exiguam particulam animadverſionum Charitonem ſibi vindicare videbis. Sed tutus fortaſſe, et nullo impediente, *Barthius* ingenii et doctrinae gloria perfrueretur, niſi Germanus natus fuiſſet. Atque haec obiter, neque in cuiusquam opprobrium. Nunc ad ipſam Claudiani editionem accedamus.

Primo loco poſitae conſpiciuntur notae *Martini Antonii Delrii*, ex editionibus Theodori Pulmanni Plantinianis a. 1572. 1585. et 1596. repetitae: hunc Cl. Editor Claudiano caſtigando non inutilem, etſi tenuiorem, operam navaſſe, iudicat. Magis *Delrium* doctrinae, lectionis infinitae, et collectaneorum perite conficiendorum induſtriae, quam *ἀκριβείας* criticae nomine laudari. Longe vero cultioris eruditionis, et ingenii humanioris, ſcripta eſſe ea, quae Muſis et elegantiori Themidi deditus edidiſſet; cum contra ad piperatas tabernas damnari dignae ſint futiles quiſquiliae, quibus orbem litteratum obruiſſet tum, cum ſe cucullato emancipaſſet Ieſuitarum gregi. Sed etiamſi commentarium *Delrii* in Tragoedias Senecae multiplici eruditione refertum eſſe fatemur, tamen *infinitam* illam *lectionem* in hiſce adnotationibus, niſi perpaucis in locis, nobis reperire non licuit.

licuit. Saepius steriles sunt, et quibus non invitus careas. Secundum locum occupant notae *Stephani Claverii*, qui Claudianum a. 1602. Parisiis edidit. Idem huic Noster, quod Heinsius, crimen obiicit: cum saepe Cuiacianas coniecturas pro librorum veterum MSS. lectionibus arripuisse, et lectoribus passim obtrusisse. Notas eius, licet plurima bonae satis frugis, neque indocta complectantur, stilo tamen duro, ingrato, et adeo obscuro conscriptas esse, ut lectori saepe difficile sit sensum illarum divinare. Nos quidem, etsi bis terve epistolam *Claverii* ad Galliarum Delphinum legimus, nondum tamen vel prima illius verba concoquere potuimus. Quam bella enim haec: *Ubi primum, alme Princeps, dulce illud nativitatis tuae serenum mundo se exseruit, ipsa coeli positura modulato, si unquam alias, concentu affici visa est: nam et Gallias favorabilis quaedam invasit trepidatio, et rerum facies paullo ante nubila candore lacteo fuit laetabilis, ut nec meliore nota splendeat galaxias, spirent etesiae, pariant alcedones.* In laudibus porro, ait, Cuiacii ubique decantandis, magis illum abiectum adsentatorem, quam ingenuum et gratum laudatorem referre: eidem tamen laudem industriae eruditae et criticae, in exhibendis veterum codicum lectionibus, diligentiae, propter adnotationes has Claudianeas, notasque in Persium, relinquendam esse. Praeterea nos intelleximus, *Claverium* plerumque tum disertum esse, quando aliquid ex historia illorum temporum depromere, et facili opera multa dicere potuit. Claverianas excipiunt notae *Thomae Demsteri*, ex editione a. 1607. Flexiae adornata depromtae, addita digestione historica operum Claudiani. Agnoscit in illis, ut et aliis Demsteri scriptis, Vir Cl. multiplicem lectionis eruditae copiam magis, quam diiudicandi vim et limam, laudandam esse, easque saepe parum ad emendationem poetae facere dicit. Nobis quidem, ut *Claverius* in historia, ita *Demsterus* in antiquitatibus, valde loquax videtur. Nam cum in harum studio illum quasi domicilium sui ingenii collocasse notum est; tum huc quoque pleraeque illius adnotationes pertinent. Monet etiam plerumque ea, quae satis nota vel iis sunt,

qui

qui vix a limite has Musas salutaverint, et rectius omitti poterant. Quis ignorabat v. c. quoties aut laeta aut tristia accidissent, toties variam fuisse de diis opinionem, p. 29. cui ignota erant, quae p. 36. de auguriis ob sponsalia contrahenda captis; p. 37. de dea Statina, et more infantes natos humi deponendi; p. 41. de luna magicis cantibus e coelo devocanda; p. 45. de septem ostiis Nili; p. 52. de trabea; p. 61. de pavore, Martis famulo, monentur. Atque eiusmodi plura, facile, cui otium est, inveniet. Ubi vero obscuriora poetae verba illustranda, ubi difficilior sensus explicandus, tum altum silentium. Quid multa? cum et Vir Cl. non obscure prae se ferat, et res ipsa doceat, non adeo magnum pretium horum trium adnotationibus statuendum esse, quid opus erat illas repetita editione iterum edere, molem libri gravare, et nimium pretium augere? Sed pergamus. Quartum, si ordinem, sed primum, si praestantiam earum spectes, vindicant sibi locum notae *Nicolai Heinsii*, sospitatoris illius latinorum poetarum. Primum hic Claudianum edidit a. 1650. Lugduni Batavorum, suaeque editioni curandae et corrigendae praeesse voluit Io. Frid. Gronovium. Codicibus usus fuit tum vir doctus octo et viginti, quos maxima ex parte in itineribus suis excusserat. Iterum deinde peregrinatione in Gallias et Italiam instituta, plurimos alios codices evolvit, librorum plus quam quadraginta copiam nactus. Inde prodierunt in maiori editione Elzeviriana Amstel. 1665. curae secundae, quibus Schrevelius, pro more suo, laceras variorum notas magis adiecit, quam addidit. Haec igitur editio, eaque plurimis mendis foedata, cum *Heinsio* parum probaretur, tertias ille curas meditatus est, et notas non paucis accessionibus ornatas et locupletatas reliquit, quae post obitum viri summi in manus *Burmanni* senioris pervenerunt. Hic vero, (nam de adnotationibus paullo post dicemus,) cum veterum aliquot codicum lectiones addidit, tum diligenter editiones vetustas contulit, ut Parmensem Thadaei Ugoleti a. 1493. Vicentinam Barnabae Celsani a. 1482. quae ex antiquo codice tam

accurate edita, ut, vel ſcriptura mendoſa exhibita, codicis MS. vicem praeſtet; Aldinam, a. 1523. et Pariſienſem Colinaei, a. 1530. Noſter denique, ea exemplaria nactus, quibus Heinſius codicum plurimorum lectiones adſcripſerat, et quarum praecipuam tantum partem, quam ſuo inſtituto inſervire videbat, in notis propoſuerat, atque etiam alia, tum e Patrui, tum e ſua ſupellectile depromens, gratiſſimo munere rei criticae ſtudioſos ſibi devinxit. Etenim uberrimam variantium lectionum ſyllogen, codicum *octo et quinquaginta* ſcripturas diverſas complectentem, in unum faſcem coniecit, atque ſeparato a notis loco, ſub finem Claudiani carminum exhibuit. Obſtupeſcent, credimus, lectores noſtri, ad tantum codicum numerum, quantum nos quidem non recordamur ad alium quemquam veterum auctorum congeſtum fuiſſe. Habebunt profecto artis criticae periti, quo dubias huius poetae lectiones illuſtrent, et mendoſa, ſi qua reſtent, bene et feliciter emendent. Nimis longum eſſet, ſingulorum codicum recenſionem inſtituere; mentione tamen potiſſimum digni videntur: codex Vaticanus, licet mutilus, optimus tamen, et ante ſeptingentos annos ſcriptus: codices duo Ambroſiani, Puteanaeus, S. Salvatoris Bononienſis, Petavianus, et alii ante quingentos annos exarati. Si autem eorum numerum inire velis, quae Vir Cl. ex libris cum manu, tum formulis deſcriptis addidit, quatuor et ſexaginta librorum excerpta exhiberi videbis. Hanc Syllogen excipiunt breves adnotationes *Heinſii*, ex ſchedis eius excerptae, et duas plagulas implentes. In calce denique huius operis Vir Cl. *Elegiam de Phoenice*, ab his Lactantio, ab aliis Claudiano, Venantio Fortunato, Theodulpho tributam, et quam minime inter inculta aevi ſequioris monimenta poetica referendam eſſe cenſet, propoſuit. Huius illuſtrandae cauſa non ſolum Heinſianas notas, quas ſecundis curis non leviter auctas habuit; ſed etiam, quoniam *Burmannus* ſenior nullas in hoc carmen notas reliquit, ſuas inſeruit. Uſus eſt excerptis codicis Medicei, duorum Vaticanorum, trium Suecicorum, quibus addas codicem Hafnienſem, Bartholinianum,

num, Lambecianum, Maerianum, Lincolnienſem, et Bodleianum, quorum lectiones diligenter in notis commemorat. Praeter Voſſiani codicis lectiones inſpexit etiam vetuſtas editiones: primum tres antiquiſſimas Lactantii Romanas, a. 1468. 1470. et 1474. in quibus haec Elegia primum edita eſt; deinde Venetam a. 1502. a Pierio Valeriano caſtigatam; tum Aldinam a. 1515. Iuntinam a. 1513. et reliquas Lactantii editiones vetuſtas et recentiores. Adſperſit ſubinde obſervationes et coniecturas acutas Cl. *Oudendorpii:* ipſe vero illud potiſſimum agit, ut vel veterum codicum ope loca corrupta emendet, vel emendationes *Heinſii* confirmet, vel denique verba poetae ab audacioribus Criticorum, praeſertim *Petri Francii*, hariolationibus vindicet. Additi ſunt etiam indices copioſiſſimi, et multa diligentia confecti, qui procul dubio illis gratiſſimi futuri ſunt, qui ex indicibus tam lubenter ſapiunt, ut hos fontes inprimis adeant. Haec nobis de tota Claudianeae editionis deſcriptione dicta ſunto. Nunc ipſas Cel. *Burmanni,* ſenioris, adnotationes inſpiciamus, et excutiamus.

Animadvertimus autem virum doctum illud praecipue operam dediſſe, ut primum *Heinſii* emendationes, ſaepius nimium acute et ingenioſe excogitatas, refutaret, atque etiam de lectionibus illi probatis ſententiam diceret; deinde obſcuriora Claudiani loca apte interpretaretur, explicaret, atque illuſtraret; et denique ex ingenio verba poetae emendaret, ſi quando ſenſus hac medicina egere videretur. Singula haec ſpeciminibus aliquot clariora reddemus. Ad Conſ. Olybr. v. 6.

Iam nova germanis veſtigia torqueat annus
Conſulibus,

legendum videbatur *Heinſio*, *faſtigia,* eoque verbo conſularem dignitatem indicari putabat. Sed merito tuetur *Burmannus*, *veſtigia*, et recte, ſe non videre, ait, quid *torquere faſtigia* ſignificare poſſit: verum redeuntem annum in ſua veſtigia recte ea *torquere* dici, ut apud Virg. *ad ſonitum vocis*

veſti-

veſtigia torſit, et ita aeſtas *retorquere vias* dicitur Idyll. I. 27. Ibid. v. 120.

Procubat horrendus Getico Gradivus in Haemo,

bene reiicit lectionem cod. Leidenſis, quae *Heinſio* optima audit, *horrendum;* nam et in exemplis ab *Heinſio* adductis, et alibi, nullum reperiri, unde appareat, eleganter dici, *iacere* vel *cubare horrendum:* ſed adiuncta verba vel ſonitum aliquem, vel externum corporis habitum, quibus terror incutiatur, notare. Heinſianam lectionem etiam Cel. *Geſnerus*, etſi alia ratione, improbat. Praef. in Ruf. I. v. 5.

Iam liber Parnaſus erat, nexuque ſoluto
Coeperat erecta ſurgere fronde nemus.

Mavult *Heinſ. ſolutum.* At, ait Noſter, Ovid. IX. Met. 358. *vix ſolvi duros a corpore nexus;* ita *ſolvere vincula* aeque dicimus, ac *ſolvere vinculis:* ſic *loris ire ſolutis* Ovid. I. Art. 41. eodem modo ut hic. In Ruf. I. v. 152. lectionem vulgatam: *et Scythicae vernant in gramina rupes,* tuetur contra *Heinſium*, qui mavult *in carmina.* Rupes enim hiemis faciem referre in Scythia, cum nudae et nivibus obrutae ſint; ſed iuſſu magarum induere ſe in gramina magica, et ita veris ſpeciem referre. *Vernare* dici loca quae producant more veris gramina, flores, etc. et in rupibus Scythiae herbas in uſum magicum pullulaſſe. Nos vero etiam ideo *Heinſ.* emendationem reiicimus, quoniam *vernare in carmina* audacius dictum eſt, quam ut vel Claudiano, licet non ſemper a tumore alieno, illud in mentem venire potuerit. Non bene diceret poeta: *vernat in carmina campus,* id eſt, hoc loco calami creſcunt, aut buxus, unde poeta ſibi tibias conficiet, quibus carmina ſua decantet: ſed ferendum hoc, licet non bellum. At ſi aliquis dicat, *campus creſcit in carmina,* id eſt, hoc loco creſcunt herbae, quas ad artes magicas adhibent veneficae, carmina ſimul et incantationes decantantes, tum hercle! non poetice, non eleganter, ſed vix humano more loqueretur. Ibid. v. 296. defendit vulgatam:

Vis Hydrae, Scyllaeque fames, et flamma Chimaerae:

pro quo malebat *Heinſ. Scyllaeque canes.* Nam quia vis et flamma

flamma legatur, aptius hic *fames*, qua Scylla omnia abſorbeat, retineri. *Canes* a gloſſatore eſſe. Bene etiam Cel. *Geſnerus* ad h. l. *Scyllae canes*, ait, *quos attulit* Heinſius, *eruditi certe librarii ſunt* etc. In Ruf. II. v. 325.

— pigrasque ſopor diffuderat alas.

Non probat *nigras alas*, ab *Heinſ.* hoc loco ſomno datas. Nam ut Mercurio apud Ovid. Ep. 16, 61. *Conſtitit ante oculos actus velocibus alis*, et Perſeo Met. IV. 723. *Ille avidos morſus velocibus effugit alis*, veloces alae tribuantur: ſic etiam ſomno, pigro deo, recte pigras alas dari. Claudianum etiam ſupra L. I. 123. de Megaera:

Pigraque veloces per Tartara concutit alas,

et de torpedine Idyll. III. 17.

Pigra venenatis effundit flamina venis.

Ibid. v. 339. *Proſiluit ſtratis*, non probat *deſiluit*, quod *Heinſ.* placuerat. Illud enim notare, Rufinum ſimul ex cubiculo progreſſum ad ſocios et domeſticos, cum *deſiliens* in cubiculo ſuo manere potuiſſet. Sed, ut verum fateamur, neque *proſiluit* nobis hoc loco placet. Nam, licet bene dicatur penetralibus proſilire, cubiculo, tenebris, ſilva proſilire; neſcimus tamen an aeque bene dicatur, lecto, toro, ſtratis proſilire, cum haec vox abſconditum aliquod et abditum denotet, e quo repente excedas aliisque appareas. *Deſilire* vero multis modis defendi poteſt. Ibid. v. 459.

— nigrique trahunt ad iudicis urnam,

non probatur Noſtro emendatio *Heinſ. Stygii.* Hoc enim colore omnia apud inferos infecta fingere poetas, et Plutonem *nigrum deum* appellare Ovid. II. Ep. 70. Met. IV. 438. et multos alios. In III. Conſ. Honor. v. 75. 76.

campique cruenta

Tempeſtate frui, truncisque inmergere plantas?

hoc *inmergere* non mutandum eſſe cenſet, et laudat Sil. XI. 247. de leone taurum mandente, *immerſi gravis unguibus haeſit*, addens: *non ſatis capio. an truncis, id eſt, cadaveribus, quibus caput eſt abſciſſum, imponere pedem, ut collis ſolebant domitorum imprimere?* Sed facilis nobis huius loci ſenſus vide-

 tur.

tur. Nempe putamus dici, illum in campo, pleno funeribus, et cadaverum cumulis obruto, laetum incedere, et per corpora lacera, confossa, ideoque sanguinolenta, ambulare, ea pedibus calcare, et inde *immergere plantas* sanguini, sive pedes cruore inficere. Bene enim notat Cel. *Gesnerus*, non fortitudinem, sed sanguinarium, crudele, et brutum pueri ingenium pingi. Ib. v. 109. recte monet Vir Cl. aliud esse illud Virgilianum ab *Heinsio* prolatum:

Praepetibus pennis ausus se credere coelo,

aliud hoc Claudiani:

Distulit Augustus cupido se reddere coelo.

Nam, si *credere* legas, videri poetam indicare, quasi diffideret Theodosius, sed illum modo distulisse se cupienti et desideranti coelo reddere. Facile patet, adulationem hanc esse, non inusitatam veteribus, ut illud Horatii: *Serus in coelum redeas.* Nihil apertius et verius hac lectione, si contextum inspicias. Ibid. v. 174.

quibus esse sodalis

Dignetur stellis, aut qua regione moveri:

non assentitur *Heins.* qui *morari* praefert. Illud enim de ortu et occasu stellarum passim dici, et melius convenire sequentibus, ubi lassum a motu illo in Hispanas undas descensurum esse poeta dicat. In IV. Cons. Honor. v. 46.

Haec tamen —

Non generis dono, non ambitione potitus:

bene reiicit *Heins.* emendationem, nimis alte repetitam, *generis nodo. Donum generis* dici, ut munera et dona fortunae; sic ap. Ovid. *fortunae munere factus eques.* Ib. v. 53. non absurdam quidem esse dicit *Heinsii* coniecturam:

Quum Geticis lugens premeretur Mysia plaustris:

sed nihil tamen contra codices esse mutandum. *Ingentem Mysiam* esse totam, omnem, qua pateat, nulla parte excepta, ut Valer. Flacc. IV. 210. *ingens Asiae plaga.* Ibid. v. 389. pro

— emisso quidquid sol imbuit ortu,

mavult *Heins. ambit ab ortu,* et pro *emisso, emerso.* Verum

Noster

Noster se illud mutare non audere dicit, cum facile τὸ *imbuit* possit explicari pro adspergit, prima luce illustrat, emissa ex Oceano. Imbuere enim esse quasi primo liquore adspergere: unde Virg. Georg. I. 288. *sole novo terras inrorat Eous*; et alibi *spargere novo lumine,* quia sol ex Oceano surgens rorare adhuc credebatur. Elegantiam vero nullam adesse, si poeta dixisset, *quidquid Sol ambit ab emerso ortu:* ambire, complecti, continere orbem et omnia, solem dici centies, ubi de toto eius cursu agatur, sed hic de solo Oriente agi, qui opponatur Italiae et Occidenti. Imbuit vero sol a primo limine, sive ortu suo emissus, Eoas partes, mox pleniorem lucem daturus meridialibus partibus. Nos violentam *Heins.* coniecturam minime probamus, atque etiam bene meminimus, Cel. *Gesnerum* aptissimum e Statio locum attulisse, *vix dum emissa dies:* sed, sive *emisso ortu* cum *imbuat* coniungas, sive illud absolute positum esse dicas, nondum tamen concoquere possumus locutionem asperam, *ortum emittere*, aut *ortu imbuere.* Radios emittit sol, iisque illustrat orbem, et quasi imbuit. Novimus quidem, a poetis Soli *os* et *orbem* tribui, quae cum *ortu* aliquam similitudinem habent; sed periculosae est plenum opus aleae, aliquid contra codices tentare. Ib. v. 636. vulgata habet:

Istos sanguineos egit, te Consule, fluctus,
Alpinos genitor rupit, te consule, montes:

unde *Heins.* qui alterum versum suppositum putat, effingit: *Ister — montes.* Noster, *montes* dici de aqua vehementi tempestate concitata obvium esse, sed de fluvio volvente cadavera, aut sanguineam aquam, dici, inauditum esse fatetur: etiam τὸ *egit* notare currentem fluvium; et licet poetae saepe fingant fluvios sanguine et cadaveribus plenos, sanguineos tamen montes admodum displicere. Dignus est Cel. *Gesnerus,* quem de hoc loco consulas. Fere enim eadem sentit. De Nupt. Honor. et Mar. v. 83.

Et lasciva volant levibus periuria pennis,

nihil mutandum vir doctus esse censet, neque cum *Heinsio* *ventis* reponendum. Nam dubitari posse, an recte dican-

tur *periuria volare ventis*, ſed illa pennis levibus fugere, ut vana, irrita, et pondere carentia, atque in ventos recedere: *leves* vero *pennas* paſſim occurrere, ut apud Ov. Amor. III. 5, 21. et Met. II. 581. De bell. Gild. v. 39.

Quid referam morbive luem, tumulosve repletos
Stragibus?

Mavult *Heinſ. cumulos*. Verum non immerito dubitat Noſter, an aeque recte dicantur *cumuli repleri*, ac *tumuli*, id eſt ſepulchra. Cumulos aggerari, congeri, tolli, creſcere, etc. dici, ſed *repleri* improprie admodum. Quare *tumulos* retinendum: idem fere eſſe apud Ovid. VII. Met. 613.

Nec locus in tumulos, nec ſufficit ardor in ignes.

Strages poni pro cadaveribus, ut Conſ. Olybr. 110. *Creſcunt in cumulum ſtrages. Tumulos repletos* eſſe buſta, ſepulchra tam plena, ut locus humandis cadaveribus deſit. Ib. v. 356. pro vulgata,

Namque procul Libyco venatu cingere ſaltus,

legit *Heinſ. venatu ſtringere*: ubi *Burm.* bene adnotat, ſe nihil abſurdi videre in *cingere ſaltus*, quod et apud Virg. IV. 121. et *circumdare* Ecl. X. 57. et Georg. I. 140. atque apud Ovid. Met. VII. 766. *latos indagine cinximus agros. Stringere venatu* eſſe inauditum, et notare leviter et quaſi in tranſitu ſilvas pererrare, quod nec τῷ *rimari*, nec ſequentibus, ubi tot ſtrages Leonis memorantur, conveniat. Sed ſatis de primo illo adnotationum Burmannianarum genere: proxime dicemus de reliquis.

I. H. LAMBERT
ACADEMIAE SCIENTIARUM ELECTORALIS Boicae, et Societatis phyſico medicae Baſilienſis membri, regiae Societati Scientiarum Goettingenſi commercio litterario adiuncti, PHOTOMETRIA, ſive de Menſura et Gradibus Luminis, Colorum, et Umbrae.

Auguſtae Vindelicorum, 1760. ſumptibus viduae Eberhardi Klett, $1\frac{1}{2}$ Alph. Tab. VIII. aeri inciſ. in 8.

Cum

Cum plures libri a doctiſſimis viris, in quibus eam Matheſeos partem, quam opticam dicunt, excoluerunt, magna cum laude confecti ſunt; tum vel maxima in laude eſt ille liber, quem modo nominavimus, quique ſe ob rerum novitatem, et eas confirmandi accurationem, apud mathematicae rei gnarum quemque facile commendabit. Iam egregiam hanc de lumine doctrinam illuſtrare promiſerat Cl. Auctor in libello quodam francogallico idiomate ſcripto: *Les propriétés remarquables de la route de la lumiére par les airs*, etc. nunc vero, quam dederat fidem, ex aſſe ſolvit, et ſubtiliſſimae huic de lumine parti tantum affudit lumen, ut magnum inde augmentum et Matheſis, et phyſica doctrina, capere poſſit. Continetur omnis hic liber ſeptem partibus, quarum ſummam nunc, quantum abſque iconibus fieri poterit, indicabimus, et quaenam ei inſit praeſtantia, quantumque ab aliis huius generis libris diſtet, paucis declarabimus. Ad primam partem quod attinet, in ea modificationes, quas dicunt, et luminis directi gradus eiusque claritatis et vis illuminantis explicantur. *Capite I. inſtituti ratio, primaeque photometriae notiones et principia traduntur.* Photometria non docet luminis naturam et indolem, quae a ſenſibus noſtris eſt remotiſſima; ſed potius metitur eius vim claritatemque, atque reliquos eius effectus, qui ſenſibus ſubiecti ſunt, menteque percipi poſſunt. Verum cum ſaepe res, quae maxime ſenſibus obverſantur, ab intelligentia ſint remotiores; ita vel maxime in Photometria eiusmodi difficultates permagnae reperiuntur: cuncta enim adminicula, quibus in aliarum rerum exploranda veritate uti ſolemus, in ea deeſſe videntur. Deeſt phyſica luminis theoria, quam, ſi aliqua excogitata eſt, vel non ſatis approbatam, vel incertis principiis ſuperſtructam eſſe, facile doctus quisque animadvertet. Deſunt, quibus lumen commode et accurate metiamur, inſtrumenta et compendia. Deſunt denique prima et ſtabilita principia, ex quibus reliqua legitima conſecutione deduci poſſint. In definiendis luminis gradibus ſolus oculus iudex eſt putandus: ſed quod ſaepe fert de claritate rerum iudi-

iudicium, id non ſemper ita ratum et certum eſt, ut eo poſſis tanquam lege et norma, in definienda metiendaque claritate uti. Quae cum ita ſint, Cl. Auctor omnem operam navavit, ut novis experimentis, iisque egregiis, confirmatam hanc praecipuam optices partem conſtrueret. Quo animo ab experientiis exorſus eſt quotidianis, cuique obviis, e quibus intelligitur, eſſe luminis varios gradus, variasque lumen pati mutationes: v. c. duas candelas plus illuminare una; lumine admoto rei obiectae adaugeri claritatem; lumen oblique incidens debiliorem efficere illuminationem, etc. Nulla tamen notio tam communis eſt hac: eandem ſemper eſſe futuram viſionem, quoties idem oculus eodem modo afficiatur. Ergo oculus, dum duas pluresque res obiectas iuxta ſe poſitas ſimul intuetur, de earum claritate, an aequalis ſit nec ne, rite iudicat; non tamen inter gradus claritatis aliam dignoſcere valet rationem, praeter aequalitatis rationem. Lumen id dicendum eſſe A exiſtimat, quod res vel ſemper, vel quandoque, reddit adſpectabiles; ex quo conficitur, hanc notionis explicationem a claritate eſſe alienam: chartae enim albae in aprico poſitae, quanquam aeque clara et perſpicua ſit ac candelae flamma, nemo certe luminis nomen tribuat. Claritatis magnum eſt diſcrimen in lumine, et rebus a lumine colluſtratis; quae in lumine eſt claritas, vis illuminans ſive ſplendor dicitur; quam in rebus obiectis diſcernimus, illuminatio appellatur. Differt quoque luminis claritas, quae oculis percipitur, ab ea, quae res obiectas colluſtrat. Illam commode claritatem viſam, hanc, ſi ad corpus luminoſum referas, vim illuminantem, ſin vero ad rem obiectam, illuminationem appellare poteris. Manente corporis luminoſi magnitudine et diſtantia, eius claritas per innumeros augeri minuive poteſt gradus. Haec varia eiusdem corporis claritas, ſi ad ipſum corpus luminoſum referatur, luminis intenſitas vel denſitas radiorum appellanda erit. Interdum lumen et ipſum corpus luminoſum appellamus, ſaepe quoque claritatem, quam eiusmodi corpus quaquaverſum diffundit: unde, ſi altero ſenſu id ſumas, formulae illae loquendi

quendi natae ſunt, lumen emanare, et per immenſa ſpatia propagari. Lumen e corpore luminoſo egreſſum vocatur radius. In quolibet radio, tam quantitas, quam denſitas eius, maxime diſtinguenda eſt. Denſiores radii illi ſunt, ubi plures in idem ſpatium incidunt; quantitas eorum ab unitate, tanquam faſcia pro arbitratu ſumta, atque aliquoties poſita, pendet. Radiorum denſitates reciproce ſunt ut quadratum diſtantiae a puncto radiante. Chartae illuminatio eo maior eſt, quo maior eſt numerus candelarum, a quibus colluſtratur, ſi quidem aequali eas gaudere claritate, aequali a charta diſtantia, aequali denique magnitudine, ponas. Illuminatio eo maior eſt, quo maior eſt ſuperficies corporis illuminantis, eadem nempe manente diſtantia, eodemque luminis ſplendore. Illuminatio normalis eſt ad illuminationem obliquam ut ſinus totus ad ſinum anguli incidentiae. Hae ſunt illae leges praecipuae, quibus definitur illuminationis in dato quovis caſu gradus, eaeque in omnibus, qui de re optica ſcripti ſunt, libris reperiuntur: at, ſi dicendum quod res eſt, quanquam illae quidem accurate demonſtratae ſunt, nulla tamen earum ſeorſim experimentis firmata. Atque propterea Cl. Auctor nova excogitavit experimenta, quae omnia hanc vim habent, ut, quas modo diximus leges generales, ab omni dubitandi ratione liberentur.

Caput II. eſt de lumine directo, huiusque menſura et gradibus. Illuminatio pendet a ſuperficiei illuminatae ſitu; eaque minor eſt, ubi maior adeſt radiorum luminis in ſuperficiem iſtam incidentium obliquitas. Ut adeo non perinde ſit, qualis ſuperficiei colluſtratae ſit ſitus et poſitio, qualisque ad eam radiorum incurrentium inclinatio. Magna tamen exiſtit quaeſtio, utrum idem de ſuperficie luminoſa, quae radios in res obiectas fundit, ſit dicendum. Cel. EULERUS, qui egregie, ut ſemper ſolet, de lumine diſputavit, hanc quaeſtionem affirmat, ſtatuitque v. c. montes lunares, dum augent iſtius corporis ſuperficiem, ipſius quoque augere claritatem vimque illuminantem. Verum, ſi etiam haec omnia rite ſic ſe habeant, fatendum tamen erit, diſcrimen inter claritatem viſam

ſam et illuminationem ipſam, ſupra allatum, plane eſſe neglectum. Quaeritur itaque, num eadem ſit illuminationis vis, quae radiis ineſt limbo ſolis vicinioribus, cum iis qui a centro diſci promanant? De qua quaeſtione ſic reſponderi poteſt. Radii ex quovis puncto corporis, quod contemplamur, in oculi ſuperficiem externam ſeſe diffundentes, ibi hac lege refringuntur, ut in oculi retina velut in puncto coincidant, ibique eius imaginem exprimant, quae imago eo clarior eſt, quo plures radii in iſto retinae puncto copulantur; erit etiam clarior, quo maior fuerit radiorum denſitas, quoque amplior pupillae apertura. Poteſt vero haec apertura, ſive ſolis limbum, ſive eius centrum intueamur, tanquam conſtans ſumi, ut adeo claritas imaginis ſolis, et cuiuslibet eius partis in ſuperficie poſita ſimpliciter ſit ſtatuenda, ut radiorum denſitas. Ex quo intelligitur, radiorum ſolis denſitatem eſſe eandem, ſive illi e limbo, ſive e centro diſci ſolaris in oculum ingrediantur: eſt enim imago illa omni ex parte aequabiliter clara, quia huius diſci partes pari claritate ſplendentes percipimus. Porro efficitur et hoc, ut e quolibet diſci ſolaris puncto, eadem in datam ſuperficiei oculi partem illabatur radiorum copia; cum ii, qui in totam ſuperficiem oculi ſeſe diffundunt, eandem in retina efficiant partium imaginis perſpicuitatem. Etſi ergo, dum ſolem intuemur, particula quaelibet in ſuperficie conſtituta aeque clare apparet, illuminatio tamen inde proveniens neutiquam eadem eſt futura. Vis illuminans, et ipſa illuminatio, decreſcit in ratione ſinus anguli emanationis, qui eſt angulus inter directionem radii luminis et ſuperficiei luminoſae interiacens. Ex hac enunciatione, ut maxime palmaria in univerſa photometria, ſequuntur et aliae, quarum prima eſt, non omnino eſſe perinde, qualis ſit ſuperficiei illuminantis ſitus. Porro, illuminationem mutari, ſive ſuperficies illuminantis, ſive plani illuminati mutetur ſitus, manente diſtantia et magnitudine prioris. Diſtantia, magnitudo, et poſitio rei obiectae luminoſae, ad ſolam eius magnitudinem apparentem reducenda eſt; quare illuminatio, in quocunque caſu, ſimpliciter pendet; 1) ab

ob-

obliquitate incidentiae; 2) a magnitudine luminis apparente; 3) ab eiusdem denſitate, ſive ab ipſius ſplendore.

Magnitudo apparens eſt angulus ſolidus lateribus pyramidis vel coni circumſcriptus, cuius quantitatem metitur ſuperficiei ſphaericae ſegmentum iisdem pyramidis lateribus terminatum. Si radiorum illabentium quantitas per aream ſpatioli illuminati dividatur, quotus, qui provenit, ſpatioli exprimit illuminationem ſive claritatem. Quodſi coelum, quam late patet oculis, eodem illuceret ſplendore, quo ſolem ſplendere videmus, tunc demum terrae ſuperficies eadem ratione illuminaretur, ac ſi eſſet in ipſa ſolis ſuperficie poſita. Cuicunque rei obiectae luminoſae ſubſtitui poteſt ſphaerae ſegmentum, quod ipſius referat magnitudinem adparentem; conſideranda tamen eſt luminoſi obiecti cum figura, tum magnitudo apparens. Quae a figura ducenda eſt varia illuminationis modificatio, ea ad tres potiſſimum caſus referri poteſt: 1) ſi ponatur limbus corporis circularis, quo caſu ſegmentum ſphaericum quoque erit circulare, circuloque ſphaerae vel maximo, vel minori, terminatum; eiusmodi apparitiones ſunt in coeli hemiſphaerio, ſole, luna plena, etc. 2) ſi corporis luminoſi limbus ſumatur tanquam rectis lineis circumſcriptus; quo caſu ſuperficiei ſphaericae ſegmentum terminabitur circulis ſphaerae maximis, eritque vel triangulum ſphaericum, vel ex ſimilibus triangulis compoſitum, ſive triangulatum. Talis eſt adſpectus coeli, cum per aedium feneſtras, vel alias quascunque aperturas rectilineas intuemur. 3) Sunt quoque alii caſus innumeri, quibus limbus luminis apparens neque circularis, neque rectilineus eſt, ſed vel alia quacunque terminatur curva, vel denique figuram habet ex varii generis aliis compoſitam. Ad quam ultimam claſſem referre poteris eam lunae faciem, quando plena non conſpicitur, item coelum aedibus vel montium cacuminibus obtectum. Superficies corporis illuminantis, qua late patet, vel aeque eſt luminoſa, vel in ſingulis ſuis partibus varia gaudet claritate. In definienda illuminatione directa, ſumit Cl. Auctor particulam ſuperficiei illuminandae infinite parvam,

eamque velut unitatem ponit, ut inde eam eruat claritatem, quae huic particulae vel puncto propria sit, atque adeo pro diversis punctis diversa. Accidit vero, ut radiorum in universam superficiem incidentium, eorumque quantitatis habenda sit ratio sine ulla connexione cum claritate, quam in singulis superficiei illuminandae punctis efficiunt. Quam intricatam rem uno alterove exemplo A. illustrat.

Capite tertio experimentis sub examen vocatur oculi iudicium, primaque firmantur photometriae principia. Sunt autem principia, quorum exploratur veritas, inprimis haec: 1) illuminationem maiorem esse in ratione multitudinis candelarum, vel luminum, vel punctorum radiantium, a quibus charta vel planities ipsis obiecta collustretur. 2) Eandem esse eo minorem, quo maius est quadratum distantiae plani illuminati a corpore luminoso. 3) Eam decrescere in ratione sinus anguli incidentiae. Quibus rite confirmatis, patet, oculum claritates parte vigesima, vel decima, vel magis adhuc inter se discrepantes, plurimis casibus confundere; quare eodem modo incertum erit eius de aequalitate claritatis iudicium, quo claritas, quam parem et aequalem esse statuit, varia esse potest. Huic incommodo tamen quodammodo mederi possumus, 1) si experimenta sumantur hac conditione, ut lex quaedam, vel ex principiis, vel aliis experimentis collecta firmamentum suum capiat: 2) si idem experimentum, variatis rebus, pluries instituatur; nam si postea error vel maior evadat, vel minor, consequens est, legem non adeo esse veram, neque generalem, vel aliam legem specialiorem et strictiorem, a mutatis rebus pendentem, esse constituendam etc. Quo pacto autem eiusmodi errores et aberrationes, quae vel vago oculo, vel observatoris incuriae, vel instrumentis aliisque rebus tribuendi sunt, possint corrigi, copiose docet Auctor.

Caput primum Partis II. est de experimentis, quibus definitur luminis quantitas a planis vitreis perfecte pellucidis reflexi et refracti. Corpora pellucida ea vocantur, quae lumen totum transmittunt, quod inter omnes satis constat. Sed paulo intricatior est corporum perfecte pellucidorum definitio. Iam si cor-

corporis pellucidi particulae, vel maxime ſimilis et eiusdem generis, omni vi diſpergente ſimpliciter eſſent deſtitutae, nullaeque bullulae adeſſent, ut in vitro ſunt conſpicuae, nec ſuperficiei ulli pulviſculi eſſent adſperſi, poſſet quidem eiusmodi corpus, hoc ſaltem reſpectu, perfecte pellucidum dici; ſed nondum tamen omnibus numeris abſolute pellucidum eſſet appellandum, niſi ſimul omne abſit lumen reflexum. Quantitas luminis reflexi pendet a denſitate corporis diaphani, ſimulque a denſitate medii, ex quo in corpus diaphanum ingreditur. Idem valet de gradibus opacitatis quibuscunque, quod de utroque extremo dicendum; eademque eſt vis aquae reflectens, quantacunque vel quantulacunque ſit eius opacitas. Quantitas luminis ſub angulo $14\frac{1}{2}$ grad. in planum vitreum incidentis reflexa et refracta aequalis eſt, qualiscunque ſit incidentis denſitas. Quare in caſu perfectae pelluciditatis lumen ſub angulo $14\frac{1}{2}$ grad. in planum vitreum incidens, ita diſpeſcitur, ut dimidia eius pars reflectatur, dimidia altera refringatur. Luminis, a plano vitreo reflexi et refracti, quantitas, ex infinitis fere imaginibus eſt compoſita; harum tamen permultae ita obſcurae et tenues ſunt, ut oculorum aciem plane effugiant: ut adeo, ſi claritatis omnium imaginum ſumma quaeratur, perinde ſit, infinitus earum ſtatuatur numerus, nec ne. Aucto vitrorum numero, augetur quoque luminis reflexi quantitas, ita, ut incidenti tandem evadat aequalis. Cuilibet vitrorum numero 1, 2, 3, 4. etc. reſpondere debet angulus, ſub quo lumen reflexum refracto ſit aequale; ſinguli iſti ſuo ordine vocentur A, B, C, D, E, etc. ita ut A reſpondeat vitro uni, B duobus, C tribus, etc. ſitque pariter angulus A primus, B ſecundus, C tertius, etc. Iam experientia duce invenit Auctor

A	$= 14\frac{1}{2}$ grad.	F	$= 39$ grad.
B	$= 22$	G	$= 43$
C	$= 27$	H	$= 47$
D	$= 31$	I	$= 50\frac{1}{2}$
E	$= 35$		

 et

et ope calculi, adhibita, qua opus erat, correctione,

A =	14°	30′	F =	38°	54′
B =	22	0	G =	42	58
C =	27	8	H =	47	2
D =	31	10	I =	50	41
E =	34	54			

Ex his constructa curva, ad eam rationem quam docuit, quaesivit abscissas, sive quantitates luminis reflexi quae singulis quinis gradibus, a 15 ad 50mum usque, responderent, et reperit pro

ang. incid.	lumen reflexum	ang. incid.	lumen reflexum
15°	0, 483	35°	0, 165
20	0, 367	40	0, 136
25	0, 279	45	0, 115
30	0, 210	50	0, 98

Quos modo diximus, anguli A, B, C, D, etc. ab iis, qui locum habent in casu non perfectae pelluciditatis, parum discrepant; nam si quae adsit differentia, tam parva ea deprehenditur, ut tuto negligi possit.

Capite II. instaurantur experimenta, et calculus pro tabulis vitreis minus diaphanis. Vitra minus pellucida ea sunt, quae lumen plus minus dispergunt, intercipiunt, et absorbent. Cum in casu perfectae pelluciditatis $M+N=1$ h. e. lumen reflexum et refractum iunctim sumptum aequale sit incidenti, ita contra ponendum erit $M+N<1$, si vitrum minus fuerit diaphanum. Hoc enim casu pars quaedam luminis incidentis dispergitur et absorbetur. Quantitates, quae lumen a superficie vitri exteriore et interiore reflexum referunt, a pelluciditate vitri derivari haud possunt, nisi in ista superficie adsint pulvisculi et bullulae lumen dispergentes; nam his admissis impedimentis, quantitates illae minores existunt, quam forent, si nulla impedimenta adessent.

Caput III. est de lumine per superficies curvas, praecipue per lentes causticas, refracto, eiusque mensura. Definita iam radio-

radiorum quantitate, qui conos luminofos conftituunt, dimenfaque ea radiorum parte, quae a fuperficiebus vitrorum reflectitur: ii deinceps explicantur cafus, quibus utrumque fimul obtinet. Hi vero cum fint infiniti, eorumque plurimi difficiliori profequendi fint calculo; medium quoddam A. in his tenuit, atque minutias illas, ubi absque notabili errore fieri poterat, neglexit, eosque potiffimum illuftravit cafus, qui faepius occurrunt, et formulas concinnas ufurpando commodiores condidit. Hoc confilio fumfit primum lentem unam caufticam, et oftendit, qua ratione lumen per eam refractam vel intendatur, vel minuatur, quaeque in foco lentis fit denfitas, et ad illuminationem directam ratio. Deinde fequuntur theoremata, quae magnam utilitatem habent in inftrumentis quibusdam dioptricis et catadioptricis, nominatim camera obfcura, laterna magica, et microfcopio folari.

Cap. IV. de lumine per plures lentes refracto, vel ab eadem lente pluries reflexo et refracto, differit. Quo imagines rerum, earumque claritates, et focorum diftantiae, eruuntur.

Parte III. luminis modificationes, a corporibus opacis pendentes, experimentis et calculo perluftrantur. Primo eius capite mentio fit *luminis a fuperficiebus corporum opacorum politis, inprimis a fpeculis, reflexi, huiusque menfurae et graduum.* Corpora opaca omnia eodem modo coloribus tincta videntur, quo vitrum craffius videtur viride; atque color ifte non tantum ab iis proficifcitur partibus, quae in fuperficie funt fitae, verum et ab iis, quae intra eam funt. Corporum opacorum partitio luminis triplex eft. Prima pars ea eft, quae fuperficiei politae et levigatae debetur, lumenque reflexum appellatur. Altera pars afperitati fuperficiei et particulis diverfi generis tribuenda eft; cum haec quaquaverfum difpergatur, lumen difperfum dici poterit. Tertia luminis pars e lamella egrediens, quaquaverfum emanans, corpusque fuo colore repraefentans, lumen emanans vel coloratum vocandum erit. Ad has luminis partes accedit quarta, quae lumen omne illud complectitur, quod in ipfo corpore difpergitur, cuiusque quantitas faepe tanta eft, ut tres dictas Par-

tes ſimul ſumtas longe ſuperet. Hoc ergo lumen, cum a corpore abſorbeatur, commode amiſſum dixeris. Formulas illas, quas definiendi luminis a vitro reflexi cauſa cel. Auctor praeſcripſit, et hic adhiberi poſſe docet.

Cap. II. experimentis inter ſe conferuntur claritas luminis ſive obiecti illuminantis, et claritas corporis opaci, quod ab eo colluſtratur, cuiusque ſuperficies aſperior eſt minusque polita. Lumen vere album dicitur, quod radios coloratos emittit, ad efficiendam albedinem iuſta ratione idoneos. Sic quoque corpora opaca alba ſunt ea, quae lumen coloratum in eadem hac ratione reflectunt. Corpora ſimpliciter et abſolute alba ſine omni dubitatione nulla in rerum natura reperiuntur. Albedo, quae lumini tribuitur, diſtinguenda ſemper eſt ab ea, quae in corpore opaco diſcernitur, et ab illa priori pendet. Summus albedinis gradus in lumine indefinitus eſt, atque unitas, cum qua gradus quique comparari debent, in arbitratu noſtro eſt poſita. Contra albedinis gradus ſummus in corpore opaco definitus comprehenditur, ſi modo corpus opacum ſpectes a lumine albo ita colluſtrandum, ut itidem album appareat. Quam ob cauſam hanc albedinem Auctor appellat *abſolutam*, quod lumen album in eius ſuperficiem illabens totum incidit, deinde reflectit, et quaquaverſum diſpergitur. Idcirco corporum opacorum albedo ſimpliciter ad eius vim reflectentem reducitur. His praemiſſis oſtenditur, quo pacto poſſit corporis cuiuscunque albedo definiri, et comparatio inter claritatem, qua conſpicuum eſt cum a lumine quodam illuminatur, et claritatem ipſius luminis, inſtitui.

Parte IV. calculo et experimentis definitur luminis ſenſus, et claritas eius apparens.

Cap. I. praeſtruitur calculus, quo definienda eſt claritas luminis ea, quae oculo iudice rebus obiectis ineſſe videtur.

Cap. II. experimentis et calculo exploratur ratio, quam inter ſe ſervant apertura pupillae et claritas luminis, eiusque magnitudo apparens. Cum vera proceſſuum ciliarium cauſa vel maxime dubia ſit, nullo modo poterit pupillae apertura ad univerſalem

ſalem

falem quandam menfuram exigi, eiusque luminis magnitudo, intenfitas, ratio, et habitus, ita calculo perluftrari, ut res ipfa omnibus numeris abfoluta eradat. Hoc in caufa fuit, cur rem modo delibare Cl. Auctor decreverit. Interim ea praemifit, quae vel experientia, vel experimenta diligenter et fedulo inftituta, docuerunt, atque ex his confectaria, a vero non omnino aberrantia, deduxit.

Parte V. inveftigatur luminis difperfio, media diaphana, inprimis atmofphaeram telluris, peragrantis.

Cap. I. inftituitur difputatio de debilitatione luminis, media minus diaphana, potiffimum aerem, permeantis. Lumen a particulis diverfi generis difpergitur, quibus corpora plus minusve fcatent. Sunt iftae particulae tanquam obftacula, quae lumen in fua via offendunt, et a quibus intercipitur. Huiusmodi impedimenta funt in vitro bullulae, feu veficulae vacuae, in aqua et aliis rebus fluidis interftitiofa, partes terrenae, in aere vapores. Qua ratione iam lumen in fuperficies iftarum particularum incidens intercipiatur, et difpergatur, hoc capite dilucide Auctor explanat. Si lumen folis ante eius ingreffum in aerem ponatur = 1, et poftquam ad terrae fuperficiem pervenerit, debilitatis ratio fit generatim ut 1 : v, erit calculo, ea lege, quam praefcripfit, inftituto v. c.

pro altitudine fideris	debilitatio luminis v
90°	0, 5889
70	0, 5692
50	0, 5009
30	0, 3467
20	0, 2126
10	0, 0476
lumen extra aerem	1, 0000

Cap. II. indagatur claritas, qua lumen in mediis diaphanis, potiffimum vero in atmofphaera telluris, difperfum, media ifta fpectanda exhibet. Inter media diaphana, quae ob luminis difperfionem veluti colore quodam tincta funt adfpectabilia, inprimis notatu digna funt, aqua marina, et aer. Illam viridem

ridem esse, hunc vero coeruleum, et quandoque sole in horizonte conspicuo splendere rubicundo colore, experientia docet. Posteriorem hunc casum, ad priorem, tanquam faciliorem, Auctor reduxit.

Cap. III. traditur historia naturalis crepusculi, atque definitur, quo successu noctem detrudat, diemque nox.

Parte VI. calculo subiicitur illuminatio Systematis planetarii.

Cap. I. investigantur calculo luminis lunaris modificationes. Et primum quidem definiuntur claritatis phasium lunae modificationes extra atmosphaeram terrae spectandae; deinde quaenam prodeat illuminatio plani, itidem extra atmosphaeram lunae normaliter obversi. Albedo telluris non tam ab ipsa eius superficie, quam ab atmosphaera potius pendet. Iam est notabilior atmosphaerae claritas ad claritatem cerussae, a sole in altitudine 60. gr. haerente normaliter collustratae, ut 2. ad 5. Quare, cum albedo cerussae sit $= 0,4$. atque radii solares ex altitudine 60. gr. per aerem delabentes debilitentur ut 5. ad 3. erit claritas plani simpliciter albi ad claritatem atmosphaerae mediam ut $(\frac{5}{3} . \frac{5}{2}) : \frac{2}{5} = 125 : 12 = 10\frac{1}{2} : 1$. Ergo ea est atmosphaerae claritas, quae foret plani a radiis solaribus extra aerem normaliter illustrati, cuius albedo est $= \frac{2}{25}$. Unde, si nullum aliud lumen a tellure in lunam reflecteretur, albedo telluris foret $= \frac{1}{10}$. Quodsi iam hanc a corporibus terrestribus tertia vel quarta parte augeri ponamus, albedo ista erit $\frac{1}{7}$ vel $\frac{1}{8}$; atque vix maior erit albedo lunae. Lumen planetarum eodem calculo prosequendum est, quem in corporibus opacis, minusque politis, instituendum Auctor docuit.

Cap. II. computatur lumen, quo spectandos se praebent planetae primarii. Claritas planetarum in oppositione versantium centralis visa, ex subiecta tabula, ab Auctore confecta, cognoscitur:

Pla-

Planetae	Claritas maxima	media	minima
♄	0, 0120	0, 0110	0, 0099
♃	0, 0408	0, 0370	0, 0334
♂	0, 5234	0, 4307	0, 3608
♁	1, 0134	1, 0000	0, 9672
♀	1, 9396	1, 9113	1, 8856
☿	10, 5760	6, 6735	4, 5560

Diſtinguendum eſſe videtur ſpatium imaginis fixas in retina repraeſentantis, quod a radiis colluſtratur, ab eo ſpatio, quo ſenſibilitas ſe exſerit. Illam imaginem depictam vel illuminatam, hanc vero imaginem ſenſibilem A. appellat. Triplex cauſa accedit, quae vel utramque imaginem, vel ſenſibilem ſolam fixarum augere ſolet: prima eſt aeris impelluciditas, maiores enim apparent ſtellae, quo magis aer vaporibus eſt repletus; ſecunda eſt cumulatio motus tremuli nervorum vel fibrillarum in fundo oculi; tertia denique eſt eadem cumulatio motus tremuli, atque haec locum haberet, etiamſi oculos rei obiectae ita infigere poſſemus, ut immota eſſet imago depicta. etenim cumulatione iſta efficitur, ut et illae fibrillae, quae imagini depictae contiguae ſint, ad motum cieantur.

Caput III. eſt de Lumine fixarum, earumque diſtantia. Syſtema fixarum haud ſphaericum, ſed orbiculare et planum eſt, viaque lactea velut ecliptica ponenda eſt. Univerſae iſtae ſtellae extra Galaxiam ſitae ad illud ſyſtema, quod ſolem noſtrum comprehendit, pertinent. Reliqua ſyſtemata, quae noſtro ſunt propiora, in ipſa Galaxia ſunt diſpoſita inaequali ratione, quia Galaxiae figura admodum eſt irregularis. Solem noſtrum non eſſe in centro ſui ſyſtematis, inde patet, quod orbis per mediam Galaxiam ductus non eſt maximus. Magnitudo fixarum nudis oculis viſa, non modo ab earum magnitudine et vera diſtantia, ſed vel maxime pendet ab earum ſplendore. Quo intenſius itaque eſt fixae cuiusdam lumen, eo maior erit area imaginis ſenſibilis in ipſa oculi retina. Quodſi fingamus, fixae proximae diſtantiam eſſe = 500000, eamque ſoli noſtro et magnitudine et ſplendore

esse aequalem; illuminatio huius fixae erit ad illuminationem solis, ut 1 ad 5000000000. Iam illuminatio, quae a sole proficiscitur, est ad eam, quam in luna plena deprehendimus, ut 500000. ad 1. hinc efficitur, ut lumen, quod fixa in terram profundit, 500000. vicibus debilius fit eo, quod e luna plena egreditur. Ut adeo 500000. fixae primi ordinis vix aeque illuminarent, ac ea fit illuminatio, quae lunae plenae debeatur.

Pars VII. modificationes et gradus luminis heterogenei et relativi, sive colorum et umbrae, illustrat.

Cap. I. experimentis et calculo colorum claritas, eorumque differentia, docetur. Differentia inter claritatem radii diversi coloris tam parva est, ut ex solo hoc discrimine vix ac ne vix quidem heterogenea colorum indoles, maximaque ista diversitas deduci possit, quae oculis tam magna est. Coloris claritas functio est composita ex vi cuiusvis radii, et densitate radiorum eadem vi pollentium. Difficulter quidem vires et densitates quorumvis radiorum, ex quibus color compositus est, definiuntur: quo pacto tamen id fieri possit, et experimentis A declarat, et calculo ulterius prosequitur.

Cap. II. Calculo definiuntur modificationes umbrae, eiusque gradus.

CAROLI LINNAEI EQU. AUR. DE STELLA POLari, Archiatr. Reg. Med. et Botan. Prof. Upsal. etc. Amoenitates Academicae, seu Dissertationes variae Physicae, Medicae, Botanicae, antehac seorsim editae, nunc collectae et auctae: cum tabulis aeneis. VOL. IV.

Holmiae 1759. sumt. et litt. Laur. Salvii, Alph. 1. plagg. 15. tab. aen. 4. in 8vo.

Hoc Volumine Cel. Editor, cuius beneficio etiam tria priora debentur, dissertationes XXV. exhibet. I. *Plantae officinales*, auct. *Nicol. Gahn.* Contexit Auctor catalogum in pharmacopolarum usum, plantarum, ex quibus me-

medicamenta praeparantur, additis ex Cel. Linnaei *ſpeciebus plantarum* nominibus, ſynonymis, differentiis, locis natalibus. II. *Cenſura ſimplicium*, auct. *Guſtav. Iac. Carlbohm*. Commemorantur complures plantae, quas Auctor e pharmacopoliis excludendas eſſe cenſet, ut Cichorei ſemina, Cochleariae ſemina, Eryngii herbam, Cupreſſi lignum, Cyani flores, Hirundinariae herbam, Lapathi acuti herbam, Meliſſae citrinae ſemina, Naſturtii Indici herbam, Phaſeoli ſemina, querci glandes, Rapae ſemina, Taraxici herbam, Uſneae herbam, Victorialis longae radicem; quibus aut nulla, aut dubia, certe in culina tantummodo, vis tribuitur. Deinde alia enumerantur medicamenta, e regno vegetabili depromta, antea a Pharmacopaeis Sueciae non recepta, ut Alkannae radix, e Gallia Narbonenſi, a Lithoſpermo tinctorio deſumta, Belladonnae baccae, Conyzae herba Europaea, tanquam optimum dyſenteriae remedium, Cotulae herba, Faba Ignatii ex inſulis Philippinis, Fungus Melitenſis, Phytholaccae ſuccus, Sabadillae ſemina, Saponariae nuclei, Uvae Urſi folia, Vitis Idaeae baccae, et alia. III. *Canis familiaris*, auct. *Erico Lindecrantz*. Profert Auctor inprimis ea de cane, quae ad hiſtoriam naturalem pertinent, igitur de genere, ſpeciebus, varietatibus, deſcriptionibus, ingeſtis, excretis, motu, quiete, ſomno, propagatione, ſono, aetate, moribus, olfactu, morbis, uſu in medicamentis, maxime memorabilia diſſerit. IV. *Stationes plantarum*, auct. *Andrea Hedenberg*. Pertractavit Noſter plantas Suecicas ſecundum ſolum natale, quo proveniunt. Fecit ſtationes ſex primarias, quaque in claſſes quasdam abeunte. Ad primam, ſive aquaticam, refert marinas, maritimas, lacuſtres, paluſtres, inundatas, uliginoſas, ceſpitoſas: ad alteram, ſive Alpinam, refert aethereas et occluſas: tertia, ſive umbroſa, habet nemoroſas et ſylvaticas: quarta, ſive campeſtris, continet arvenſes, cultas, ruderales, pratenſes, arenarias, argillaceas, cretaceas: quinta, ſive montana, exhibet glabretoſas, collinas, rupeſtres: ſexta, ſive paraſitica, tradit arboreas, herbaceas, radicales plantas. V. *Flora Anglica*,

auct. *Isa. Grufberg.* Catalogum exhibet plantarum Anglicarum brevem, sed sufficientem, et ideo utilem, quoniam et plurimi *Petiverii Herbario Britannico* carent, et hic plantae omnes, quasi in tabula, uno obtutu considerandae proponuntur. Enumerat vero Noster plantas secundum systema sexuale, addito cuivis nomine triviali, pagina, et paragraphi numero, e *Raii Synopsi Stirp. Brit.* ut si quis plura de hac illave planta scire cupiat, sciat ubi cupiditatem suam possit explere: praetermisit tamen Muscos, Fungos, et plantas cereales. VI. *Herbarium Amboinense*, auct. *Ol. Stickman.* Excerpsit Noster e *Rumphii Herbario Amboinensi* nomina plantarum, quae in Amboina et adiacentibus insulis reperiuntur, illaque cum Cel. *Linnaei* Herbario contulit, ut synonyma erueret et connecteret. VII. *Cervus Tarandus*, auct. *Car. Frid. Hoffberg.* Omnis prope res pecuaria gentis Lapponicae pendet ab animali, quod *Rheno* vel *Rangifer* vulgo appellatur, et iam a *Scheffero* descriptum est, licet non sufficienter, ut Nostro videtur. Est cervus cornibus ramosis, teretibus, summitatibus palmatis, atque a cervis proprie sic dictis ita inprimis distinguitur. His enim et mares et foeminae Rangiferorum instruuntur, cum in aliis Europaeis cervis feminas cornibus plane destitutas videmus. Solum natale illius, praeter Asiae, et forte Americae, boreales partes, in Europa praecipue est Lapponia. Rheno cicur a calce ad extremitatem dorsi plerumque est ulnam $1\frac{1}{2}$ altus: longitudo a cornibus ad caudam ulnas habet 2, et ab umbilico ad spinam dorsi ulnae $\frac{3}{4}$. Pilos cum primum deposuit fuscus est, quo propius autem dies caniculares adveniunt, eo magis incipit canescere, donec colorem albo simillimum obtineat. Oculorum regio semper nigricans: collum subtus pilis longioribus, quam in reliquo corpore, hirtum: os albicat, ut et cauda cum perineo, et abscondita regione ani: pedes, ubi inseruntur ungulae, albo quodam angulo cincti: pili in corpore tam dense stipantur, ut si eos separare studeas, cutis nusquam nuda appareat; quare etiam, ut in reliquis cervis, erecti, licet multo densiores, prominent, cumque

que

que quotannis decidunt, non diffluunt soluta basi, ut in aliis quadrupedibus. Cornua ad ulnam $1\frac{1}{4}$ in longitudinem extenduntur, in medio recurva, teretia, cum brevi ramo in postica parte: summitates compressae, et plurimis digitis palmatae. Ante frontem ramus unus, raro duo, recti prominent, capitis saepe longitudinem aequantes, apice compressi, et in plures ramulos diffusi. Feminis cornua sunt eiusdem structurae cum maribus, minora tamen, tenuiora, et minus ramosa. Femina retinet cornua, donec pariat; quae vero sterilis est, amittit ea hyeme. Mas cornua amittit mox a pruritu, fine Novembris. Aestivo tempore, dum in Alpibus versantur Rangiferi, variis vescuntur vegetabilibus: per hyemem primarium iis pabulum praebet Lichen Rangiferinus. Gravissimum huic animali incommodum adfert Oestrus Tarandi, a Lapponibus *Curbma* appellatus. Ex ovo, in dorso eius deposito, generatur hoc insectum, et aestate media, dum pili mutantur, e dorso elabitur. Ut primum prodiit Oestrus, circumvolitat Rhenonem, unice intentus ut ovum intra pilos erectos deponat: Rhenones autem, si vel mille sint congregati, singuli prae metu iactitant cornua, totumque quatiunt corpus, cum vel unica inermis musca advolat. Aetas eorum annos 14. vel 16. raro superat. E lacte et carnibus Lappones non exiguam utilitatem capiunt. Hiberno tempore rhedam trahit Rangifer, fune inter pedes medio, et regitur loro cornibus innexo. Unicam tantummodo personam, aut pondus librarum 10. ferre potest: gravius raro sustinet. Si urgeatur, 10. vel 12. milliaria currendo quidem emetitur, sed tum est cito mactandus. Immodico enim cursu fatigatus, non diu superstes est. Id saepius animadversum hoc animal continuo cursu per 6. vel 7. milliaria iter carpere, etsi vix per unum momentum in via quiescat. Debilis est in dorso Rangifer, nec impositum ephippium sustinet. Lappones igitur asserculum qualibet parte dorsi applicant, et sic levi pondere onerant. VIII. *Ovis*, auct. *Isac. Palmaero.* Multa restare arbitratur Noster, quae ad historiam naturalem pertinent, sine quibus cultura ovium feliciter absolvi nequeat.

queat. Ipse, omnibus partibus ovis descriptis, de speciebus, varietatibus, Physiologia, pascuis, morbis, et usu ovium differit. IX. *Mus porcellus*, auct. *Io. Iust. Nauman.* Appellatur aliis nominibus hoc animalculum cuniculus Indicus, Cavia Cobaya, porcellus indicus. Pertinet ad ordinem quadrupedum, qui glires continet; cum utraque eius maxilla, et superior et inferior, non instructa sit nisi duobus dentibus incisoriis, nullis autem caninis, sed pluribus molaribus. Patria est America australis, praesertim Brasilia, uti et Africa, et inprimis Guinea. Color adeo varius est in hoc genere, ut dictu sit difficile, qui huic animali sit peculiaris, cum vix duos sibi perfecte similes conspicere liceat. Sunt plerique variegati, mistis ex albo, rubro, nigro, diversimode coloribus. Excipiuntur ab Europaeis passim hospitio ideo, ut ludendo et cursitando iucundum spectaculum praebeant, et oculos delectent. Etenim pedes lingua labrisve contrectant, leviter mordent, lambunt, pilos ordinant pectuntque, sicuti feles faciem pede perfricant. Interdum se invicem pectunt et comunt: saepe alter alterum huius officii lepide admonet. Femina primoribus labris blande pilos masculi pererrat, semel atque iterum eos contrectando. Haec si admonitio frustranea est, rostrum ori eius admovet, voce minaci, atque iram indicante. Tum mas feminam comere solet. Sed cum saepe invitus hoc facit, adeo dure villos ac pellem feminae vellicat, ut haec ira excandescat, fremat, more equi calcitret, dentibus marem petat, atque tristis recurrat. Invidiae atque iracundiae hoc animalculum signa frequenter edit. Neque enim alter alteri pastum aequa mente cedit, neque eodem in loco, etsi ambo commode capiat, hic illum quiescere patitur. Plerumque rixae oriuntur de loco calidiori, quem licet femina, rauca voce repulsa, marito cedere cogitur, tamen, si annis est conspicua, contra mariti impetum defendit. Sed haec hactenus. Reliqua ipsi, velimus, lectores ab Auctore cognoscant. Sunt enim lusus animalculi huius, et mores, valde iucundi lectu. Nos ad reliqua properamus. X. *Horticultura Academica*, auct.

auct. *Io. Guſtav. Wollrath.* Monentur varia a Noſtro, illis neceſſaria ſcitu, qui hortum botanicum bene inſtituere et colere cupiant. XI. *Chinenſia Langerſtroemiana,* auct. *Io. Laur. Odhelio.* Deſcribuntur hic ea, quae Ill. *Langerſtroem* e China, ad illuſtrandam et locupletandam rerum naturalium ſcientiam, adferri curavit, et deinceps muſeo Academico donavit. Diſpoſuit ea in quinque claſſibus, quarum prima quadrupeda, altera aves, tertia piſces, quarta inſecta, quinta vermes habet. Eminent inter haec inprimis: Buceros, bicornis, fronte oſſea, plana: Holothuria phyſalis: Meduſa orbicularis, ſupra plana, ſubtus ſulcata et villoſa: Madrepora, aggregata, ſtellis cylindricis duodecim radiatis, cum intermixtis maiuſculis convexis cavis. XII. *Centuria I. plantarum,* auct. *Abrah. Iuslenio.* XIII. *Centuria II. plantarum,* auct. *Eric. Torner.* Auctores breves exhibent deſcriptiones plantarum rariorum, natale illarum ſolum, et differentias ab aliis, indicantes. XIV. *Somnus plantarum,* auct. *Petr. Bremer.* Fatetur quidem Vir Cl. propterea quod plantae nervis et ſenſatione ſunt deſtitutae, inde ſequi videri, vigilias et ſomnum illis non poſſe tribui: ſed tamen non veretur affirmare, Deum, ſi non omnibus, plurimis tamen plantis, ſomni analogon quoddam tribuiſſe. Per ſomnum vero intelligit A. eam formam faciemque, quam plantae noctu induunt, maxime a diurna earum facie diverſam, nulla habita ratione partium internarum, ſeu ipſius fructificationis. Somnum plantarum hunc non ſoli tribuendum eſſe aeri frigidiori, apparere ex eo, quod eaedem plantae, in caldario licet calenti repoſitae, et ubi idem diu noctuque ſit caloris gradus, ſolitis tamen horis ſomnum ſuum recuperant, h. e. veſperi ſe contrahunt, et ſumma aurora rurſus aperiuntur. Plantas porro, ſicut animalia, dum tenerae ſunt, avidius ſomnum carpere, adultiores vero minus illi indulgere. Cum autem folia plantarum ſint vel ſimplicia, vel compoſita, Auctor modos obſervavit, quibus utraque poſitionem ſuam in ſomno varient. Illa primum variant connivendo, cum duo folia oppoſita pagina ſuperiori tam arcte ad ſeſe applicantur mutuo, quaſi eſſet unicum

cum folium, quo tenella germina futuri ramuli foliorum et fructificationis, sub hoc involucro ab iniuriis aeris nocturni conserventur: deinde includendo, dum folia alterna noctu se cauli adiungunt, ut inter caulem et folium in tutela ac praesidio lateat tenellus ramulus, sive flos: post circumsepiendo, cum folia, alias horizontaliter posita, nocte sursum eriguntur, et caulem, aut ramulorum apicem, circumcingunt, in fundibuli formam mutantia, sub quo tenelli flores, et germinantia folia, ab omni incommodo salva conserventur: denique muniendo, cum folia suprema cum longis suis, antea horizontaliter patentibus, petiolis, circumcirca dependent, formantque quasi fornicem, quo nec flores, nec folia tenella, infestare possit ventus, imber, ros, alia. Folia composita sub somno plantam defendunt, primum sese conduplicando, cum foliola sibi invicem, ut libri folia, adiunguntur, superiorem suam tegentia paginam: tum involvendo, cum foliola tantum apicibus connivent, et inter se invicem cavitatem formant, ut ibi tenellus flos tutus lateat: porro divergendo, quando folia basi propiora fiunt, apicibus vero pateant: tandem dependendo, foliolis demissis, ne ros aut imber plantulam gravet, aut ventus concutiat; et invertendo, aut implicando, ut tegatur tenerior foliorum superficies, et ipsi petioli, immunes a vento, ab imbribus procellisque defendantur. XV. *Fungus Melitensis*, auct. *Io. Pfeiffer*. Nullam, ait Auctor, plantam, nullam medicinam, adhuc inventam, magis prodesse et sospitare in morbis evacuatoriis sanguineis, quam hunc fungum. XVI. *Metamorphoses plantarum*, auct. *Nic. Dahlberg*. Varias facit huius Metamorphoseos classes A. ut varietates, alienationes, monstrositates, simul et maxime mirifica exempla profert. Sed longiora illa sunt, et arctius connexa, quam ut partem aliquam decerpere possimus. XVII. *Calendarium Florae*, auct. *Alex. Mal. Berger*. Proposuit Auctor flores eo ordine, quo in horto Academico Upsaliensi a. 1755. explicari coeperunt, mense et die adnotatis. Neque tamen a se eo fine hunc laborem susceptum esse fatetur, quasi flores, omnibus annis, eodem

eodem menſe et die redituros eſſe perſuadeat ſibi, ſed ut et alii videant, qua ratione eiusmodi calendarium ſit inſtituendum, et propter alias inde in oeconomiam redundantes utilitates. XVIII. *Flora Alpina*, auct. *Nic. Amann.* Eſt haec diſſertatio catalogus plantarum, quae gignuntur in Alpibus Lapponicis, Helveticis, Britannicis, Auſtriacis, Pannonicis, Gallicis, Pyrenaeis, Apenninis, Rhaeticis, Italicis, Sibiricis. Magno ſtudio collegit ſingulas ex auctoribus, qui horum montium plantas exhibuerunt. XIX. *Flora Palaeſtina*, auct. *Bened. Io. Strand.* Plantas, in Palaeſtina creſcentes, Vir Cl. ſecundum methodum ſexualem, et nomina trivialia, commemorat, addita mentione locorum, quae quamque gignat. Non immerito putat, ſe hac ratione Theologis et Philologis lucem aliquam accendiſſe, in cognitione ſtirpium, quae ſaepius in ſacra Scriptura recenſentur. XX. *Flora Monſpelienſis*, auct. *Theoph. Erdm. Nathhorſt.* XXI. *Fundamenta valetudinis*, auct. *Petr. Engſtroem.* Sunt variae obſervationes, de naturae fabrica et admirabili indole corporis noſtri; et cum A. duo fundamenta vitae et roboris ponit, unum in generatione, alterum in adoleſcentia, de utroque diſſerit. XXII. *Specifica Canadenſium*, auct. *Io. von Coelln.* Exhibet Noſter latinam verſionem libri Anglicani, a *Bartramo* editi hoc titulo: *Appendix, containing deſcriptions, Virtues, and Uſes, of hundry Plants of theſe Northern Parts of America*, etc. ſimul vero nonnullarum aliarum plantarum, nuper in America ſeptentrionali detectarum, deſcriptiones adiecit. XXIII. *Acetaria*, auct. *Hieron. von der Burg.* De molliori agit et mitiori illo corporis nutrimento, quod ex vegetabilibus deſumitur, illamque Phytophagiae partem, quae menſam acetariis inſtruit, commemorat. XXIV. *Phalaena Bombyx*, auct. *Io. Lyman.* Recenſet A. naturam bombycis, mori, ova bombycum, et naturam. Phalaena vero eſt bombyx pectinicornis, elinguis, alis reverſis albidis, faſciis obſoletis fuſcis, macula lunari. XXV. *Migrationes avium*, auct. *Car. Dan. Ekmarck.* Exponitur, quae aves, quo tempore, et

quem in locum transmigrent. Causas migrationum ait esse potissimum duas, frigus et calorem; etsi fatetur, posse etiam plures esse nobis ignotas, ut structuram ipsam corporis, ratione transpirationis, et alia. Sed manum de tabula.

BIBLIOTHECA REGNI ANIMALIS ATQUE LAPIDEI, seu Recensio auctorum et librorum, qui de regno animali et lapideo methodice, physice, medice, chymice, philologice, vel theologice tractant, in usum naturalis historiae studiosorum conscripta et edita a LAURENTIO THEODORO GRONOVIO, I. U. D. Societ. Phys. Medic. Basileens. Socio.

Lugduni Batavorum 1760. sumt. Auctoris, Alph. 1. plagg. 18. in 4. mai.

Quemadmodum saepius eiusmodi libros a viris doctis edi videmus, qui et facili negotio conscribuntur, et magnam eruditionis atque ingenii speciem prae se ferunt: ita etiam subinde talia opera in lucem prodeunt, quae, licet non eundem splendorem habeant, magna tamen diligentia et labore ab auctoribus composita sunt, plurimumque utilitatis lectoribus adferunt. Facile dispersas aliorum lucubrationes colligere, facile varias virorum doctorum dissertationes edere, earumque editione nova famam et gloriam conciliare possumus. Sed paullo difficilius est, res dispersas per plurimos libros, atque hinc inde disseminatas, congerere, disponere, atque non tam ad nominis famam, quam ad opportunitates quasdam litterarum studiosis comparandas edere. Verum hisce idem accidere videmus, quod naturae operibus: plerumque enim magis admiramur magnos et rapidos fluvios, quam limpidos fontes, et proceritatem fagi et quercus, quam graciles avenas, etsi hisce maior sit, quam illis, ad vitam utilitas. Huc etiam non immerito referimus Cel. *Gronovii* Bibliothecam, quae, multo labore composita, rei Lithologicae et Zoologicae studium mirifice adiuvabit, rerum-

rerumque naturalium cupidis periucunda futura eſt. Etſi enim perſaepe moleſtum ſit, neſcire, quinam auctores de rebus quarum cognoſcendarum ſtudio tenearis ſcripſerint: tamen in tanta librorum multitudine, quibus res litteraria in dies augetur, atque etiam fortaſſe oneratur, vix fieri poteſt, ut tibi ſemper memoria Scriptorum nomina ſuggerat. Si igitur fines alicuius ſcientiae latius ſunt producti, quam ut eorum ambitum animo complecti poſſis, utile eſt, indicem eorum auctorum conficere, qui quamque rem explicaverint et illuſtraverint. Talis vero cum adhuc deeſſet, qui hiſtoriam naturalem complecteretur, ſcriptoresque, qui ſibi hanc vel illam naturae particulam explicandam et illuſtrandam ſumiſſent, recenſeret: ſuſcepit hunc Vir Cl. laborem, aliorumque commodis tali modo inſervire ſtuduit. Eſt etiam in eo contexendo percommodam rationem ſecutus. Exhibuit enim primum auctorum nomina ſecundum ordinem elementorum, librosque eorum ſecundum annos, quibus impreſſi, diſpoſuit. Interdum aliqua monuit de libro, atque, ubi viſum eſt, pauca de argumento adſperſit. In indicandis vero his Scriptoribus admodum Noſter ingenue verſatus eſt. Nam et libros, quos perluſtravit ipſe, ſigno notavit, et iis etiam, quos ipſi oculis uſurpare non contigit, notam aliquam praefixit. Rarum vero exemplum modeſtiae, noſtris inprimis temporibus, quibus magna doctrinae et ingenii gloria in notitia copioſa magis, quam accurata, non tam bonorum, quam multorum potius librorum ponitur. Neque tamen ſolus hic auctorum index ſatisfaceret votis ſtudioſorum, qui tum nomen quidem Scriptorum invenirent, res vero ipſas, de quibus ſcripſerint, moleſtiſſime totum per librum quaererent. Quare Auctor alium indicem, eumque alphabeticum materiarum, ad calcem Bibliothecae adiunxit. Omnem praeterea aetatem percurrit, atque cum e veterum temporum memoria eos laudavit, quos claſſicos Scriptores appellamus; tum maximum numerum eorum attulit, quos recentior, quos patrum, quos noſtra aetas tu-

lit. Ne tamen in hac parte candorem Viri Cl. desiderares, etiam eorum librorum catalogum exhibuit, quibus in indice hoc componendo usus est. Sunt illi fere Transactiones Philosophicae Anglicanae, Artedi Bibliotheca Ichtyologica, Acta variarum Societatum Medicarum et Physicarum, atque etiam cum compluribus aliis haec nostra Acta. Vegetabilis Regni Scriptores ideo Vir Cl. silentio praeteriit, quoniam Seguierius atque Linnaeus iam locupletissimos eorum catalogos contexuerunt. Verbo autem *regni animalis*, non hominem, sed ea tantummodo, quae proprie animalia dicimus, complexus est. Quicunque denique numerum auctorum et librorum a Nostro laudatorum inire velit, summam illum diligentiam in hoc labore adhibuisse, plurimosque omnis aetatis omniumque nationum in medium adduxisse, inveniet. Sed quod in rebus humanis accidit, ut nihil omnibus numeris absolutum sit, ita praesertim in eiusmodi catalogis scribendis non possunt non aliqua vel acutissimos et diligentissimos latere. Neque enim illico tam vasta et copiosa materia exhauriri ab uno potest, sed plurium annorum seriem exspectat, compluriumque operam postulat. Quare etiam Vir Cl. consilium cepit, supplendi atque perficiendi magis magisque hoc opus auctariis quibusdam, et, quamprimum iustum numerum Scriptorum huius generis collegerit, supplementa quaedam edendi. Atque hoc modo nullum dubium est, quin tale sit opus traditurus nobis, quod historiam naturalem valde illustret, et iis, qui pulcherrima naturae contemplatione delectentur, variis modis prosit. Recte enim in praefatione adnotavit, tantam esse librorum farraginem, ut iis naturae indagator prope obruatur; atque ibidem, id quod facile intelligitur, susceptum a se laborem valde taediosum esse, vere profitetur.

A NATURAL AND CIVIL HISTORY OF California, etc.

i. e.

i. e.

HISTORIA CIVILIS ET NATURALIS CALIFORniae, continens accuratam regionis descriptionem: translata ex Archetypo Hispanico, a MICHAELE VENEGA, Iesuita Mexicano, Madriti a. 1758. edito.

Londini 1759. ex offic. Rivingtoni et Fletscheri, P. I. Alph. 1. plagg. 6. P. II. Alph. 1. plag. 1. in 8vo.

Etsi Auctor in ipsa libri fronte indicare videtur, se non magis civilem, quam naturalem historiam Californiae tradidisse: librum tamen si evolvas, de illa multa, atque in his non pauca minuta et vix mentione digna, de hac pauca, vel nihil potius, illum memoriae prodidisse invenies. Rectius fortasse et verius librum suum inscripsisset, historiam Missionum a Iesuitis in Californiam susceptarum. Huc enim omnia referenda esse, hoc consilio hunc librum scriptum esse, ut Iesuitarum merita, cum de religione, tum de Hispania, appareant, facile quivis intelliget. Atque etiam tabula geographica nobis prope nihil aliud, quam missionum sedes, ante oculos ponit. Quod ad historiam huius insulae attinet, docet Noster, Ferdinandum Cortesium a. 1522. cum in eo esset, ut illis in regionibus transitum in mare orientale et insulas Aromaticas inveniret, illam primum detexisse. Sec. XVI. exeunte Hispanos iterum harum terrarum recordatos esse, et Sebastianum Viscainonem primum a. 1592. et deinde a. 1596. ad Californiam cursum, sed infelici eventu, direxisse. Ioannem Iturbi, propriis sumtibus sustentatum, eo nagivasse, sinum intrasse, et magnam margaritarum copiam secum retulisse. Eandem felicitatem a. 1632. et sequenti tempore Franciscum Ortegam expertum esse. Sec. hoc XVII. Hispanos non semel iter fecisse in sinum, atque Indos, ut sibi margaritas ex aequore producerent, coegisse. Verum potissimum a. 1677. eos sedulo hoc ope-

operam dediſſe, ut ſedem in California figerent, atque eo conſilio Ieſuitas aliquot ſecum adduxiſſe, qui non ſolum ſermonem incolarum didicerint, ſed etiam quibusdam de ſuae religionis doctrina perſuaſerint. Verum poſt trium annorum ſpatium ab hoc conatu rurſus deſiiſſe eos. Tandem a. 1697. P. Kino, Matheſeos peritum, illuc abiiſſe, et ſecum P. Salvaterram eodem deduxiſſe, ſumtibus eorum adiutum, qui incolas Chriſtiana religione inſtitui vellent. Eundem ſub tutamine Virginis Lauretanae ſcholam et templum aedificaſſe, atque hoc inſtitutum eandem divam variis miraculis adiuviſſe. Sed quid opus talia repetere? non magis quam illa, quae deinceps Auctor de concertationibus Ieſuitarum cum militibus, cum Indis, cum Senatu Mexicano, de innumeris velitationibus, de laboribus duorum, quos modo commemoravimus, Ieſuitarum, commemorat. Iam initio noſtri ſeculi, pergit Noſter, Philippum V. omne ſtudium in eo poſuiſſe, ut incolas Californiae et ſibi ſubiiceret, et Chriſtianis ſacris addictos videret. Sed neque tum res Hiſpaniae, multa ut in hac re efficerentur, permiſiſſe. Milites, una cum centurionibus, Miſſionariis ſubiectos, ſaepe non adeo placide hoc imperium toleraſſe, quin Ieſuita ipſum centurionem loco movere opus haberet. Hoc loco Auctor ad provinciam Sonoram, in terra continenti e regione Californiae ſitam, tranſit. Illam, ait, abundare copia argenti, ſed inopia incolarum laborare, qui opus faciant, et theſauros regionis abditos eruant. Hiſpanos magnum numerum ſubditorum, et iam Chriſtianorum Indorum, in metallifodinas abripuiſſe; indeque bono P. Kino multos iterum labores, multasque curas enatas eſſe. Eundem denique a. 1700. inveniſſe, Californiam eſſe peninſulam, ſuperius cum terra continenti coniunctam, atque inter eam et continentem ſinum illum eſſe, qui magna illa margaritarum copia abundet, et in quam magnus fluvius Colorado effundatur. Hiſpaniarum regem usque ad annum 1705. tantummodo 18000. thaleros ad haec efficienda ſuppeditaſſe: ſed Ieſuitas, reliquosque eorum

eorum fautores, 1265000. thaleros impendiſſe. Tandem a. 1716. P. Salvaterram tribunal quoddam conſtituiſſe, quod cum ea quae ad religionem, tum quae ad regni ſtatum pertinent, gubernaret. Summam rerum eſſe apud Ieſuitarum ordinem. Quod ad ipſam inſulae faciem attinet, vellemus in ea deſcribenda copioſior Auctor fuiſſet. Pauca ſunt, quae de arbuſtis, arboribus, piſcibus, animalibus dicit; paullo plura de arbore Pitahaya, genere aliquo fagi, cuius fructus incolis pro alimento eſt. Fructus hic externe ad caſtaneae, interne ad ficus ſimilitudinem accedit. E mari multae margaritae efferuntur: atque inde ab a. 1752. in montibus circa Avilam et Andaluſiam vera manna invenitur. Alias terram eſſe aridam, ſterilem, multis rupibus obſitam, et parum cultam: paúlo magis frugiferam eſſe regionem S. Lucae, vitibus conſitam a P. Ugarta, atque hinc inde valles frugiferas conſpici. Incolas corpore eſſe bene conformato, ſed colore fuſco: eosdem inertes, pigros, et voluptatibus deditos, turbulento quidem eſſe animo, et ad ſeditiones promto, ſed ſimul timidos, et a forti viro facile coercendos. Nulli eos creaturae divinum honorem habere, etſi quidam de deo bono et malo aliquid ſciant. In quibusdam tamen regionibus templa et idola inventa fuiſſe. Quemadmodum fere omnes Americae populos, ita etiam Californianos, Magos quosdam habere, quos Auctor minime aliquo deo agitari, ſed fraudibus et variis geſticulationibus fucum aliis facere, fatetur. Feminas quidem velleribus aliquot tegi, ſed viros adeo omni veſtitui infenſos eſſe, ut non parum excandeſcerent, cum miſſionarii illis veſtitum commendarent. Haec de prima Parte. In altera Auctor hiſtoriam Miſſionum inde ab a. 1717. continuat. Hoc enim anno Philippum V. iterum animum ad occupandam Californiam intendiſſe. Accidiſſe etiam eo tempore, ut Cardinalis Alberonius 80000. numos aureos renueret, quos vir quidam opulentus ea conditione obtulerat, ut nemini, praeter ſe, eo coloniam deducere liceret. Patrem quendam, Iacobum Bravo, rem eo tan-

tandem perduxiſſe, ut nova e Mexico auxilia Miſſionarii acciperent. Anno praecedenti ventorum tantam vim ſaeviiſſe, ut puer terra abreptus, neque unquam poſthac inventus ſit. Atque eiusmodi procellas fortaſſe olim Californiam terra denudaſſe, ut iam rupes tantum et ſaxa relicta ſint. A. 1720. varias novas miſſiones ſuſceptas eſſe, atque a. 1722. magnam vim cicadarum ingruiſſe. Incolas fame impulſos eas comediſſe, unde ulcera maligna et vehementes morbos ortos eſſe, quibus multi perierint. Aliquoties bella nata fuiſſe, e quibus tamen Hiſpani ſemper ſuperiores diſceſſerint. A. 1734. navem, quam Gallionem vocant, primum ad S. Lucae appuliſſe, et quotannis ad eundem locum appellere. Eodem anno incolas, Fratres, Tameralem et Carranconem, occidiſſe, et aliquot miſſiones evertiſſe. Coloniam vero Iaquiſianam militibus 500. ſeditionem compeſcuiſſe. Mox rebus compoſitis a. 1745. ſedecim parochias inſtitutas fuiſſe, quae ſingulae pagos aliquot complectantur. Dein adſperguntur hic quaedam ab Auctore de libera Apacharum natione, de navigatione a P. Conſay a. 1746. ſuſcepta, et de navigatione ducis Viſcayno a. 1602. facta. Monentur etiam nonnulla contra Anſonianum Itinerarium, et de Californianis ſeptentrionalibus, quos mitiores A. et placidiores aliis eſſe dicit.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiae

Calendis Novembris Anno MDCCLX.

TRAITE D' OSTEOLOGIE, etc.

i. e.

ALEXANDRI MONRO, PROFESSORIS ANATOmiae, et Membri Societatis Regiae, quae Edimburgi est, Tractatus Osteologicus, ex sermone Anglico in Francogallicum versus. Accesserunt tabulae in aes incisae, quibus et adulti hominis, et foetus, ossa, ad naturae veritatem depicta, una cum explicatione figurarum exhibentur. Auctore Dom. SUE.

P. I. et II.

Lutetiae 1759. apud Wilhelmum Cavelierium, Fol. Imperial. Alph. 6. pl. 21. Praefat. pl. 13. Tabb. aeneae XXXI. quarum singulae duplae exhibentur.

Quemadmodum nemo facile futurus est, nisi fortasse rationis lumine cassus, qui humani generis calamitates multo maiores sine artis salutaris auxilio fore, neget; ita nec quemquam arbitramur esse dubitaturum, quin ars salutaris ipsa, maximeque pars ea quae manu medetur, si Anatomiae lumine careat, ambobus oculis carere recte dicatur. Quae cum ita sint, non satis laudari poterit eorum industria atque diligentia, qui nihil incultum relinquunt eorum, quaecunque ad scientiam anatomicam iuvenum animis instillandam pertinere videantur. E quarum rerum censu haud dubie sunt icones anatomicae, quas artifex ad naturae

veritatem depinxit. Quapropter neque miramur, multoque minus reprehendimus operam, quam in adornandis tabulis hisce osteologicis eximiam navavit Clarissimus SUE; sed ultro utique lubenterque fatemur, icones, quas de humani corporis ossibus vir integerrimus curavit exprimendas, splendidissimis atque nitidissimis ALBINI et CHESELDENI operibus, neque artis pictoriae elegantia cedere, neque naturae veritatem minus recte exprimere videri. Opus hoc admodum commendabile Clariss. SUE divisit in duas partes; in quarum prima, post satis prolixam praefationem, qua studii anatomici necessitas atque praestantia, iconumque anatomicarum utilitas et commoditas, idoneis rationibus asseruntur, sequitur Tractatus Osteologicus, quem ALEXANDER MONRO, vir celeberrimus, et in Universitate Edimburgensi Anatomiae Professor, anno huius seculi vicesimo sexto primum composuit, atque evulgavit, iteratisque vicibus, sexies nimirum, deinde edere coactus fuit. Titulus libri est: The Anatomy of the human bones and nerves, by ALEXANDER MONRO, Edinburg 8. etc. Librum hunc pereximium ex sermone Anglico in Franco-Gallicum transtulit Vir quidam doctissimus, scholae SUEANAE olim alumnus, doctissimis vero adnotationibus auxit ornavitque ipse Clarissimus SUE. Librum igitur hunc Celeb. MONROI, orbi litterato quippe percognitum ac perquam commendatum, ipsiusque contenta, ut prolixius enarremus necessum non videtur. Praecipua proinde argumenta eorum, quae Cl. SUE adiecit, tantummodo cum lectoribus nostris communicabimus. Eo loco, quo Cel. MONRO de osteogenia disputat, Cl. SUE nonnulla exempla ossificationis praeternaturalis exponit. Vidit nimirum pleuram maxima ex parte osseam, glandulam thyroidem multis partibus osseis conspicuam, piam menyngem, choroideum plexum, lentem crystallinam, ad naturam osseam propius accessisse, ac puncta ossea, eademque haud pauca, contraxisse. Cum Cl. MONRO horrendum illum morbum, quo adulti hominis ossa naturam suam deponunt, atque remollescunt, paucis attigisset, Clariss. SUE morbum illum oppido

oppido rarum uberius deſcribit, quo noſtra aetate feminam quandam Pariſienſem, SUPIOT vulgo appellatam, miſerrime decubuiſſe omnes norunt; de eius cauſis opinionem proponit; et conditionem cadaveris, quod ipſe diſſecuit atque perveſtigavit, memoriae prodit. Omnia oſſa famoſae iſtius feminae usque adeo corrupta erant, atque ita emollita, ut omnis eorum ſubſtantia, praecipue ſolidior illa atque media, prorſus deperdita eſſet, atque in meram ſaniem converſa, neque praeter perioſteum ſupereſſet quicquam. Oſſa artuum extremorum eum in modum erant incurvata, ut extremitates inferiores primo ab ſe invicem magis ac magis recederent, deinceps plane retro caput aegrotantis feminae elevata atque recurva reperirentur, horrendo et mirabili ſpectaculo. Extremitates ſuperiores variis in locis erant inflexae, ad modum figurae angulosae illius, quam zigzak Galli vocant. Oſſa illa latiora atque breviſſima paulo minus erant immutata, ac propemodum ſpeciem cartilaginis tenuioris, aut membranae etiam, referebant. Femina cum morbo iſto per quadriennium conflictata eſt. Quo tempore ter utero concepit, quamvis interea ſaeviſſimis doloribus excruciata, ſudoribusque profuſiſſimis exſoluta, et omni terrea ſolidiorique materia ſpoliata. De cauſa tam horrendi morbi Vir Clariſſimus ſuſpicatur ita, ut corruptam oſſium medullam, et reliquum ſuccum oſſium medullarem ſimiliter corruptum, vice proximae cauſae omnino fuiſſe exiſtimet. Corruptionem autem exſtitiſſe ex nimia copia ſalis marini, cuius ſaporem atque gratiam biennio ante morbum ingruentem inſolita appetentia proſecuta erat femina, quodque omni ſeptimana ad libras duas et ultra devoravit. Atque haec quidem de morbo feminae iſtius. Cuius memorabilis caſus hiſtoria anſam praebuit, morbum illum, quo oſſa noſtris temporibus emolliri paulo frequentius, quam olim quidem, ſolent, in gradus ſex diſpeſcendi. Et ad gradum quidem ſextum refertur morbus is, quem hic enarravimus. Oſſibus illis tredecim, e quibus maxillas ſuperiores conſtare omnes ſciunt, Clariſſimus SUE addit oſſicula illa turbinata

ſpheroidalia, quae celeberrimus, dum viveret, BERTINVS, deſcripſit, ac pro oſſibus ſeparatis diſtinctisque habuit, vocavitque *petits cornets ſphéroidaux*. Dicuntur ea eſſe figurae triangularis, inferius convexa, ſuperius concava, ſitumque ac locum obtinuiſſe inter poſteriorem oſſis ethmoidei partem, et anteriorem inferioremque oſſis ſpheroidei partem, ante huius criſtam, et prope mediam vomeris partem. De quibus oſſiculis iudicium noſtrum ſuſpendimus, aliisque diſcutiendum relinquimus, utrum vere diſtincta osſicula ea ſint, an potius ad oſſa palatina, tanquam partes ad totum, referri mereantur. Alio loco ipſe Clarisſimus MONRO, et, quem hic ſecutus eſt, DEVENTER, qui praecipuum obſtetriciae artis momentum in recte regendo oſſe coccygis poſuit, a doctisſimo SUE meliora edocentur, cum nimirum oſtenditur, os iſtud non niſi perraro, et eo tantum caſu impedimentum infanti naſcituro obiicere poſſe, quando id usque adeo anteriora verſus inclinatum eſt, ut infantis capiti, quod iam partem maioris pelvis anguſtiorem, fauces dixeris, ſibi expediviſſet, ab oſſe iſto nova remora obiiciatur. Deſcribitur porro admiranda fabrica articuli, quo humerus cum ſcapula aliquando fuit coniunctus. Humerus nimirum in ſuperiori extremitate non capitatus erat, ſed cavitate articulari conſpicuus, ſcapulae vero pars anterior et ſuperior non excavata, ſed eminentiori capitulo inſtructa conſpiciebatur. Alio tempore Clariſſ. SUE diſſecuit pueri octo annos nati cadaver, cuius os femoris ſiniſtri lateris, neque in caput, neque in collum faſtigiatum erat, ſed tantummodo obliquam ſatisque latam oſtendebat ſuperficiem, quae ſimili osſis ilium ſuperficiei reſpondebat, atque cum ea articulum conſtituebat; quem validisſima ac numeroſisſima ligamenta confirmabant. Praeter has annotationes multo plures reperias, quibus vel Auctorum loca indicantur, vel nonnulla illuſtrationis quippiam accipiunt. Pars operis altera ſoli Clarisſimo SUE debetur, eademque nihil niſi ſatis ampla et clara explicatio nitidisſimarum iconum continetur. Explicandi ratio ea eſt, qua poſitus osſis, quem, dum pingebatur, habebat, indi-

indicatur, omnesque, quae in eo ossis positu conspici queant, partes enumerantur. Tabulae viginti quinque priores ossa adultorum repraesentant; tabula vigesima sexta, vigesima septima, duodetricesima, et undetricesima, sistunt ossa foetus ex sceletis diversae aetatis et magnitudinis; tabulae demum duae postremae ossium dissectorum fabricam internam pulcherrime exprimunt. Tabulas singulas esse duplas, supra iam diximus: quarum altera solos ductus lineares, una cum adscriptis litterulis continet; altera vero, et huic ad latus posita, icones umbra et luce distinctas sistit. In qua re Auctor noster imitatus recte videtur Celeberrimum Albinum.

DE OBIECTIONIBUS VIRI CLAR. LIBERATI FASSONII, contra rationis sufficientis principium, differit IO. CHRISTOPHORUS GOTTSCHEDIUS, Log. et Met. P. P. O. Acad. Reg. Boruss. Electoral. Moguntinae et Bavaricae, nec non Instit. scient. Bonon. adscriptus.

Inter eos, qui celebratissimum hisce temporibus Principium, quod RATIONIS SUFFICIENTIS nomine venire solet, ex parte impugnaturi insurrexere, nemo facile meliori mente, armisque firmioribus id fecisse videtur, LIBERATO FASSONIO *) a S. Ioanne Baptista, V. C. ex Piarum Scholarum Sociis, Theologiae Graecarumque litterarum in Collegii Senogallensis Seminario Professore. Qui enim Philosophum genuinum decet, veritatis amor, nullibi magis elucescere deprehenditur, quam in hac dissertatione, qua et summam erga illustres Viros, LEIBNITIUM, WOLFIUMque, venerationem, et aequitatem erga dissentientes laudatissi-

 mam,

*) Prodiit Libellus hoc Titulo: De Leibnitiano Rationis sufficientis Principio, Dissertatio Philosophica Liberati Fassonii, a S. Ioanne Baptista, de CC. RR. Scholarum Piarum in Senogallensi Seminario atque Collegio eiusdem Familiae Theol. et Graec. Litt. Prof. Senogalliae 1754. Typis Steph. Calvarii, in 4. mai.

mam prodidit. Liceat igitur nobis, erga hunc tantorum Philosophorum adversarium pari iure uti, eiusque obiectiones, quantum et res ipsa, et vires ingenii, quae quam modicae sint apprime novimus, patiuntur, discutere.

Et ad aequitatem quidem quod attinet Clariss. FASSONII, ea vel maxime ex prima Libelli Sectione apparet. Postquam enim eiusdem Principii historiam paucis exposuit, naturam eius et indolem, multumque apud priscos Philosophos usum, edisserit. Hic primum, quid per *rationem*, eamque *sufficientem*, intelligatur, non ex suo ingenio comminiscitur, sed ex WOLFII CANZIIque scriptis docet. Addit, quotuplex ea esse possit, *essentiae* scilicet, *existentiae*, *proprietatum*, *possibilitatis*, *relationis*, *similitudinis*, *vis*, et ita porro. Hanc itaque enuntiationem: *nihil est sine ratione sufficiente, cur potius sit, quam non sit*, rationis sufficientis, immo *determinantis* quoque nomine, (Theod. P. I. §. 44.) a LEIBNITIO dici: immo *completam*, *perfectam*, et *totalem* ab aliis vocari, monet. Porro principii huius naturam ac vim, foecunditatem, usumque in singulis Philosophiae partibus multo amplissimum, LEIBNITIUM distincte evolvisse et aperuisse, immo in lucem magno suo merito protulisse primum, fatetur; ita ut eius conditor auctorque merito dici queat. WOLFIUM postea, acerrimi ingenii et intelligentis iudicii hominem, doctrinam hanc a LEIBNITIO acceptam illustrasse, auxisse, munivisse, et suam quasi fecisse; immo decoris ac splendoris multum eidem addidisse, asserit.

Interim non infitiatur Cel. FASSONIUS, ab ultima fere antiquitate Leibnitianum axioma hoc dudum innotuisse, et apud vetustissimos Philosophos usum saepe insignem habuisse; etsi nec satis distincte intellectum fuerit, nec probe explanatum. Cognovit idem certe Sinensium Philosophus antiquissimus, CONFUCIUS, adhibuit PLATO in Timaeo, adhibuere ARISTOTELES, PROCLUS, ARCHIMEDES, LUCRETIUS, CICERO, SENECA, AUGUSTINUS, AVERRHOES, THOMAS AQUINAS, CARTESIUS, aliique plures, cum veteres, tum recentiores: id quod allatis ipsorum locis A. abunde ostendit. Commemo-

memorat quoque, hanc Principii memorati antiquitatem fassum etiam esse illustrem WOLFIUM; secus ac a Viro Cl. ANTONIO GENUENSI (in Elem. Metaphys. P. I. c. 6.) exprobratum ipsi fuit. Pronuntiat tandem, LEIBNITIUM rem tantum distincte evolvisse, e tenebris et caligine in lucem eruisse, et *rationis sufficientis* axioma, veluti primarium quoddam, latissimeque pervagatum Philosophiae Principium, adhibuisse.

Nec his contentus V. C. in commendando hoc axiomate ulterius pergit, asseveratque, mirificum idem in omni Philosophiae parte, et prorsus egregium usum habere. In explicatione naturae, peculiare ac proprium Philosophi esse, in sufficientes rerum rationes inquirere: quum id vulgum inter atque Philosophos intersit, quod hi rerum causas, origines, atque principia pervestigant, seu, ut LOCKIUS loquitur, mundum intelligibilem populoque ignotum scrutantur; populus autem eo contentus sit, quod sensibus, quid in natura fiat, percipiat. Hac autem Philosophia, ad efficiendam quoque vitae tranquillitatem, nihil, ait, conducibilius esse posse. Timores enim et inanes sollicitudines, et plerasque animi perturbationes, quibus homines ex vulgo torqueri conspicimus, maximam partem inde potissimum progigni, quod in summa rationum, sufficientium ignorantia versentur. Ubi ergo de veritate agatur, quae a Philosophis contingens dici solet, rationis sufficientis principium, ut in re explicanda evolvendaque adhibeatur, necesse esse. Etenim, quum una eademque res diverso alioque prorsus modo esse possit, et varias subire queat vicissitudines; omnino enuntiari non posse, rem aliquam ita se potius habere, quam aliter, nisi sufficiens quaedam in medium adducatur ratio. Et in hoc quidem principii usu universali inculcando, eousque progreditur V. C. ut §. 21. p. XVI. seqq. contra nobilissimae Matronae DU CHATELET (Cap. I. §. 8.) effatum, in veritatibus etiam necessariis, arithmeticis scilicet, geometricisque, quas soli contradictionis principio superstrui existimavit, rationi sufficienti locum esse asseveret. Quum

enim,

enim, docente WOLFIO, (Ontol. Not. ad §. 129.) *Quo posito aliquid ponitur, illud eius ratio sufficiens sit;* proprietates autem vel attributa a rei essentia proficiscantur: sequi id necessario putat, quod efficiendum erat. Concludit proinde V. C. §. 22. *Itaque nemini, qui sui compos sit, in dubium venire debere principium saepe dictum, nisi frigidissimis contradictionibus irretire se turpiter velit, et repugnantia comminisci.*

Supersedeo ea in medium afferre, quae in ulteriorem huius axiomatis confirmationem subiunxit V. C: id tamen sicco praeterire pede nefas duco, quod §. 23. addere ipsi visum est. Nimirum, ne quidem ex mundi huius consideratione, et naturae contemplatione, argumentum duci posse adversus impios effrenesque homines, qui Deum esse, eidemque originem suam debere universum hoc, pernegant, nisi adhibito *rationis sufficientis principio.* Omnia enim casu, et fortuito, sive ex nihilo gigni potuisse, si absque ratione sufficiente quidquam oriri posset: quo ipso quid absurdius excogitari potest? Perspexisse hoc intelligentissimum LEIBNITIUM, addit, cum in egregio Theodiceae opere, tum in Epist. V. ad CLARKIUM §. 126. ubi sine magno hoc principio, non perveniri posse ad probationem existentiae divinae, nec rationem reddi plurimarum magni momenti veritatum, pronuntiat *). Exinde autem §. 24. merito falsitatis coarguit Virum ceterum acutissimum, ROGERIUM BOSCOVICH, qui in Dissert. de aestu maris, quaedam Cel. EULERI, (at profecto hominis in alius verba minime iurantis,) argumenta, ex rationis sufficientis penu depromta expediturus, statuit: Principium hoc nostrum, *quod nunc maxime adhiberi solet, numquam posse esse usui ulli, ad quidpiam utcumque determinandum, multo minus ad demonstrandum.* Hoc ut refellat, ad Ill. WOLFIUM provocat, qui eo nixus principio, celebres illas

*) *Sans ce grand Principe, on ne sauroit venir à la preuve de l'existence de Dieu, ni rendre raison de plusieurs autres verités importantes.*

illas naturae motusque leges, a NEWTONO ſancitas, in Coſmologia cap. 4. bellisſime demonſtravit. Quid? quod axioma hoc Leibnitianum aeternitatem quoque mundi averruncat et confodit. Tollere enim idem infinitam cauſſarum ſeriem, ex aeternitate mundi manantem, nec vulgo ſatis evidenter refutatam. Quid denique, quod ex eodem principio facile oſtendi posſit, materiae cogitandi vim non convenire; et primaria elementa corporum, non niſi ſimplices incompoſitasque ſubſtantias eſſe oportere. Newtonianos nempe, reliquosque Atomiſtas, ſufficientem extenſionis rationem nec afferre, nec ullo modo afferre poſſe; id quod fuſius A. explicat. cet.

Vindicat poſtea idem contra FORTUNATUM A BRIXIA, Philoſophum modernum Italum, qui hoc principio Leibnitiano nihil magis aſſeri et innui pronuntiavit, quam tritum illud: *Nihil ſine cauſſa.* Ubi ſcilicet vel ipſe Fortunatus, inter rationem et cauſſam multum intereſſe docuiſſet, non omnem cauſſam pro ratione haberi poſſe concludit. Licet enim cauſa quaelibet, ſufficientem cuiusque rei rationem conſtituat, tamen non omnem rationem ſufficientem cauſſam eſſe aſſerit. Patere hoc ex Carteſiano enthymemate: *ego cogito, ergo ſum.* quo CARTESIUS, ut ſe eſſe efficeret, utebatur. Neque enim Philoſophum hunc, cogitationem tamquam exiſtentiae ſuae cauſſam ſumſiſſe: ſed tamquam rationem ſufficientem poſuiſſe, unde intelligi poſſet, ſe cogitantem exiſtere. Taceo plura, quae ex Scholaſticis huc facientia in medium affert. Haec enim allata, ſatis, ni fallor, evincunt, quo animo ſit Clariſſ. FASSONIUS in omnem Philoſophiam Leibnitianam, hocque potisſimum rationis ſufficientis Principium. Aequisſimum ſcilicet ſe praebuit meritorum adverſarii ſui iudicem, exemplumque dedit excellens, quod ſequantur ſane omnes, qui in magnorum virorum opiniones inquirere curatius, Lectorumque calculum ferre aliquo modo velint. Quae mens, utinam omnibus fuiſſet illis, qui in arenam, contra duumviros hos, Philoſophos

Germanorum huius saeculi facile maximos, descendendum sibi esse crediderunt.

Haec quum ita se habeant, non parum miratus sum, in tanta mentis perspicacia et eruditione, in tanta quoque erga adversarium aequitate, tamen id manu altera quasi abstulisse iterum LEIBNITIO, quod altera dederat, Clarissimum FASSONIVM. At, ea est ingenii humani subinde imbecillitas, ut nonnumquam vel in rebus maxime perspicuis titubet; eaque, quae se invicem consequuntur in veritatum catena, minime perspiciat. Quis quaeso credidisset, Virum adeo acutum, qui universalitatem Principii huius iam in luce posuerat, et contra adversarios propugnaverat feliciter, eousque hallucinari posse, ut quasi media via subsistere, eaque relicta, ex regia veritatis, ad CLARKII devia deflectere potuerit. Legat quaeso, qui dubitat, sequentia (§. 27.) verba: *Itaque, etsi sapientis est, nihil defendere, quod Leibnitianum dogma, eiusque usum ac vim labefactet: illud tamen in quaestionem hic venit: an in caussis, quae cognitionis libertatisque participes sunt, ipsa voluntas, veluti sufficiens aliquorum effectuum ratio, subinde afferri possit?* Recenset eorum, qui id negarunt, secundum Leibnitium et Wolfium, nomina: Hanschios, Thummigios, Bülfingeros, Reinbeckios, Canzios, aliosque; sed addit etiam nomina adversariorum, Sam. Clarkii, Crousatii, Langii, Voltarii, Monigliae. Horum numero etiam multos veteres Theologos adscribendos censet: licet hi, nostro quidem iudicio, ante motam controversiam, satisque explicatum caussae statum, securius locuti sint, eaque propter in censum venire nequeant. Hi scilicet arbitrantur, *nonnullorum eventuum sufficientem rationem ex sola voluntate, eiusque arbitrii vi, quandoque petendam esse;* cui sententiae suum quoque calculum iam additurus, probationem ipsam A. aggreditur.

Exponit autem et hic, amota a se invidiae vel malitiae suspicione omni, Leibnitianae doctrinae summam, ad controversiam probe perspiciendam, maxime necessariam. Rationem sufficientem, cur animus aliquid velit, vel nolit, *Motivum*

vum vocari monet. Ex motivis ideo intelligi, cur aliquid velimus potius, quam nolimus: quumque nihil ſine ſuff. rat. eſſe queat, numquam voluntatem, vel divinam, vel humanam, in actum erumpere ſine motivis. Eſſe autem motiva diſtinctam boni malive cognitionem, aut ſi mavis perceptionem. Si nempe quicquam, veluti bonum percipimus, illud appetimus; ſin tamquam malum percipimus, averſamur. Quodſi contigerit, ut ex pluribus bonis, quorum animo obiecta eſt ſpecies, alterum alteri praeferendum ſit, illud ſemper praeferri ſolere, in quo plus ineſſe boni iudicaverimus. Eſſe autem motiva duplicia, partim intrinſeca, partim externa. E. g. ſi ex duobus numis eligendi optio mihi data fuerit, huncque pro alio eligam propter pretium maius, intrinſecum erit motivum; extrinſecum contra, ſi ideo eligam, quod eum a Viro quodam illuſtri poſſeſſum fuiſſe noverim. Ubi tandem in electione inſtituenda utroque motivorum genere deſtitutus fuero, non tamen temere agam; ſed magis familiari agendi ratione utar, inter bona plurima id praelaturus reliquis, quod primum attentionem meam ad ſe allicuerit. Quamvis haec ratio proprie non ſit, cur bonum iſtud appetatur; ſed potius cur alterutrum reliquis praeferatur.

Hominis itaque libertatem ex mente WOLFII, in *facultate* ponit, *qua mens ex pluribus poſſibilibus*, *ſponte eligit, quod ſibi maxime placet, quum ad nullum eorum per eſſentiam ſuam determinata ſit.* Placere autem menti, quod bonum ipſi videtur. Nunquam igitur animam ſine motivis agere; tantum abeſſe, ut contra motiva agere ſoleat. Ne autem quis temere ſtatuat, rationem ſufficientem libertati opponi, animadvertendum eſſe, *neceſſitatem hypotheticam* rei contingentiam labefactare non poſſe. Eſſe autem non niſi hypotheticam neceſſitatem in volitionibus, ex motivis contingentibus, non autem ex neceſſitate eſſentiae ortis. Aliis enim motivis praeſentibus, aliter acturam fuiſſe mentem. Contingens itaque fuiſſe, quidquid ea voluerit et egerit; i. e. libertatem eius ſibi conſtitiſſe. Quod ſi quis in anima admittere noluerit, ad *caſum purum* ipſi confugiendum fore in

volitionibus, i. e. ad effectum, sufficienti ratione destitutum. Hunc igitur casum Leibnitiano axiomate tolli, non libertatem.

Pergit Auctor Sapientiam divinam explanare, et exinde optimi mundi existentiam concludere, qui Deum infinitum quam maxime decuerit. Hic TULLII verbis ex Oratore petitis declarat: *decere*, idem esse, *quasi aptum esse consentaneumque personae; quod in omnibus rebus valet: contraque idem dedecere.* Quod decorum, licet secutus sit rerum omnium Architectus, tamen fatali illum necessitate minime abreptum fuisse: eo, quod sciens atque volens, sapientiae bonitatique suae convenienter, i. e. lubentissime omnia egerit. Taceo, quae de Monadibus et indiscernibilium principio hic repetiit V. C. Omnia enim, quae in hoc systemate Leibnitiano colligata quam elegantissime, Italisque suis forte nondum satis familiaria sunt, uberius expromenda ipsi visa fuerunt; quibus et bonam fidem suam ostenderet, et rationum suarum vim firmaret. Et in principio quidem indiscernibilium illustrando ita versatus est, ut pervetustis Philosophis dudum id exploratum et peramatum fuisse ostenderet. Sic LUCULLUM apud CICERONEM (Acad. Qu. L. IV. c. 26.) negasse memorat, tantam esse in rebus similitudinem, ut usu saltem, consuetudine ac diligentia, internosci non possint. Immo, IORDANUM BRUNUM, in Libro *de minimo*, eiusdem disciplinae meminisse: divumque THOMAM paria docuisse monet; quibus WOLFIUM notat, in Cosmologia asserentem: LEIBNITIUM *primum animadvertisse omnium rerum dissimilitudinem.* Sed facile veniam merebitur WOLFIUS huius asserti, ubi eadem aequitate cum eo agere volueris, qua circa principium rationis sufficientis, vel Cl. FASSONIUS ipse, usus est in superioribus.

Haec doctrinae Leibnitianae summa, candide ab adversario exposita, ne manca esset ulla in parte, id tandem subiungitur: LEIBNITIUM ipsum fateri: *licet sufficiens semper, cur aliquid fit, vel non fit, ratio adsit; saepenumero tamen ignotam*

notam eam esse; quemadmodum in eandem sententiam dudum cecinit Martialis:

Non amo te, Volusi; nec possum dicere quare;
Hoc tantum possum dicere: Non amo te.

Addere praeterea LEIBNITIUM, cum suis, monet: ubique tamen patere, aliquam eiusmodi rationem, inexplicabilem licet, adesse. Cuius asserti veritas, vel ex ipso exemplo MARTIALIS confirmari potest. Quis enim credat, prorsus sine omni ratione, *Volusio* infestum fuisse Poetam, vel non amâsse eundem? Profecto, si regula vera est, ab OVIDIO dudum tradita:

— — — *Ut ameris, amabilis esto!*

caruisse *Volusium* hac amabilitate censendum est; qua si praeditus fuisset, amatus etiam a MARTIALI fuisset. Quis enim concipere potest amorem vel odium, omni ratione destitutum? Verum haec sufficiant: audiendus nobis iam venit Cl. FASSONIUS, qui, ut obiectionibus suis eo maiorem firmitatem conciliaret, hac methodo, mathematicae aemula, contra LEIBNITIUM insurrexit, §. 40.

LEMMA: *Duo aut plura quaeque, undequaque et absolute simillima intrinsecus, perque se, non repugnant.*

Habeo id instar axiomatis, quippe voluntaria Leibnitii et Wolfii, quibuscum agitur, confessione comprobatum. Etsi enim LEIBNITIUS et WOLFIUS duo individua sui prorsus similia in rerum natura esse repugnare docuerint; agnoscunt tamen, et annuunt, repugnantiam hanc a solo rationis sufficientis principio, quod everti sentiunt, non ab ipsa rei essentia dimanare. *Quum nego,* ait LEIBNITIUS, duas esse aquae guttas undique similes, aut duo quaevis corpora, quae internosci nequeant; non equidem dixerim, *absolute esse impossibile ut sint.* Sed rem dico divinae sapientiae adversari, adeoque nullibi existere. (*Epist. V. ad Clarkium,* §. 25.) Id etiam rotundis verbis fatetur, ut debet, CHRISTIANVS WOLFIVS, in Cosmol. nota ad §. 246. LEIBNITIVS ait: *primus animadvertit omnium rerum dissimilitudinem; quum videret, indiscernibilia repugnare principio rationis sufficientis; etsi*

 abso-

abſolute impoſſibilia non ſint: atque ea de re locutus eſt in Epiſtolis ad Sam. Clarkium. Addi poſſet BVLFINGERI teſtimonium, qui in Dilucidationibus Philoſ. Sect. I. c. 4. §. 94. eadem ratione et via hanc in rem argumentatur, qua ſuperiores illi. Quocirca duo, vel plura quaelibet, inter quae ne minimum quidem interſit, abſolute, et ſuopte ingenio non repugnant, Leibnitianis concedentibus. *Hactenus ille.*

Liceat nobis, ad haec Auctoris verba, quid nobis regerendum videatur, paucis interſerere. Egregie rem ſuam gerere coepit CL. FASSONIVS, καθ' ἄνθρωπον, contra LEIBNITIVM WOLFIVMque diſputaturus. Sumit enim id, quod clariſſime fatentes reperit, tamquam munimentum firmum, ex quo ſua in ipſos tela torqueat: id quod licitum diſputantibus ſemper fuit exiſtimatum. Si enim dicendum quod res eſt, perlectis, quae ſequuntur, omnibus, relectisque aliquoties, evicit utique hic adverſarius acutiſſimus, id quod evincendum ſibi ſumſit: ſaltem contra incautos hos adverſarios, qui aſtuto huic hoſti, latus, ut ita dicam, nudum praebuerunt; concedendo ea, quae, quantum ego perſpicio, nullatenus concedenda fuiſſent. Quantacumque enim ſit erga hos Duumviros ſummos reverentia mea atque veneratio, non poſſum tamen, quin ab eorum ſententia hic recedam, tritum illud ſecutus, *carus Socrates, carus Plato,* etc. *carior omnibus veritas.* Miror profecto, Viros adeo ſyſtematis ſui gnaros, tantoque ingenii acumine praeditos, admirabili iſta, qua pollebant mentis acie, minime proſpexiſſe, venturum aliquando adverſarium, qualis eſt Cl. FASSONIVS, hominum acutiſſimus; qui proprio ipſos telo iugulaturus eſſet. Nihil autem, uti ego quidem exiſtimo, ipſos adigere poterat, ut a ſapienter invento principio indiſcernibilium in tantum recederent, ut faterentur: *cogitari absque repugnantia, immo eſſe etiam poſſe, duo perfecte ſimilia.* Aut enim univerſalis debet eſſe alicuius propoſitionis vis et aſſertio; aut plane principii nomen non meretur. Male igitur LEIBNITIVS, aut pro principio venditavit hanc aſſertionem: *Non dantur duo perfecte ſimilia;* aut peius admiſit, *cogitari tamen, imo*

exi-

existere etiam posse duo perfecte similia. Profecto, quemadmodum securius subinde locutos esse Ecclesiae antiquae Patres, adfirmare solent Theologi, ante motas ab Haereticis controversias; ita ego quoque pronuntio, LEIBNITIVM WOLFIVMque incautius locutos esse hac de re, ante motam a Cl. FASSONIO nostro controversiam. Id quod ex sequentibus magis adhuc patebit. Pergit Auctor noster:

§. 41. *Scholium.* Quamvis autem hoc esse possem contentus ad concludendum quod volo; si quis tamen *Lemmatis* rationes curiosius, quam necesse est, exquireret, id quod sumsi, ita conficerem. Quidquid enim distincte, nedum dilucide, animo ac mente percipitur, sane constanti Philosophorum omnium consensione absolute esse potest. Impossibilium enim, cuiusmodi est velocitas maxima, vel figura rectilinea duobus constans lateribus, vel denique Ellipsis, cuius ordinatarum quadrata non sint inter se ut rectangula ex axis segmentis, nequit ulla; tantum abest ut distincta idea, animo informari queat. Duo autem inter se, undiquaque simillima, distincte, atque clarissime cogitatione intelligentiaque complectimur. Hic enim intimum cuiusque sensum appello, an non duo, vel plura, quae nihil specie differant, distincte, ac dilucide in diversis locis percipiat? Profecto, si studia partium exuamus, id perspicuum omnibus, atque manifestissimum videri debet; neque hinc res plures omnino, et undequaque simillimas suapte natura repugnat esse. Deinde, cum possibilium nomine veniant, quae nullam prae se repugnantiam ferunt, plane non video, cur absolute repugnet, duas materiae particulas, v. g. duo sidera, duo animantia, plantas duas simillimas, soloque numero differentes, in natura esse posse. Neque res in dubitationem adducenda est, ne alioquin divinam vim atque potentiam brevioribus, quam oporteat, circumscribamus limitibus. Rursus igitur, aliqua aliorum ex omni parte similia intrinsecus, perque se, non repugnant. *H. i.*

Audivimus Cl. FASSONIVM, id, quod antea sumserat, tanquam liberaliter sibi concessum, iam demonstrantem. Ultro con-

concedimus, quam fundamenti loco substernit, propositionem: *Quidquid distincte concipi potest, id absolute esse posse.* Circa assumtionem autem eidem subiectam, non aeque faciles esse poterimus. Negamus enim, et pernegamus, nos duo vel plura perfecte similia distincte concipere, dilucideque cogitare posse. Cuius negationis ratio ut plenarie intelligatur, ad definitiones *eiusdem* et *diversi* respiciendum erit. Concedimus quippe, nos idem aliquoties, vel diversis in locis concipere, seu potius mente ex loco in locum transferre quasi posse; diversum autem *τὸ idem* a se ipso proinde fieri, id quidem nullatenus largimur.

Definivit WOLFIUS *eadem*, per ea, quae salvo omni respectu substitui sibi invicem queunt; *diversa* autem, quae sibi substitui sita nequeunt. Hae definitiones, si valeant, uti debent, efficiam: duo perfecte similia nec cogitari, nec esse posse. Pone enim, per impossibile, dari duo eiusmodi perfecte similia, poterunt sane sibi invicem substitui, omni respectu salvo; ita ut nullum observabile sit, substitutionis, me inscio factae, indicium. Hoc autem concesso, vi definitionis superioris, non *diversa* ea erunt, sed *eadem*, sive potius, *idem*. *Idem* autem esse simul, et *diversum*, implicat, quam quod maxime. Ergo, duo perfecte sibi similia, qualia supponuntur per fictionem, prorsus non sunt *duo* diversa, sed *idem* prorsus, i. e. unum idemque, diverso tempore cogitatum, vel mente in diversa loca translatum. Q. E. D.

Idem alia ratione efficiam. *Diversa* tripliciter esse possunt: vel *genere* scilicet, vel *specie*, vel *numero* diversa. Toto genere diversa quae sunt, ea tamquam prorsus sibi disparia et dissimilia concipiuntur. E. g. Globus cum Cubo comparatus, essentialiter diversus est, et ipso genere a se invicem abeunt. Si globos plumbeos et ligneos secum invicem contuleris, habebis differentiam specificam, cum generis identitate consistentem. Globi essentiam enim quum habeant omnes, in materiae et diametri diversitate, sita erit omnis eorum differentia; i. e. specie different. Tandem si numero tantum a se abeunt, eiusdem materiae et diametri globos habebis

bebis plures, tamquam pondere et magnitudine aequales, ſi ſcilicet ex homogenea conflati fuerint materia.

Verum caveas, quaeſo, ne hos globos numero diverſos, ſola loci differentia a ſe abire, properanter nimis aſſeras. Individua enim habes, omnimode determinata, i. e. infinitis minutiis a ſe invicem diverſa. Haec accidentia, ſive hae modalitates, in omnibus globis mirifice variantes, efficiunt, ut globus A, non ſit globus B, nec C, nec D, et ita porro. Differunt enim omnes inter ſe, non *genere*, tamquam globus a cubo; nec *ſpecie*, tamquam maior globus a minore: ſed *numero*, i. e. determinationibus infinitis minoribus, quas ille, qui globos hos cogitat, nec intelligit omnes, nec concipere poteſt, niſi confuſe admodum, immo obſcure. Plus itaque ineſt globis hiſce individuis, revera exiſtentibus, quam ideae cuiuscunque Spiritus finiti, hos ſibi globos concipientis, capiunt, vel repraeſentare poſſunt. Infinita enim ſunt, quibus ſidera, animantia, plantae eiusdem ſpeciei plures, tamquam individua a ſe invicem abeunt. Quare maxime differt haec *differentia* globorum realium *numerica*, a differentia fictorum quorundam globorum; quos in abſtracto quis ſibi concipere conatur, omnimode ſimiles. Hic ſcilicet revera non niſi unicum ſibi concipit globum diametri dati, nulla in re a ſe ipſo abeuntem; quem tamen mente ſola, ſeu cognitione, ex loco in locum transfert. Ex eo autem, quod in omnibus ſibi ſimillimus fingitur, ſibique ipſi ſubſtitui poteſt, absque ullo agnitionis periculo, *eundem* eum eſſe et manere, non *plures* a ſe diverſos eſſe, demonſtrative colligitur. Fallax igitur maxime eſt iſta perſuaſio, qua Autor, ſe diſtincte plura in omnibus ſibi ſimillima concipere poſſe gloriatur. Non *plura* enim ſunt, nec *numero diverſa*, quae concipit; ſed *eadem* abſtracta globi, diametri certi idea, cui deſunt determinationes individuales, ad *plura* conſtituenda neceſſariae. Oppido itaque falſa exiſtente aſſumtione Syllogiſmi, ſeu propoſitione minore, Concluſio etiam eius falſa eſt, ***exiſtere, ſive eſſe poſſe, plura ſibi perfecte ſimilia.*** Q. E. D.

Hhhh Ter-

Tertiam superaddere placet responsionem acutissimo FASSONIO, iudici in his rebus, si quis alius, maxime competenti; omnibus quippe Philosophiae Leibnitio-Wolfianae mysteriis initiato. Quid *locus* sit, metaphysice consideratus, minime Te fugit, Vir optime, et ingeniosissime. Est scilicet modus determinatus coexistendi cum aliis; qui autem errore vulgari pro parte quadam spatii haberi solet: quod scilicet ex infinitis eiusmodi locis tamquam partibus conflatum concipimus. Quid veri, quid falsi his insit notionibus deceptricibus, meum non est Te monere: probe enim nosti modum, quo ex simplicibus substantiis, sive monadibus, extensum oriatur; id quod ex punctis mathematicis componi prorsus non posset. Et cur non? Quia prorsus similia sibi concipiuntur puncta ista. Ad spatium reale enim concipiendum requiritur, ut *plura a se diversa extra se posita sint. Extra nos* autem positum id est, quod tamquam a nobis diversum concipitur. Necesse itaque est, ut diversa iam sint per se, et intrinsece, quae extra se concipi debent et possunt, ut spatium repleant. Si diversa non erunt, veluti puncta geometrica, perfecte sibi similia; non poterunt etiam extra se invicem subsistere, sed confluent in unum, milliaque puncta nihil magis unico efficient; tantum abest ut spatium replere possint. Sed quorsum haec? Intelligitur hinc, in generando spatio, occupandoque loco diverso, diversitatem intrinsecam substantiarum iam praesupponi; non autem per sola loca, ea quae *idem* prorsus sunt, *diversa* fieri posse. Non possent enim, vi definitionis, *extra se* esse, nisi *diversa* iam essent per se, antequam in loco esse possent, et ab aliis distingui. Patet igitur, nisi omnia me fallunt, *substantias prorsus simillimas*, extra se existentes, *nec cogitari, nec esse posse*, sine fictione in circulum redeunte, omnesque ideas simplicissimas confundente. Q. E. D.

Non moror iam, V. Cl. quod vulgari more, eos, qui Deo productionem duorum per omnia sibi similium negent, iniurios in omnipotentiam Entis summi fore, asserueris. Non fugit Te profecto, Cel. FASSONI, ad contradictoria non

ex-

extendi posse omnipotentiam divinam, sed ad possibilia tantum. Inanis itaque metus est, me Numinis potentiae quidquam derogaturum esse, postquam docui, contradictoriam esse existentiam plurium individuorum, perfecte similium. Involvit enim repugnantiam manifestam, *idem* esse, et simul *diversum; individuum* esse, omnimode determinatum, et *non determinatum aliter*, ac mille alia simillima; *extra se* invicem *esse*, nec *diversa tamen* intrinsece esse. Pergit Auctor §. 42.

PROPOSITIO I. *Exempla ex Dei natura repetita, ob oculos ponunt, sufficientem rei rationem quandoque a sola voluntate ducendam esse.*

Non est, quod nimiae me confidentiae reprehendas. Leibnitianis enim approbantibus, duo, vel plura etiam, inter quae ne vestigium quidem intersit dissimilitudinis, intrinsecus et suapte natura nullam praeferunt repugnantiam, (per Lemma), ut idcirco potuerit Deus complures soles, et errantes stellas, et arbores, plura itidem animalia, plura corpuscula eorum quae condidit, perfecte et absolute simillima fabricare. Iam vero de eorundem Leibnitianorum sententia, ex pluribus nulla in re differentibus, non nisi unum Deus creavit, (nihil enim est in rerum natura, ut existimant, alteri omnino simillimum,) atque hinc sufficiens ratio, praeter voluntatem, afferri nulla potest, cur Deus in rerum molitione hoc citius quam illud selegerit, alterique praetulerit, cum indiscernibilia singula, consilio et fini, quem sibi is constituerat, pariter aequaliterque respondissent; exempla igitur ex Dei natura repetita ob oculos ponunt, sufficientem rei rationem quandoque a sola voluntate ducendam esse. Q. E. D.

43. §. *Schol. I.* Libere loquar, quod sentio. Aut haec, quam produximus, omnibus numeris absoluta est demonstratio; aut quae demonstrationis natura sit, nondum intelligo. Nam ex ipsa adversariorum confessione et doctrina liquido profluit. Quid vero Leibnitiani oppposituri sint, divinare non possum. Et sane audivi, olim ex hac schola Philosophum, peracutum illum, et doctum, cui in

 pu-

publica concione id argumenti propoſitum fuerat, non aliter nodum iſtiusmodi potuiſſe expedire, quam audacter negando, concesſiſſe LEIBNITIVM, et WOLFIVM, res ſimillimas abſolutam repugnantiam non praeferre. Sed ille necdum ſatis in lectione WOLFII profecerat. H. I.

Non miraberis, Clarisſime FASSONI, me tua demonſtratione non convictum abiiſſe, ſi ſuperius in medium allata, attente, pro Tuo acumine, perlegere dignatus es. Principiis enim ratiociniorum tuorum labefactatis, nec haec ipſa firmo talo inſiſtere poſſunt. Pernegavi, et deſtruxi, niſi omnia me fallunt, perfecte ſimilium ſubſtantiarum posſibilitatem. Ad contradictionum repugnantiumque regionem relegavi ſoles tuos, animantia, arbores, plantas, hominesque, immo minima corpuſcula, perfecte ſimilia. Collige quaeſo, an inter non entia, electioni divinae locus ſupereſſe queat? Haud me movit LEIBNITII WOLFIIque non ſatis penſitata confesſio, et concesſio eius posſibilitatis. Homines fuerunt, adeoque aeque ac nos ipſi, vel ex praecipitantia, vel aliis quibuscumque de cauſſis, errare potuerunt. Turpe autem nobis eſſet, in eodem errore perſiſtere, veritatique clarius intellectae, ob temere conceſſum errorem, nuntium mittere. Non igitur admittet Leibnitianus prudens, Deum *caſui puro* ſubiectum, ſine ratione quidquam eligentem, vel tyrannicum illud axioma ſequentem:

Sic volo, ſic iubeo; ſtat pro ratione voluntas.

Abſit, longisſime abſit! ita de ſapientisſimo Numine ſentire; quum nec inter homines quisquam ſine omnibus motivis quidquam facere, vel ſe feciſſe, gloriari ſoleat. Sed de his alias plura.

Taceo iam, quod omnium finitorum exiſtentia, propter cauſſarum determinantium nexum, in univerſo quodam concipi debeat. Finitam enim rem, ſidus, animal, plantam, hominem e. g. extra univerſum exiſtere poſſe, nemo facile ſomniaverit: eo quod ad ſubſiſtentiam hominis e. g. et aere, et lumine, et calore, et nutrimentis, et parentibus, et infinitis aliis rebus opus ſit. Quodſi itaque Deus duos Adamos

mos perfecte sibi similes condere instituerer, globos profecto terraqueos perfecte similes duos, Soles, Lunasque duas, immo, propter nexum omnium in hoc mundo corporum, universa duo perfecte similia condere deberet. Per duo autem universa prorsus aequalia et similia, non nisi eundem scopum obtinere posset; unde frustranea foret penitus alterutrius mundi productio. An autem deceat Ens sapientissimum, frustra quidquam suscipere, viderint illi, qui Deum id facere posse, quod frustraneum futurum esset, inter fidei articulos referre nulli dubitant.

Quanto melius THOMAS de Aquino, P. 14. pag. 170. (uti apud MEDINAM citatum invenio, Part. 2. qu. 13. art. 6.) *Imperfectum imperium contingit ex hoc, quod ratio ex diversis partibus movetur ad imperandum, et non imperandum: unde fluctuat inter duo, et non perfecte imperat.*

Abrumpendum hic est filum scriptionis huius, mox alio tempore continuandum.

FRANCISCI ANTONII KNITELLIS, METROPOLit. apud Guelferbytanos Archidiaconi, Praeconium Ulphilanum alterum.

Guelferbyti 1760. plagg. 2. in 4to.

Quod ante hoc biennium in his Actis nostris, consilium Knittellis, Viri doctissimi, laudavimus, et, quemadmodum rei litterariae commodo oportebat, commendavimus: istud igitur consilium, edendi Ulphilae, ita iam maturuisse, ut intra anni spatium proditurum in lucem sperare liceat, vehementer gaudemus. Et venturos in gaudii nostri societatem homines vere doctos omnes, propterea dubitandi non est locus, quod, quid inde lucis litterariae antiquitati accedat, nemo facile ignorat. Sed comitatus veniet Ulphilas monumentis aliquot aliis, quibus vel solis edendis, fatemur, magnam erat gratiam initurus Knittellus V. Cl. Huic tali Viro, tam praeclara molienti, tot remoras fuisse obiectas, ab hominibus potissimum iis, quorum erat iuvare inprimis laudatissimum consilium, non crederemus

profecto, nisi quales illi, et undenam fuerint, ipse Knittellus, peculiari scriptione, cuius titulum supra posuimus, erudito orbi querulus exposuisset. Non possumus impetrare a nobis, quin scriptionem eam omnem, verbo tenus huc transferamus; nam exhibet etiam monumentorum antiquorum, quae comitabuntur Ulphilam, praeviam notitiam. Sunt igitur verba Knittellii quae sequuntur.

§. I.

Ulphilae versionem Gothicam nonnullorum capitum epistolae Pauli ad Romanos, et duo IV. Evangeliorum fragmenta Graeca, Saeculo VI. scripta, veneranda haec summae antiquitatis monimenta, quorum praeconium duobus paene abhinc annis fecimus *a*), favente Summi Numinis gratia, indulgentissimisque SERENISSIMI BRVNOVICENSIVM AC LVNEBVRGENSIVM DVCIS CAROLI, PATRIS PATRIAE AVGVSTI, SAECVLI NOSTRI MVSAGETAE, auspiciis et iussu, tandem aliquando typis mandari coepta esse, futurisque, quae A. R. S. cIↃIↃ CC LXI. Lipsiae celebrabuntur, nundinis secundis, primum venalia fore, in notitiam reipublicae litteratae deferre, nostrarum partium esse arbitramur.

§. II.

Illustribus, clarissimis, atque doctissimis viris, qui, alieni ab omni partium studio, institutum hoc nostrum, tum per *Germaniam*, tum etiam apud *Anglos, Batavos, Italos, Danos*, et fortassis quoque alibi, publicis privatisque scriptis suis integerrime commendarunt, generatim gratias, quas possumus, maximas agimus, agemusque in opere ipso, ut par est, nominatim. Oramus hos, quos ad promovenda molimina nostra huc usque et opera et consilio paratissimos cognovimus, sanctioris litteraturae amantissimos Viros, ut et hoc PRAECONIVM VLPHILANVM nostrum ALTERVM sibi habe-

a) Exibat PRIMVM illud PRAECONIVM NOSTRVM *Brunsuigae*, ex officina Orphanotrophei Maioris, Nonis Novembr. cIↃIↃ CC LIIX.

habeant commendatisſimum, et de eius argumento ultro certiorem faciant rem eruditorum publicam.

§. III.

Mirum fortasſis videbitur multis, eveniſſe, quae dudum praeſagiebat animus *b*). Nimirum igitur ſtomachati ſunt et moleſte tulerunt opellas hoc in genere noſtras quidam, at perpauci tamen, qui ita, ut levisſime dicam, opinioſi ac delicati erant, ut condita Ulphilae oſſa in lucem adſpectumque protrahi, ſempiternaeque memoriae commendari nollent, niſi per eum, quem unicum eſſe hariolabantur, cui fas foret, in fingendo Ulphila perſonam gerere Lyſippi. Quare, tantum abeſt ut aliquam bonam gratiam haec Ulphilana editurus mihi apud omnes quaeſiviſſe videar, ut contra, me ſimultates partim obſcuras, partim apertas, intelligam ſuſcepiſſe. Atque ita periclitatus ſum in eruendis e lituris ruinisque ſuis veterum monumentis oculos meos, ut alii ad haec conamina noſtra punienda aperiant ſuos. Egregiam vero laudem, ſpolia ampla referimus ego Gothusque meus! Neque haec idcirco ſcribo, quod is ſim, quem ſua maxime delectant, ſed quod poſtulem, quod aequisſimum eſt, ne quid praeiudicati in opere noſtro aeſtimando afferatur, nec ſine ratione valeat quorundam, quos nemo dictatores dixit, auctoritas. Nullis, id quod valde ridiculum foret, ero monitoribus aſper, omnique eruditorum in me animadverſioni, modo contumelia et iniuria vacet, patientem ac docilem, ut par eſt, commodabo aurem. At haec, quae diverſis nonnullorum voluntatibus, diſtractisque quorundam magiſtrorum ſententiis, debentur impedimenta, faciliori negotio ſuperanda erant, tot ubique locorum, et in celeberrima inprimis ANGLIA, inſtituto noſtro applaudentibus bonis, ſummis, atque adeo *Eminentisſimis* Viris. Verum enim vero gravius impedimentum, iuſtioremque moram, edendo operi intulere turbulenta GERMANIAE noſtrae tempora. Amare ſane

b) PRAECONII PRIMI §. 10. conf. Nova Acta Eruditorum de anno 1758. pag. 669. 670.

ſane et VLPHILAS videtur, ut GOTHI quondam ſui, bella, horrida bella. Etenim bis nunc, et bis quidem in GERMANIA, armorum quaſi experrectus tumultu, e Bibliothecarum Mauſoleis in lucem adſpectumque hominum prodit ille barbatus Epiſcopus,

Cui caput intonſum plenas movitque pharetras
Trux et inhumanus Sarmaticusque Geta.

Primo excutiebatur ſomno tempore funeſtisſimi illius belli, quo per triginta annos, ſaeculo abhinc, et quod excurrit, concuſſa fractaque eſt Germania noſtra. Et nunc iterum, cum ſunt

Altera bella,
Sciſſaque diſſidiis rurſus Germania tota
In flammas et in arma ruit,

de cubili ſuo, quo mille annos delituit, exit

Toto quaeſitus Epiſcopus orbe.

Quid multa? Niſi Deus qualiacunque nobis otia feciſſet; Sereniſsimique DVCIS interceſſiſſet liberalitas: nunquam ea, quam primo meditabamur, via, in publicum prodiiſſet Ulphilas. Intellexi tamen interea ac didici, quam ſcopuloſo, ut Tullii verba mea faciam, ac difficili in loco verſer, Ulphilae λείψανα editurus. Nam cum omnis arrogantia odioſa eſt, tum illa Grammaticorum multo moleſtisſima. Quam ob rem nihil dico de meo ingenio, neque eſt quod posſim dicere, neque ſi eſſet, dicerem. Aut enim id mihi ſatis eſt, quod eſt de me opinionis, quidquid eſt; aut, ſi id parum eſt, ego maius commemorando facere non poſſum. Sed ne mucrones tribunitios, quos in Ulphilam meum vix reviviſcentem exacuerant, vagina videam iterum vacuos: acta ſit haec fabula!

§. IV.

Misſis igitur his dictatoribus, quorum nec artibus, nec imperio, res unquam regetur eruditorum publica,

—— *Ad Vos, ſtudioſa, revertor*
Pectora, qui libri quaeritis acta mei.

Reci-

Recitabo curſim ſtrictimque ea, quae, ne iuſto longior forem, omiſi in praeconio primo attingere, ANTIQVITATIS NIMIRVM MONVMENTA NONDVM, VEL PARVM ACCVRATE, EDITA, quae VLPHILAM noſtrum, in publicum prodeuntem, ſtipabunt, et, tanquam ſatellitum inſtar, qui ei faces praeferunt, comitabuntur. En ea

I.

Dabimus ex autographo EPISTOLAM BLVMII, quam citat Vir quondam illuſtris IACOBVS BVRCKHARDVS *in Hiſtoria ſua Bibliothecae Auguſtae c)*. Qua quidem epiſtola codicum *Weiſſenburgenſium*, quorum in numero eſt in quo VLPHILAM invenimus *d*), fata fuſius enarrantur, lectuque ſane in ea digna ſunt, quae BLVMIVS de antiquisſimo illo Martyrologio, quod *Luccae* 1668. edidit FRANCISCVS MARIA FLORENTINIVS, memoriae prodidit.

E re ſane Criticorum valde foret, ſi diligentius, quam ut ſaepe fit, deſcriberentur codicum, antiqua exaratorum manu, migrationes, crebraeque commutationes Bibliothecarum, in quibus commorandi plerumque, et ad breve quidem tempus, diverſorium illis, non habitandi domicilium, datur.

II.

Alterum monumentum ex autographo in lucem revocandum, ſunt DVO CATALOGI CODICVM, IN BIBLIOTHECA COENOBII WEISSENBVRGENSIS, TEMPORE ABBATIS FOLMARI, OBVIORVM. Innotuerat iam, in quo hi indices exſtant, codex, immortali LEIBNITIO *e*). Utrumque quidem Catalogum, at mancum, mutilum, et valde mendoſum exhibet IOHANNES FRIDERICVS SCHANNAT, in *Vindemiae litterariae collectione* I. N. II. p. 8. et 9.

III.

c) Part. I. lib. II. cap. III. Sect. IV. pag. 256.
d) Praeconii primi §. 2.
e) I. BVRCKHARDI Hiſt. Biblioth. Aug. loco in nota 3. citato pag. 257.

III.

Ab iis, qui, ad conficiendos coenobii *Weissenburgensis* annales, monimenta antiquitatis colligunt, gratiam nos inituros esse speramus, si iis aperuerimus in opere nostro CODICEM, antiqua manu scriptum, ornamentum Bibliothecae AVGVSTAE, QVI ET VARIAS DONATIONES IN SOLATIVM, ut Romanae ecclesiae verbo utar, ANIMAE, HVIC COENOBIO FACTAS, ET MVLTA ALIA SAECVLI XI. DOCVMENTA HISTORICA EXHIBET.

IV.

Recensebimus porro CODICEM GRAECVM *f*) scriptum vetustissima manu, IN QVO EST QVODDAM SINGVLARE, quod in nullum, quotquot hodie supersunt, alium convenit, quique hac ratione sine exemplo antiquus est.

Sed ne extrusurus merces meas, plenius aequo laudavisse venales videar; adferam rationes, quibus id, quod dixi, probem. E in hoc codice, *accentibus Spiritibusque carente, concatenataque verborum serie*, id est, *nullis interpunctionibus spatiisque interpositis, unciali charactere exarato g*), E, inquam, in hoc codice obvium, forma est praeditum non sueta illa rotunda Є: sed ea, quam MONTFAVCON *priscam* vocat *h*), i. e. *huic E angulato* simillimum.

Quanti vero huius generis codex faciendus sit, MONTFAVCONI verbis narrare malo quam meis. „E, inquit MONTFAVCON *i*), quadruplici calami ductu, intermittendo ad singulos, efformatur: in eaque littera eleganter exaranda Scriptio retardatur, cum maxime in quovis orationis genere frequenter occurrat. Quam molestiam ut levarent vel minuerent Calligraphi, duplici ductu sic expresserunt Є: quae forma

---

f) Praeconii primi §. 6. N. IV. *Horum alter est graecus etc.*

g) Est talis codicum Scriptio nota summae antiquitatis: vid. *Nouveau Traité de Diplomatique Tom. I. Sec. Partie Sect. II. chap. XVI. pag.* 686.

h) Palaeograph. lib. IV. c. X. pag. 335.

i) Palaeograph. lib. II. c. VI, pag. 152.

vorma ſub initium *Romani* imperii frequenter occurrit. An vero *Auguſtorum* aevum praeceſſerit, non novimus: adfirmare tamen poſſumus, non obſervari in marmoribus et numiſmatibus, quae ingenti numero vidimus: in uno tamen *Maronitarum* nummo, qui utrum ante *Romanum* imperium cuſus fuerit, non liquet, Є rotundum conſpicitur. Huius certe poſtremae formae uſus ſubſequentibus Saeculis ſic invaluit, ut in omnibus Codicibus unciali charactere conſcriptis, Є hoc modo iaceat. Alia item forma conſpicitur in *marmore Neapolitano* ſcilicet *e*, uno ductu effícta, quae, poſtquam charactere unciali libros exarare deſitum eſt, frequenter uſurpata fuit a librariis Graecis. In *marmoribus* autem *Romanis* et occidentalibus, ab *Auguſto* ad quartum Saeculum, ſaepius hac rotunda: raro priſca et quadra forma ſcriptum occurrit: in *marmoribus* autem *Graeciae* et *orientalibus* E ſic delineatum, etiam poſt quartum ſaeculum obſervatur; ſed Є rotundum frequentius. E autem, ſic priſco more delineatum, in nullo Graeco codice Graeca manu deſcripto hactenus obſervavi; ſed in iis etiam, qui latina manu ſcripti ſunt, rotundum effingitur, ea forma, quam ſupra poſuimus, in omnibus ſcilicet unciali charactere exaratis Codicibus." Hactenus MONTFAVCON.

Sed ne quis horum,

Queis ſordent munera noſtra,

haec legens, limis ſubrideat ocellis, tacitusque ſibi perſuadeat, rumores nos poſuiſſe ante ſalutem, inventosque forſitan eſſe poſt fata MONTFAVCONI codices, quos ſitiebat deſiderabatque hic criticorum graecorum pater atque princeps; prodeant in orcheſtram teſtes doctiſſimi Saeculi noſtri MONACHI BENEDICTINI E CONGREGATIONE S. MAVRI, qui omnes fere Bibliothecarum tabulariorumque latebras atque receſſus peragrarunt. „Si jamais, inquiunt *k*), nous n'avons vû dans les Mſſ. Grecs d'E parfaitement carés, non

Ii ii 2 plus

k) Nouveau Traité de Diplomatique Tom. I. Sec. Partie Sect. II. Chap. XV. pag. 685.

plus que Dom Bernard de Montfaucon; le Mſ. du Roi nro. 63. nous ofre au moins ſus cette forme Є. Hactenus BENEDICTINI. Noſtrum tamen E magis quam hoc, quod Benedictini viderunt, angulatum eſt. En itaque manuſcriptum ſine exemplo antiquum, et ſui generis unicum!

V.

Ex CLXXXI. lectionibus variantibus, quibus ſcatet CODEX GVELPHERBYTANVS A *l*), INVENIMVS XLIV, NEC MILLIO NEC WETSTENIO VISAS.

VI.

Inter CVIII. lectiones variantes, quas e CODICE GVELPHERBYTANO B *m*) excerpſimus, SVNT XXV, QVAE MILLIO ET WETSTENIO FVERE INCOGNITAE.

VII.

E memorabilibus verſionis noſtrae Gothicae, quorum larga, et fortaſſis inopinata, meſſis manet lectores in opere ipſo, hoc unicum delibabimus, ad animos cunctantes et diffidentes excitandos alliciendosque. Habet haec verſio gothica XXXVIII. lectiones variantes. SVNT INTER HAS XVII. CRITICIS, MILLIO SALTIM ET WETSTENIO, ANTE HVNC DIEM INAVDITAE.

Prodeant itaque huius generis TRINAE in orcheſtram, ex quibus fingere ac praemeditari poſſint lectores mei, quam iucunda credam fore Sacrae Scripturae interpretibus haec λείψανα Gothica.

Harum PRIMA legitur Rom. XI. 33.

𐍈𐌰𐌹𐍅𐌰 𐌿𐌽𐌿𐍃𐍃𐍀𐌹𐌻𐌻𐍉𐌳𐌰 𐍃𐌹̄𐌳 𐍃𐍄𐌰𐌿𐍉𐍃 𐌹𐍃

i. e. *quam inenarrabilia ſunt iudicia eius*

Nullus

l) Praeconii primi §. 5.

m) loco cit. in not. 11.

Nullus, quorum copia facta eſt unquam Criticis, N. T. codicum, habet, quantum equidem ſcio, hoc in loco ἀῤῥητα vel ſimilem Gothorum 𐌽𐌽𐌽𐌽𐍃𐍃𐌹𐌹𐌹𐌰𐌰𐌰𐌳𐌰 vocem.

ALTERA Rom. XII. 19. occurrit.

𐌰𐌺 𐌲𐌹𐌱𐌹𐌸 𐍃𐍄𐌰𐌸 𐌸𐍅𐌰𐌹𐌺 ... 𐌲𐌸𐍃 n)
i. e. *ſed* *date* *locum* *irae* *Dei*

Iiii 3 Addi-

---

n) Scimus, codicem ARGENTEVM habere 𐍃𐍄𐌰𐌸𐍃 ſive 𐍃𐍄𐌰𐌳𐍃 in Nominativo, cuius Accuſativus eſt 𐍃𐍄𐌰𐌳. Sed Codex noſter, quem in poſterum CAROLINVM nominabimus, (quo teſtatior ſit apud poſteros et memoria, quo inventus eſt, temporis, et auguſta, qua editus eſt, SVMMI PRINCIPIS liberalitas,) habet 𐍃𐍄𐌰𐌸 in Accuſativo, cuius Nominativus quoque ſine dubio 𐍃𐍄𐌰𐌸 eſt, ut 𐌻𐌹𐌿𐌷𐌰𐌸, *lux*, in Nominativo Ioh. VIII, 12. facit in Accuſativo quoque 𐌻𐌹𐌿𐌷𐌰𐌸 *lucem* Marc. XIII. 24.

Monenda haec eſſe duximus, ne anſas ad noſtra reprehendendum demus malevolis, qui libenter fortaſſis in nobis accuſandis ex aliorum linguae gothicae praedabuntur inſcitia, ſueti his artibus magnas excitare tragoedias. Parvam hanc *quartae vocis* lituram quivis linguae gothicae gnarus in integrum reſtituere poteſt coniectando. Sed religio mihi eſt, quidquam textui admiſcere, licet id probabiliſſime fiat, quod non in ipſo codice ſub adſpectum cadat, inque oculos incurrat. Quid? quod ne apertiſſima quidem librariorum menda, a monumentorum editoribus corrigenda eſſe arbitror. Qui hac de re aliter, atque ego exiſtimo, ſentiunt, de fide viderint, quam opera ipſorum habebunt apud poſteros.

Additamentum 𐌲𐌸𐍃, *Dei*, diu ſed fruſtra quaeſitum eſſe in codicibus ab iis, qui verbum ὀϱγη hoc in loco de *ira Dei* interpretantur, conſtat inter Criticos.

TERTIA denique lectio varians, valde memorabilis, exſtat ibidem Rom. XII. 19.

𐌼𐌹𐍃 𐍆𐍂𐌰𐍅𐌴𐌹𐍄𐌰, 𐌴𐌹 𐌲𐌹𐌻𐌳𐌰𐌼, 𐌹𐌺 𐍆𐍂𐌰𐌲𐌹𐌻𐌳𐌰𐌼.

i. e. *mihi vindicta, ut tribuam, ego retribuam,*

𐌵𐌹𐌸𐌹𐌸 𐍆𐍂𐌰

dicit dominus

Additamentum: 𐌴𐌹 𐌲𐌹𐌻𐌳𐌰𐌼, *ut tribuam* ignorant, quotquot hodie innotuere eruditis, codices.

Longum, nec huius loci, foret, varietatem hanc lectionis ponderibus examinare criticis. Occurrunt praeterea in CAROLINO NOSTRO CODICE *o*) omnis generis variantes, quorum cenſum accurate init venerabilis Senex D. CHRISTIANVS BENEDICTVS MICHAELIS in *Tractatione ſua critica de variis lectionibus Variantibus N. T.* Animadvertenda haec eſſe exiſtimo, ne quis, cenſoriis levitatibus deditus, CAROLINI codicis Variantes ex ſolis textus additamentis conſtare autumet, et hinc parum praeclara atque egregia de verſione hac noſtra gothica ſentiat.

VIII.

CODICIS antiqua manu ſcripti, germanicam SACRAE SCRIPTVRAE VERSIONEM RHYTHMICAM CONTINENTIS, de quo diſſeruere IOHANNES SAVBERTVS, *p*) IOH. HENRICVS

o) Vid. nota 13.

p) In Palaeſtra Theologico-Philologica p. 193. et 194.

cvs HOTTINGERVS q), IOHANNES FRICKIVS r), quique citatur in *Parte I. Paraeneticorum veterum cum notis* M. H. GOLDASTI s), Codicis, inquam, tanta inter ſui generis libros fama clari, VERVM INGENIVM, cuius eruditi huc usque ignari fuere, enucleavimus in opere noſtro omni cura, eiusque litteraturae ſpecimen in aes incidi curavimus.

IX.

Tandem faſtigii ac coronidis loco impoſuimus operi noſtro, in quo multa de OTFRIDO diſceptavimus, FRAGMENTVM CODICIS, vetuſta manu ſcripti Auguſtae noſtrae Bibliothecae, OTFRIDI EVANGELIA CONTINENTIS.

Tres tantum codices OTFRIDIANOS manuſcriptos aetatem tuliſſe, inque manus eruditorum incidiſſe, VINDOBONENSEM, puta, VATICANVM, et FREISINGENSEM, conſtat inter omnes. En nunc *quartum* GVELPHERBYTANVM, at exiguae proh dolor molis libellum, paucarumque paginarum *σωζομενον*! Diſcrepat noſter a tribus iſtis, quos iamiam laudavi, lectionum varietate crebrius. Dabimus quoque in opere noſtro eius accentuationem, id quod pergratum fore Germanorum Criticis non una de cauſſa ſperamus. Specimen litterarum, quibus codex ſcriptus eſt, exhibebimus in aere inciſum.

§. V.

Ac ne HAEC quidem NOSTRI OPERIS nobis videtur ſilentio praetereunda eſſe NOVITAS, quod, cum nusquam ante hunc diem, (id quod mirum fortaſſis videbitur omnibus,) in aes inciſa ſint codicum Reſcriptorum Specimina, utrumque, ut habent autographa, textum ſimul exhibentia, ita primum huius generis exemplum dabit Ulphilas noſter. Diffici-

q) In Bibliothecario ſuo quadripartito lib. I. cap. III. p. 148-150.

r) In praefat. general. ad T. I. I. SCHILTERI Theſaur. Antiq. Teutonic. p. 8.

s) Pag. 359. 360. 365. 366. 367. 372. 373.

Difficilius id confici, quivis, cui unquam codices rescripti, membranacea illa palimpsesta, visi sunt, animadvertit. Etenim oculos irretortos, atque adeo interdum armatos, in evanescentibus antiquissimarum litterarum figuris, quae eos parum sane pascunt, defigere, et ad earum similitudinem, tam difficilem saepe ad distinguendum, pictoris artem et manus dirigere, quanti, Vos aequi rerum arbitri, putatis esse sudoris quantaeque patientiae?

Deinde CAROLINVS noster CODEX omnium librorum, huc usque in Germania typis exscriptorum, PRIMVM OPVS est, QVOD GOTHORVM FORMIS EXCVDITVR.

Integra quaedam dicendi messis mihi relicta foret, si numerando tantum percensere vellem memorabilia, obvia in CATALOGO CODICVM RESCRIPTORVM, quem promisi (vid. Praecon. primi §. 6. n. V. b) daboque. Didici atque intellexi, rescriptorum codicum latebras peragrans, quanti quamque inopinati antiquitatis thesauri saepius sub his ruinis lateant. Descendi itaque in palimpsesticas fodinas, eadem cupiditate inflammatus, eademque fortuna ductus, qua ire solet

Divitis Herciniae proles in viscera terrae,
Quaeque reconduntur picea caligine mersae,
Irrequietus opes, accensa lampade, fossor
Eruit inventas, crebrisque bipennibus instat
Aeribus effossis gravibus. Fluit undique tandem,
Ignibus admotis, aurum, quod poscimus omnes.

Et NOVVM quoque CODICVM RESCRIPTORVM GENVS Catalogus hic iste orbi annuntiabit litterato. Nimirum CODICEM RESCRIPTVM (sit fas, novis rebus nova imponere nomina,) SEMI-IMPRESSVM. Est enim penna scriptus in hoc codice textus inductus atque deletus, typis vero impressus est, qui in eius locum successit. En itaque *Centaurum* quendam *palimpsesticum*.

Semimanumque typum semitypumque manum!

§. VI.

§. VI.

De iis, quae diu, multisque lucubrationibus in N. T. textus fata, tot profanorum minutorumque philosophorum hodie telis proposita, inque omnem rem Theologorum diplomaticam, commentati sumus hoc in nostro opere, quaeque, cum nec in scholis decantata huc usque, nec in commentariis protrita sint, novitatis quadam gratia fortassis sese lectoribus commendatura esse speramus; de his omnibus ne verbum quidem scientes prudentesque facimus, ne verecundiam, quae de se ipso loqui vetat, seponamus, et parum cauti in voculas malevolorum incurramus. Recitavimus solummodo ea, quae oculis et manibus nostris debentur, quorumque editio, non intelligens viri eruditi iudicium, sed acres librarii tantum oculos, accuratasque opificis poscit manus. Ponamus, de nihilo esse, quicquid cogitatione ac ratione nos consecuti esse hoc in genere nobis visi sumus: manebit tamen vel et hac rerum facie operi nostro suum nomen honosque. Pacem haec, quae dixi, animis simultate infectis afferre, et quadam concordia placare ac lenire speramus eos, qui instar Τειρεσιαο solum sapere, caeteros umbrarum vagari modo volunt.

* * *

DEVS vero O. M. cuius cura atque consilio rebus humanis, etiamsi hominum studia deficiant, sanctissime providentissimeque consulitur, hanc litterarum suarum tractationem faustam ac salutarem esse iubeat universae suae ecclesiae verae, quae eum per IESVM CHRISTVM filium suum unigenitum, Dominum nostrum, ubique terrarum tot linguis in una fide adorat; faxitque, cuius numine gentes ecclesiae redditae sunt, ut omnes, has sacras Gothorum reliquias intuentes, memores vocis illius apud Esaiam (cap. 43. v. 6.) Aquilonem inclamantis, laeta grataque mente, (Coloss. cap. 3. v. 11.) exclament: Hic non est BARBARVS SCYTHA sed omnibus in omnia *Christus*. Illi, cuius salutem omnes viderunt terrae fines (Ps. 98. v. 3.) sit laus et honos et gloria in sempiterna saecula. Amen.

LE PHILOSOPHE PAYEN, OU PENSEES DE PLINE, avec un Commentaire littéraire et moral.

i. e.

PHILOSOPHUS ETHNICUS, SEU IN PLINII IUnioris ſparſas per Epiſtolas ſententias Commentarius hiſtoricus et moralis FORMEII.

Lugd. Bat. ex typograph. Eliae Luzac filii, 1759. Tomus I. pp. 302. Tomus II. pp. 432. Tomus III; pp. 447. octonis.

Sexennium eſt, quod Vir Cl. Auctor huius et plurimorum varii generis librorum, quibus non mediocrem famam conſecutus eſt, ſingulari Opere *Philoſophum Chriſtianum* delineavit. Nunc ſocium illi ſuperaddit *Philoſophum Paganum*, atque adeo utriusque ſentiendi et vivendi rationibus collatis, facit profecto, ut multa in hoc, omnia in illo laudanda eſſe, intelligamus. Praeterea ingenti rerum, de quibus dicendi locum hoc libro invenit, varietate utiliter et iucunde occupat legentium animos.

Sed maxime hoc Commentario edendo exemplum proponere voluit, ſapientius, et ad fructus ab adoleſcentibus ex ſcriptoribus antiquis percipiendos aptius, inſtituendae eorum lectionis. Obſervat enim in Praefatione, veterum auctorum tractationem vulgo iuventuti moleſtiſſimam eſſe, culpa fere eorum, a quibus hi explicantur. Nequaquam illos hoc agere, ut ingenii lumina in his ſcriptoribus conſpicua, ſuis commendent; ſed unice propemodum in linguae qua uſi ſunt natura enucleanda verſari. Pariter et immenſos illos Commentarios, qui Variorum Notae dicantur, cum verba potius conſectentur, quam res, multis minus gratam reddee veterum Auctorum lectionem. Itaque ſibi quidem videri, duplici magiſtrorum genere ad interpretandos hos ſcriptores opus eſſe; alterum ut ſit grammaticum, quod linguae tantum rationem habeat, alterum quaſi aeſtheticum, (utamur enim brevitatis cauſa hac voce,) quod doceat intelligere ac velut ſentire, quicquid elegantiarum et verae pulchri-

chritudinis, mentem ipsam capientis, iisdem illis veterum libris contineatur. Optabile quidem esse, ut utraque haec facultas in uno homine coniuncta sedeat; sed cum vulgo non inveniatur nisi divisa, dandam operam, ut horrido Paedagogo humanius suaviusque ingenium iungatur. Porro autem tradit Vir Cl. se, cum per Augustum mensem a. 1756. his Plinii epistolis legendis occuparetur, adeo multiplici earum virtute captum fuisse, ut plane consideret, rem gratam se plurimis facturum, si eandem diligentiam Plinio huic, quam Ciceroni Olivetus, Senecae Philosopho Bomellus, tribueret. Imo vincere etiam se horum studia instituisse. Hos enim nudas auctorum illorum collegisse sententias; se Plinii locis memorandis observationes quoque suas addidisse. Has fere subitaneas dicit, et familiari sermone scriptas: non enim se tam ingeniosi scriptoris, quam viri boni, virtutis commendandae studiosi, laudem consectari; quam professionem Viri Rev. veram esse, abunde iam libelli hoc parente prognati docuerunt.

Adhaeret autem ordini, quo Plinii epistolas dispositas legimus. E singulis sententiam illustriorem depromit, adiecta illius versione Francogallica ea, quam *Sacyo*, vel, quod monet Noster, *Massio* potius, (l' Abbé *Massieu*) debemus. Tum ex sententia illa derivat, quasi e fonticulo, eiusdem argumenti praecepta uberiora, vel utilia scriptoribus, vel emendando animo vitaeque regendae apta, locos historicos illustrat, adspergit exempla recentioris aetatis; verbo, praetermittit omnino nihil, quod lectionem harum epistolarum et iucundam efficere possit, et profuturam. Nam hoc delectu, quo Plinii nostri κυρίας δόξας complexus est, incendi profecto multorum animi possunt ad praeclari scriptoris omnia cognoscenda, cum in his paucis magni thesauri indicia spectaverint. Itaque et saepenumero nihil egit V. Cl. nisi ut materiam epistolae patrio sermone repeteret, incitaturus ea opera, ut nobis quidem videtur, legentes, ad inspicienda latina, quorum dulcem et concinnam brevitatem quis est

 quin

quin adamaverit. Praemisit vitam Plinii paginis LII. accurate scriptam.

Proponamus specimina laboris V. Clar. Ad illa Epistolae I. Libri I. *Collegi, non servato temporis ordine, neque enim historiam componebam, sed ut quaeque in manus venerat:* reprehendit hunc neglectum a Plinio data opera ordinem temporis, quem si secutus esset, haberemus in epistolis eius continuam quandam historiam; nunc, cum unice ingenii sui testes eas esse voluerit, rhetori alicui, aut linguae ediscendae magistris nostris, qui exempla epistolarum edere solent, factus est similior. Ad Epistol. II. de pruritu doctorum hominum libros edendi, ex iisque laudes aucupandi, disserit. Ad Ep. IV. locum: *Mitium* (ita enim edi debebat, non *initium,*) *dominorum apud servos ipsos consuetudine metus exolescit,* quaedam recte de rationibus servorum nostrorum observat, circa quos maiorem curam magistratus desiderat. Sed vellemus nonnulla adiunxisset in eos dominos, qui inhumanissime habitis ministris suis, detrudunt eos fere ad classem brutorum. Nam profecto in ipso hoc genere plebeio non frustra quaeras mentes bonas, et ad omnem virtutem flexibiles, quas qui ferrea iniquitate et duritie opprimit, gravius etiam peccare videtur, quam qui nimia lenitate diffluere ad vitia patitur. De eo hominum malorum genere, quod est δυσκαθαίρετον, ad Epist. V. disputat. Ex Epist. VIII. duas excerpit adfines sibi sententias, alteram: *Si alienae quoque laudes parum aequis auribus accipi solent, quam difficile est obtinere, ne molesta videatur oratio de se aut suis differentis;* alteram: *sequi gloria, non appeti debet.* In scriptoribus propriae laudationi nimium indulgentibus, principatum tribuit Ciceroni, et Comiti Bussio *(Bussi-Rabutin,)* quos propterea vocat *les Coryphées de l' Egoisme.* Quod autem putat, Aristidis et Catonis similes hodie parum honoris consecuturos, quod Seculum nostrum eos fere tantum gloria dignos iudicet, qui omnia divina humanaque iura maxime et audacissime contemserit, id iusto acerbius dictum existimamus. Infelices nos, si quidem verae gloriae natura adeo hac aetate exstin-

cta

cta sit. At paucissimi eam norunt vel colunt! Nihil mirum: nunquam enim optima plurimis placuerunt; nec Aristidem aut Catonem, quamvis innumeri magnos viros esse intelligerent, imitati sunt nisi paucissimi. Ex Epist. XII. memorabilem obitum Corellii Rufi narrat, inprimis illud eius κέκρικα perpendit; docens breviter, (nam copiosius haec tradidit in Miscellis Philosophicis,) nulla re defendi posse eos, qui voluntariam sibi mortem consciscant. Ad Epist. XIII. quaerit, qualis esse favor Principum in viros doctos debeat? ubi et haec occurrunt: *après une Troupe des Comédiens rien n'est plus difficile à tenir en regle et à contenter qu'une Troupe des Scavans.* Cum quibus hilariter coenare possis ad Ep. XV. ostendit. Ex Epist. XVI. hunc locum explicat: *At hoc parvum malignumque est, non admirari hominem admiratione dignissimum, quia videre, alloqui, complecti, nec laudare tantum, verum etiam amare contingit.* His addere poterat illa sane elegantissima scriptoris hodie facile principis:

Oui, cher F - - - nous périrons un jour,
Dans deux mille ans nous vaudrons quelque chose.
Morts anciens, nous aurons notre tour.
Quand une fois dans la tombe on repose,
Sans sentiment, à la louange sourd,
Nul envieux en fureur ne s' oppose.
Que le public trop prévenu d' amour,
Du pauvre mort fasse l' apothéose.

Addit tamen contiguam huic ex Epist. XVII. sententiam: *Scias ipsum plurimis virtutibus abundare, qui alienas sic amat.* Ad Ep. XVIII. de somniis: ad XX. de oratione crebra, assidua, et larga, et de eloquentia in universum disputat, non dimisso sine censura Plinio. Ad illum inprimis verum Epist. XXII. locum: *Impetu quodam et instinctu procurrere ad mortem, commune cum multis; deliberare vero, et caussas eius expendere, utque suaserit ratio vitae mortisque, consilium suscipere vel ponere, ingentis est animi:* quaedam digna lectu, ex ingeniosissimo scriptore *Montano (Montagne)*, adfert.

Ad Librum II. accedimus, ex quo et ipso plurima petiti Vir Rev. grata legentibus. Ex Epist. quidem II. haec: *Amor*

μικρεαίτιος semper, illuſtrat. Ad Ep. III. de Oratoribus ex tempore dicentibus diſſerit, neque eos magis laudat, quam laudantur a nobis. Pauca monet ad illa Epiſt. VII. *Si defunctorum imagines domi poſitae dolorem noſtrum levant; quanto magis eae, quibus in celeberrimo loco non modo ſpecies et vultus illorum, ſed honos etiam et gloria refertur.* Nobis hic adiungi nonnulla placuiſſet de monumentis, virorum egregie de re publica meritorum honori, publice ponendis, quibus eorum virtutes commendari fortiter poſteritati poſſent. Ad Epiſt. XI. oſtendere conatur, ſuaviores ex urbe epiſtolas ſcribi poſſe, quam rure; ad XV. moratur in his: *Nihil aeque gratum adeptis quam concupiſcentibus*, ut alia taceamus. Ex Libri III. Epiſt. V. locum omnem de ſtudiis et ſcriptis Plinii maioris huc transfert. Ex IX. interpretatur haec: *Fides in praeſentia eos, quibus reſiſtit, offendit, deinde ab illis ipſis ſuſpicitur laudaturque.* Ex XVI. clariſſimam Arriae vocem: *Paete, non dolet*, producit. Ad XVIII. de officio laudandorum Principum quaedam tradit. Ex L. IV. Epiſt. VII. apponit locum: *Minor vis bonis quam malis ineſt.* Ad illa Epiſtolae XIII. *Educentur hic qui hic naſcuntur*, educari iuventutem, quoad eius fieri poteſt, ante parentum oculos cupit. Ex Epiſt. XXIII. hanc eruit ſententiam: *Et prima vitae tempora, et media patriae, extrema nobis impertire debemus.*

Hos Libros Epiſtolarum Tomus Primus illuſtrat, quinque conſequentes Secundus, Decimum pars Tertii. Pauciora ex his exempla adſcribemus. Ex Libri V. Epiſt. V. locum hunc: *Qui voluptatibus dediti quaſi in diem vivunt, vivendi cauſſas quotidie finiunt*, variis obſervationibus ornat Cl. Formeius. Ad Libri VI. Epiſt. XI. quae debeant eſſe in Oratore virtutes, exponit. Epiſtolam XVI. quae eſt de obitu Plinii maioris, omnem vertit Gallice, adſperſitque adnotationes. Ad Epiſt. XXVI. eiusque verba haec: *Quam multum intereſt, quid a quo fiat? αὐτοχειρίας* exemplum prorſus ſingulare refert. Epiſtolam XXXII. non exiſtimat ad Quinctilianum rhetorem ſcriptam fuiſſe, adducitque locum amplum Gedoini, rationibus variis id negantem: qui tamen nobis non ſatisfecit. Multa ad Libri VII. Epiſtolam IX. diſſe-

disserit Noster: de versionibus linguarum; de imitatione optimorum auctorum; de oratione prosa et vorsa. Ex Epistola XXVII. postquam haec excerpsit: *Perquam velim scire, esse phantasmata, et habere propriam figuram, numenque aliquod putes, an inania et vana, ex metu nostro imaginem accipere:* narravitque duas apparitiones a Plinio commemoratas, adiicit ipse tertiam, probe sibi cognitam, eius quidem, quod postremo fatetur, generis, ut ea una suspensum teneat animum eius, neque patiatur plane accedere iis, qui phantasmata esse negant. Ex L. VIII. Ep. XXI. haec adducit: *Ut in vita, sic in studiis, pulcherrimum et humanissimum aestimo, severitatem comitatemque miscere, ne illa in tristitiam, haec in petulantiam excedat:* breviterque dicit de temperanda studiorum intensione. Ad L. IX. Epist. XIV. in qua haec habentur: *Posteris an aliqua cura nostri, nescio, nos certe meremur ut sit aliqua:* observat, unum fere *Fontanum (la Fontaine,)* ex omni scriptorum choro, pretium sibi ipsi statuere nescivisse. Ridendam postea propinat stultitiam *Cotini* illius, dicteriis *Boilavii* perpetuum victuri, quod scite expressum est noto illo versu:

Cotin a fini ses jours,
Trissotin vivra toujours.

Erat enim ille arrogantissimus ingenii sui misélli existimator. Ex Epist. XXXVIII. allatis his: *Neque enim soli iudicant, qui maligne legunt:* arripit occasionem, eorum imaginem, qualis esse debeat, pingendi, qui de libris aliorum iudicant, quos Criticos vulgo adpellant. Facit hoc verbis alienis, scripti nimirum cuiusdam: *Lettre de Mr. D - -* Licencié *en Droit à Mr. Freron,* etc.

Tomi Tertii, quod diximus, initium, Liber X. Epistolarum constituit, pro quo est hic operarum vitio: *Livre Neuvième.* Huic Epistolarum ad Traianum Libro Introductionem praemisit V. Cl. qua vitam laudatissimi Principis a pag. 2 - 24. enarrat. Ex Epistolis autem singulis cum sententias memorabiles, prout in Libris superioribus, petere non potuerit, satis habuit argumenta earum verbis non multis delineare; deinde novam illis gratiam observationibus quibusdam addit.

Dili-

Diligentius tamen ceteris, et merito, explicavit celebre par Epistoll. huius Libri, XCVII. et XCVIII. iusto in eas Commentario scripto a pag. 114-156. Periodos omnes, imo phrases, sigillatim expendit. *Carmen*, quod Christianos *dixisse Christo quasi Deo*, tradit Plinius, interpretatur *preces liturgicas;* quod nobis minime arridet. Hymnos certe in honorem Servatoris decantatos hoc loco signari, dubio fere caret, adponeremusque etiam fundamenta huius sententiae, nisi ea videremus dudum iam ab illis, qui hanc epistolam commentariis ornarunt, firmata esse. Quod autem existimat Vir Rev. hymnos a Christianis hoc tempore non fuisse recitatos nisi in conviviis, et ipsum aliter se habet. Unum illi tantum locum opponemus, 1 Cor. XIV, 26.

Sed cum pag. 176. huius Tomi omnis hic in Plinii Epistolas Commentarius exeat, non exspectato dono afficit lectores Cl. Formeius, Latino Philosopho addens Graecum, cuius in indice libri nullum apparet indicium. Ediderat ante annos decem *Sallustii Philosophi de Diis et Mundo libellum*, et Francogallice versum, et observationibus declaratum. Has laboris sui in eo collocati partes adiungit huic in Plinium Commentario; graecos autem contextus, ne dissimilis esset priori operae posterior, omisit. Ita quidem inscriptionem libri sui implevit V. Cl. egregios duumviros e Philosophorum ethnicorum genere vita quasi redonando. Sed superest tertius, non ille quidem ethnicus scriptor, sed tamen solo rationis humanae arbitrio, velut ethnici, utens, ad definienda hominum officia. Theologus fuit Christianus, vivis iam ereptus, cuius hic editur a pag. 307. libellus *de Fontibus disciplinae moralis, quo quidem ostenditur, omnia hominum officia niti naturae praeceptis, naturam autem deducere hos ad leges Religionis.* Sunt in eo loci acuti plurimi; ac licet Seculo iam superiore scriptus, nequaquam tamen refugiet nostrorum Philosophorum oculos. Itaque et haec Formeii nostri providentia laudabitur. Collectionem autem hanc omnem eleganter quidem, sed non satis emendate, quod mireris in Batavo, exscripsit typographus.

NOVA ACTA ERUDITORUM,
publicata Lipsiae
Calendis Decembris Anno MDCCLX.

RECENSIONIS BIBLIORUM HEBRAICORUM HUBIGANTI V. C. PARTICULA TERTIA

TO. III. LIBRI HAGIOGRAPHI SIVE PSALMI, Proverbia, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Iob, Esdras, Nehemias, Esther, Ruth, et Chronicorum libri duo. Accedit librorum, qui Deutero Canonici vocantur, Classis Hagiographica, sive Sapientia, Ecclesiasticus, et Addita ad Esther. TO. IIII. Prophetae posteriores, sive quatuor Prophetae maiores et duodecim minores. Accedit librorum, qui Deutero Canonici vocantur, Classis Prophetica, sive liber Baruch, Canticum trium puerorum, Susanna, Bel et Draco.

Alphabb. 10. plagg. 15. Fol. mai.

Indicavimus ante menses non multos, quae continerentur prima Operis *Hubiganti* Parte; neque omnino tantum ostendimus, quae laudanda nobis et probanda, quae improbanda ac vituperanda in eo viderentur, sed docuimus etiam singulatim, et pro Actorum Commentariorumque horum modo quidem certe satis, quomodo versatus esset *Hubigantus* in enarrandis libris historicis V. T. Quorum alteram partem quum complectatur Pars Operis secunda; quum *Hubigantus* in iis interpretandis sequutus sit, id quod

constantia interpretis ac gravitas postulabat, easdem leges: non necesse esse videtur, ut denuo exempla et specimina interpretationis Viri proferantur a nobis. Satis erit significasse paucis, quo ordine singula sequantur in illa Parte. Praemissa autem ipsis libris Hebraicis est longiuscula disputatio de aetate Patriarcharum; de spatio temporis, quo commorati sunt Israelitae in Aegypto; de annis, qui elapsi sunt inde ab profectione eorundem ex Aegypto, usque ad susceptam templi Hierosolymitani aedificationem; de diuturnitate imperii regum Iudaeorum et Israelitarum. Cuius quidem disputationis summa huc redit, ut, reiecta explosaque Petavii et Usserii ratione, numeros annorum, qui in libris hodie Hebraicis leguntur, librariorum culpa corruptos, mutandos emendandosque censeat. Hanc chronologicam scholam excipiunt ipsi libri Hebraici, in titulo Operis laudati, ita ut singula eorum Capita a tergo comitentur notae criticae, ab sinistro latere Versio latina, a fronte summa brevicula. Qua ipsa ratione usus est in explicandis libris Apocryphis Graecis, quos universos e Romano exemplo ita expressit, ut multas coniecturas in notis protulerit, textum, ut vocant, nulla earum contaminaverit. Et Tobiae quidem libellum, cui, ut libello Iudithae, brevis praefixa praefatio est, ostendit ab Iudaeis propterea non receptum fuisse in Canonem, quod quum e Babylonia in patriam rediissent, de eo nondum quidquam compertum habuissent: scriptum fuisse primo lingua Chaldaica, sed deinde, nescit a quo, Graece, et ab Hieronymo latine, conversum. Quam quidem Hieronymi Versionem latinam multo deteriorem esse Graeca Versione, contra Calmetum ita disputat, uti contra Pridavium aliosque vincere conatus est, nihil ab auctore libelli commemorari, quod non vere acciderit. Libellum Iudithae, pugnat, scriptum esse paucis annis post oppugnatam Bethuliam, et quidem Hebraice primo, sed postea ex Hebraico in Chaldaicum conversum: neque Chronologiam eius Xenophonteae et Herodoteae repugnare, ita ut non reiiciendus sit, tanquam sylloge mera fabularum. Libris Maccabaeo-

baeorum duobus nulla quidem Praefatio praemiſſa eſt, ſed brevis tamen chronologica tabula. Eos excipiunt Indices, quorum et numerus et ratio non diſcrepat ab Indicibus primae Partis. Hactenus de Parte Operis ſecunda. Veniamus ad tertiam et quartam.

Verſabimur autem in iis recenſendis ſic, ut primo oſtendamus, quae quaque contineantur: deinde exemplis quibusdam doceamus, quid nobis videatur de ratione quam ſequutus eſt *Hubigantus* in convertendis enarrandisque et Hagiographis, ut vocant, et libris Propheticis.

Atque tertia quidem in Parte quinam quotque inſint libri, index ſupra poſitus declarat. Pſalmis Davidicis, hi enim primum tenent locum, praefixa eſt Praefatio, quae docet, Auctorem propoſitum ſibi habuiſſe conſilium duplex: primo ut verteret Pſalmos latine: deinde ut emendaret, non modo ope et auxilio Verſionum veterum, Graecarum maxime, et Syriacae Chaldaicaeque; Arabica enim et Aethiopica e Graecis factae ſunt: ſed etiam ſubſidio locorum ſimilium, ſententiae orationis, naturae ſermonis Hebraici, quam in primis ab Maſclefio egregie explicatam eſſe ait; et adiumento Codicum ſcriptorum. e quibus laudat Oratorienſes et Regios; nam eos, quos Sorbona poſſidet, a ſe propterea non potuiſſe conſuli ait, quod Sorbona tunc quidem non ſolita fuiſſet uſum Codicum ſuorum concedere Viris eruditis. Eadem ſequutus eſt *Hubigantus* in explanandis Proverbiis, Eccleſiaſta, et Cantico Canticorum, qui libri excipiunt Pſalmos: ita tamen ut latina Verſio paullo liberior eſſet quam in Pſalmis. In Praefatione ad Iobum, et ſummam libri breviter exponit, et Schultenſium reprehendit, quod nuſquam Criticen adhibuerit, et loca interpretatus ſit manifeſte corrupta; quo quidem acciderit, ut protulerit ſaepe eas interpretationes, in quibus et ſollertia et acumen deſideraretur. In notis ad reliquos libros, Eſdrae, Nehemiae, Eſtherae, Ruthae, Chronicorum, Clerici inſolentiam non ſemel coercet, inſcitiamque redarguit. Poſt hos comparent libri Graeci tres, libellus Sapientiae, Eccleſiaſticus, et fragmenta

menta Estherae, ducti, ut supra significavimus, e Codice Romano. Atque Sapientiae quidem libri priorem partem ab Salomone profectam esse contra Calmetum disputat; posterioris particulae auctorem suspicatur eum esse, qui priorem Graece converterit. Estherae autem Fragmenta, quae in Versione Alexandrina ipsi libello Estherae Hebraico inserta passim leguntur, vindicat ab reprehensionibus Ludovici Capelli, qui commentis ea fabulisque scriptoris cuiusdam Graeculi contexta esse putabat. De Indicibus, qui claudunt Volumen, non est quod dicamus.

Frontem quartae Partis ornat Praefatio in omnes Prophetas, cum maiores, tum etiam minores; quae duabus constat partibus. Primo enim, sed breviter, docet, Oracula Prophetarum intelligi posse, ne forte quis obscuritate ac difficultatibus insuperabilibus ab eorum lectione deterreatur. Deinde ostendit, quomodo versandum sit in eorum interpretatione. Elaborandum maxime in eo censet, ut et verba, et sententiae Prophetarum, intelligantur et capiantur; et quidem sic, ut verba depravata ab librariis corrigantur: ut significatus verbo cuique tribuatur loco quoque suus; quod non factum esse ab Villalpando memorat: ut partes orationis inter se ne permutentur: ut sententia ne pugnet cum ingenio linguae Hebraicae atque stilo Prophetae, ne quae proprie dicta sint, ea tropice explicentur, et contra; adversus quam legem magnum Grotium, sed non magnum in interpretandis Prophetis, saepissime peccasse ait: ut series orationis ne deseratur ac negligatur: ut quis vacuus opinionibus praeiudicatis et liber accedat. Quas leges etsi multis argumentis confirmavit, variisque exemplis illustravit *Hubigantus:* eas tamen non magis observari oportere in explicandis Prophetarum Oraculis, quam in enarrandis aliis libris, quis non intelligit? Post Praefationem extant ipsa Vaticinia Prophetarum, ditata Versione latina, et notis Criticis illustrata. Ea excipit Praefatio in libellum Baruchi, quem non modo ab Barucho scriptum, sed etiam θεόπνευστον esse, instituit planum facere contra Ludovicum Capellum: quem ipsum

ipsum in eo erravisse contendit, quod putarit, Canticum trium illorum iuvenum, Susannae item historiam, Belisque et Draconis, mera figmenta atque fabulas esse, ab hominibus ineptis compositas. Caeterum hi ipsi libelli, quatuorque Indices, terminant etiam hoc Volumen, atque adeo totum Opus, quod Parisiis, publica auctoritate et iussu, descripsit *Claudius Franciscus Simon*, Reginae et Archiepiscopatus Parisiensis Librarius.

Restat, ut lectoribus copiam faciamus iudicandi de ratione, qua usus est *Hubigantus* in vertendis enarrandisque utriusque generis libris, et Propheticis et Hagiographis. Age igitur, proferamus ex utrisque exempla quaedam. Et universe quidem quae laudanda nuper, quae vituperanda, in superioribus libris, ostendimus: ea etiam in his vel probanda vel improbanda censemus. Sed singulatim in Psalmis vehementer displicet Versio latina; quam longe obscuriorem verbis Hebraicis deprehendimus, quam nec assequi ubique vim eorum et potestatem, immo laedere naturam linguae, et leges violare, mirati sumus. Auctor atque testis iudicii nostri et sententiae Psalmus primus esto. Eum *Hubigantus* latine sic convertit: 1) *Beatus vir qui non ivit in consilium impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in consessu irrisorum non sedit:* 2) *sed in lege domini voluntas eius, et in lege eius meditatur die ac nocte.* 3) *Quippe erit ut arbor plantata secus rivos aquarum, quae fructum suum praebet suo tempore, cuius folium non defluet, et omnia quae faciet prospere cadent.* 4) *Non sic impii; sed erunt ut stipula, quam dispellit ventus.* 5) *Itaque non stabunt impii in iudicio, neque peccatores in coetu iustorum.* 5) *Novit enim dominus viam iustorum, via autem impiorum peribit.* Certe non videmus, cur non maluerit eiusmodi Versionem latinam omittere *Hubigantus*, qua nec latine doctis satisfieret, quum nemo ope eius, quia non est latina, orationem Davidis intelligere ullo modo possit; neque Hebraicae linguae cupidis consuleretur, quum sententiam verborum Hebraicorum non explicet, sed implicet magis atque involvat. Etenim אִישׁ apud Daviden

non eſt *vir*, ſed *homo*; ut recte ignotus quidam interpres, quem nos Symmachum eſſe ſuſpicamur, reddit, ἄμεμπτος Ο ΑΝΘΡΩΠΟΣ. Verba הלך, עמד, ישב et reliqua, non debebant verti latine per Praeterita, ſed per *ſolere*. Praeterita enim ab Hebraeis non raro ita ponuntur, ut omnia temporis genera complectantur. quod etiam ab Graecis ſolet fieri. Sic apud Homerum Il. α, 37. ὃς Χρύσην ἀμφιβέβηκας eſt *qui Chryſen tueri ſoles*, non *tuitus es*. חטאים Latinis non ſunt *peccatores*, ſed *facinoroſi*, *ſcelerati*, qui ab ſcriptoribus N. T. dicuntur ἁμαρτωλόι. Et ut verba הלך et עמד ſignificare arbitramur *delectari*, ita עצת רשעים et דרך חטאים putamus eſſe *conſilia*, *facta*, *inſtituta*, *vitam ſceleratorum*. Neque vero *irriſores* qui ſint, ſatis intelligi poteſt. debebant addi verba *doctrinae divinae*. Sane לצים ſunt *ii qui irrident et explodunt doctrinam divinam*. Alexandrini eleganti vocabulo appellant λοιμὲς· e quorum Verſione ſumta eſt gloſſa apud Heſychium: λοιμῶν· — ἁμαρτωλῶν, τῶν τε νόμε ἐμπαικτῶν. Porro שבת במושב לצים non valet *in conſeſſu irriſorum ſedere*, ſed *conſuetudine et familiaritate irriſorum doctrinae divinae uti*, quod ab Paullo 1 Cor. 5, 9. uno verbo συναναμίγνυσθαι dicitur. nam ut verbum ישב omnino ſignificat *eſſe*, *verſari*; unde auctores Verſionum quintae et ſextae habent hoc loco ἐχ εὑρέθη, et Symmachus ἐ κεκοινώνηκεν: ita nomine מושב *locus quivis* notatur, *quo quis eſt ac verſatur*. Sic verba כי אם בתורת יהוה חפצו inepte reddita ſunt, *ſed in lege domini voluntas eius*. immo *ſed qui doctrina dei delectatur*, vel, *ſed quem iuvat doctrina divina*. nam poſt particulas כי אם nemo non videt intelligi debere Pronomen אשר. debebat igitur, retentis etiam *Hubiganti* verbis, dici, *ſed cuius voluntas* etc. ut ipſe paullo poſt pro ועלהו, eadem de cauſſa, habet CUIUS *fol.*, non, ET *fol. eius*. Et quae monſtra verborum ſunt haec, *in lege eius meditatur?* הגה בתורת יהוה eſt *cogitare de doctrina divina, eamque ſtudere vita exprimere*. Neque יומם ולילה apte ſatis, opinamur, vertitur *die ac noctu*. immo *dies noctesque* h. e. *aſſidue*, *nunquam non*, ἑκάστοτε. Sed ut

פלגי

פלגי מים recte dicuntur *rivi; aquarum* enim cur addi necesse sit, non videmus: ita ועלהו perperam explicatur, *cuius folium.* nam עלה quis dubitet quin habeat vim Pluralis? Itaque עץ אשר עלהו לא יבול erit *arbor quae comas nunquam ponit.* Neque verba *omnia quae faciet prospere cadent,* satis perspicua Latine doctis videbuntur. Series enim et vicinia verborum declarat abunde, verba Hebraica וכל אשר יעשה יצליח pertinere ad arborem, non ad homines doctrinae divinae amantes atque cupidos; quorum tamen felicitatis propriae et perpetuae, quae subinde crescat, arbor illa imago est. Vidit hoc iam Chaldaeus Paraphrastes, quo praeeunte contendimus, verbis כל אשר יעשה signari *germina*, et הצליח valere aut *virere*, *florere*, aut *iubere virere:* ut sensus sit, *cuius germina etiam omnia vigent ac florent.* מרץ non est *stipula;* haec enim קש vocatur; sed *acus*, h. e. *involucra spicarum, quae spicis tritis et subiactatis ventilabro evannantur foras extra aream, quum ventus spirat.* קום במשפט non valet *stare in iudicio*, sed *vincere*, *caussa non cadere*, νικᾷν, et, addita particula negandi, *caussa cadere*, ἡττᾶσθαι. Aeque obscure, aeque male, reddita sunt verba וחטאים בעדת צדיקים *neque peccatores in coetu iustorum.* Nos quidem ea mallemus sic vertere, *neque, ut pii, absolventur.* nam *non interesse concilio piorum* quid est nisi *non absolvi* a deo? צדיקים sunt *pii, probi*, non *iusti:* et רשעים *impii, scelerati*, non *iniusti.* ידע valet *probare*, non *nosse:* et אבר *perniciem exitiumque* aeternum *invenire*, non *perire.* Eandem in convertendis Prophetarum Oraculis desideramus diligentiam et perspicuitatem, ut *Hubigantus* ipse interdum visus nobis sit non cognitum satis ingenium Hebraicae Latinaeve linguae, naturamque habuisse. Quam in rem placuit exempla quaedam e libello Ionae petere. Imperativus קום c. 1, 2. perperam redditur per *surge*, quum habeat vim cohortandi, respondeatque Latinorum Imperativo *age.* Eodem versu verba כי עלתה רעתם לפני vertuntur ab *Hubiganto, quippe improbitas eorum adscendit usque in conspectum meum.* quae verba nimis recedunt ab indole

ser-

ſermonis Latini, adeo ut nec Hebraicis verbis quae poteſtas ſubiecta ſit, ullo inde modo poſſit intelligi ab Latine quidem ſcientibus. Poterat et debebat Vir doctus dicere, *quippe ſcelera eorum maxima ſunt, neque ullo modo ferenda.* Nam impietas quum tanta eſt ut addi nihil poſſe videatur, dicitur Hebraice *adſcendiſſe ad deum.* Paullo poſt v. 4. verba והאניה חשבה להשבר non male quidem redduntur, *ita ut prope eſſet ut navis frangeretur.* Sed in notis minus recte praecipitur, חשבה poſitum eſſe pro חשׁוּבה, quod proprie ſit *putabatur frangi.* Neſcimus certe primo an ab חשב dici poſſit חשׁוּבה: deinde an leges linguae eam verborum ſtructuram, hoc ſenſu, admittant et probent. Nobis videbatur locus Ionae Vulgata lectione ſervata, ita poſſe explicari, *ita ut navis minaretur ſe iamiam interituram.* Quidni enim Coniugationi ſecundae tribui queat poteſtas ultimae? Sed cur neceſſe ſit, ut הקל v. 5. habeatur pro Paſſivo, non videmus. nam etſi interpretes Alexandrini in eadem ſententia fuiſſe videntur, quum in eorum Verſione ſit τοῦ κουφισθῆναι· tamen commode, ut Activum, accipi poteſt, modo intelligatur אותה, quod referatur ad praecedens nomen באניה. Sed ירכתי הספינה certiſſimum eſt non poſſe dici *latera navis*, quum ſignificetur *ima navis pars* ſupra ſentinam, in quam deſcendebant ii qui ſe vellent abſcondere. Alexandrini eleganter κοίλην τοῦ πλοίου vocant. Verba אשר עשה את הים ואת היבשה v. 9. ſignificant *auctorem orbis terrarum.* nam הים והיבשה eſt *orbis terrarum.* ut Matth. 23, 15. ἡ θάλασσα καὶ ἡ ξηρά. Inepte exhibet Verſio *Hubiganti, qui fecit mare et aridam tellurem.* Sed uti in his aliisque locis innumeris non ſatisfactum eſſe aperte fatemur ab *Hubiganto* linguae Hebraicae et Latinae legibus: ita nec Verſiones veteres, et in his Graecas maxime, diligenter ſatis conſultas ab eodem in libris Propheticis et Hagiographis reperimus, quum tamen loco non uno oſtenderit, ſe varias ex iis lectiones curioſe collegiſſe. Quod ne temere dixiſſe videamur: cum e Pſalmo primo, tum e Iona, quasdam lectiones, ab eo non commemoratas, laudabimus, et

et quidem e Verſionibus tantum Graecis. de reliquis viderint alii. Pſ. 1, 1. pro בעצת רשעים Aquila legit בעדת רשעים. nam in reliquiis Verſionum eius habentur verba, *ἐν συνελεύσει ἀσεβῶν*. Iam vero *συνέλευσιν* eſſe Hebraeorum עדה, non עצה, quis neget? praeſertim quum Aquilam ſatis conſtet verbum de verbo reddidiſſe. Ion. 1, 9. in Verſione Alexandrina pro עברי, quae eſt lectio editorum librorum, extat *δοῦλος κυρίου*, ita ut vix dubitandum videatur, quin interpretes illi in ſuis Codicibus invenerint עבד יה. Sed quum hac de re omni non poſſit iudicari ſatis, niſi ipſi libri inſpiciantur: non fatigabimus lectores proferendis exemplis pluribus. Confirmare tamen liquido poſſumus, ab *Hubiganto* ne centeſimam quidem partem lectionum collectam e Verſionibus antiquis eſſe. Quod quidem eo minus moleſte ferendum cenſemus, quum confidere poſſe videamur, Kennicoti induſtriam et diligentiam brevi eſſe hoc in genere exſpectationi omnium ſatisfacturam, eamque fortaſſis etiam ſuperaturam.

Caeterum *Hubigantum*, Virum eruditiſſimum, vehementer rogamus, ut, quae a nobis diſputata ſunt, ea in malam partem ne accipiat; immo exiſtimet, nos propterea tam libere ſententiam dixiſſe de Opere, inſignis diligentiae, incredibilis induſtriae, exquiſitiſſimaeque ac rarae doctrinae, graviſſimo ſempiternoque pignore, cuius copiis nullus librorum divinorum interpres facile carere poſſit, ut invitaremus et cohortaremur omnes ſacrarum litterarum vel doctores vel ſtudioſos, ad ornandam porro perpoliendamque hanc liberalis doctrinae partem. Nos quidem perſuaſiſſimum habemus, planeque contendimus, vel minutiſſimo huius generis libello excellentiam laudis maximorum in rem Chriſtianam omnem meritorum, et nominis immortalitatem, multo et facilius et certius parari, quam Syſtematis Compendiisque Theologiae vel ſubtiliſſime compoſitis, et vel maxime grandibus Concionum philoſophico theologicarum Voluminibus, poſſe. Tales enim libri non uni Chriſtianorum ſectae, ut fere dogmatica ſcripta, ſed cunctis proſunt et omnibus

aetatibus, neque ſine eorum apparatu ullum librum dogmaticum idoneum, qui aetatem ferat, conſcribi ullo pacto licet. Quod utinam nobiſcum ſibi omnes alii perſuaderent, paterenturve perſuaderi!

ELEMENTA PHYSIOLOGIAE CORPORIS HUmani. Auctore ALBERTO de HALLER, Praeſide Societatis Regiae Scient. Götting. Sodali Acadd. Reg. Scient. Pariſ. Reg. Chir. Gall. Imper. Berolin. Suecic. Bononienſ. Societatt. Scient. Britann. Upſal. Helvet. In Senatu Supremo Bernenſi Ducentumviro. TOMUS PRIMUS. Fibra. Vaſa. Circuitus Sanguinis. Cor.

Lauſannae 1757. ſumptibus Marci Michaelis Bouſquet et Sociorum, Alph. 2. plag. 19. in 4.

Naturam humanam, et obſcuram difficilemque indagatu, et medentibus cognitu perneceſſariam eſſe, qui dubitet vix quiſquam erit, niſi fortaſſis qui in artis medicae hiſtoria parum verſatus, ingentem opinionum varietatem ignorat, et quadam mentis caligine oppreſſus ac praepeditus, ab rationalium partibus ad empyricorum partes coeco impetu ruit. Quo autem magis obſcura eſt quaeſtio de naturalibus humani corporis actionibus; quoque maiori temporis laborumque diſpendio verum ex tot opinionum perplexitate eruitur: tanto ſane maiori laude dignus ille iudicandus eſt, qui, nullo taedio nullaque moleſtia deterritus, opus hoc Herculeum admirabili magnitudine animi aggreditur. Itaque etiam nos, dum praeſens opus Illuſtris Generoſique HALLERI in manu eſt, non poſſumus non, quin vehementer etiam atque etiam laudemus incredibilem viri incomparabilis diligentiam atque induſtriam, omnibusque medentibus de coepto opere gratulemur, maxime quod vix alium quenquam eidem parem fore arbitramur. Cum enim operis praefationem perlegeremus, admirabundi comperimus, Summum virum octo Voluminibus, huic primo neque

neque forma neque amplitudine diſſimilibus, doctrinam de natura humana comprehenſurum eſſe, ita partito opere, ut volumine ſecundo ſanguinis et humorum hiſtoria, tertio reſpiratio et vox, quarto cerebrum, quinto muſculi et ſenſus, ſexto ciborum coquendorum organa, et ultimo denique generationis organa expoſita habeantur; et ea quidem rerum ubertate, ut fere, quicquid humana diligentia in Anatomicis, zootomicis, chemicis, mechanicis, hydroſtaticis, hydraulicis rebus, naturalique hiſtoria, a tot retro annis ad noſtram usque aetatem auſa eſt, fideliſſime pleniſſimeque enarrentur. Quo fiet, ut optabilem dogmatum phyſiologicorum hiſtoriam accipiamus. Hoc primum certe Volumen conſcriptum ita eſt, ut vix quicquam deſiderari poſſit. Nos, noſtro more, ex his, quae venerabili Auctori quodammodo propria, aut omnino nova videbuntur, nonnulla excerpemus. *Lib. I. Sect. I.* proponuntur duo genera fibrarum, alterum absque latitudine longarum, alterum cum modica longitudine latarum. Elementa generis utriusque ponuntur terra, aqua, oleum, ferrum, et aer. Neutrum ſenſu pollet, niſi nervoſi quid accedat. Neque ulla fibra, praeter muſcularem, ſi irritetur, brevior redditur. *Sect. II.* docetur, ex utroque hoc genere, aut ſolo alterutro, aut utroque coniuncto, componi ampliſſimam illam celluloſam telam, cuius uſus per omnes propemodum humani corporis partes, et tam late pateat, ut nihil fere non ex ea componi arbitretur Ampliſſimus Auctor. Admirabilem praeterea eſſe huius telae, per totum corpus diſperſae, communionem, ac talem, ut rebus alienis, eidem praeter naturam inhaerentibus, liberrimum iter ex loco in locum pateat. *Sect. III.* id, quod Sectione altera aſſeruerat, pluribus A. argumentis ſtabilire contendit. Scilicet, omnes fere ſolidas humani corporis partes nihil aliud eſſe, quam telam celluloſam, ſtrictius congeſtam arctiusque intricatam, ſic, ut membranae absque exceptione omnes, vaſaque, quae membranae cavae ſunt, porro viſcerum parenchymata, ligamenta, fortaſſe etiam tendines et cartilagines, et oſſium pars magna, ex ea facta ſint. At-

que haec quidem a se inventa gloriatur Ill. HALLERUS. *Sect. IV.* agitur de adipe, qui in spatiolis, inter fibras laminasque istius telae interceptis, quanquam non ubique, in plurimis tamen locis habitat. Ad fluidas corporis partes eum pertinere, dum vivit homo. Neque glandularum, neque ductuum adiposorum ope secerni, sed brevissima via ex arteriis exhalare. Qui secernendi modus ut eo luculentius pateat, A. pororum satis amplorum, perque universum corpus dispersorum, frequentiam, liquido, pluribusque experimentis evincit. *Lib. II. Sect. I.* exponitur de arteriis, ubi negatur, eas, singulatim consideratas, iure dici posse conicas; cum potius sint series cylindrorum, quae ita sibi adaptentur, ut ad singulos ramorum paulo maiorum exortus, duo cylindri conveniant, quorum maior supra eum exortus sit, minor infra. Arteriarum fines esse venas, ductus excretorios, vascula exhalantia, vasa minora, hoc est, liquidum sanguine tenuius vehentia. Quo loco ingeniosa illa HERMANNI BOERHAAVII theoria, de vasorum valde multiplicatis divisionibus et subdivisionibus, accuratiori examini subiicitur atque subvertitur. *Sect. II.* tractatur de Venis, quibus figura conica relinquitur. Post amplissimam valvularum historiam ostenduntur venarum fines, doceturque, eas oriri ex arteriis, ex cellulosa tela, ex magnis caveis, ex minoribus caveis, ex venis tenuioribus. *Sect. III.* primo occurrit de vasorum lymphaticorum antiquitate expositio historica, eaque accuratior; deinceps de eorum natura tractatur, ibidemque demonstratur, vim irritabilem in vasis istis multo magis quam in vasis rubris esse conspicuam, atque ductum thoracicum, vasaque hepatis lymphatica, acri liquore tacta celerrime contrahi et exinaniri. Origines suas petere ab arteriis, a venis, a ductibus excretoriis, a tela cellulosa, a magnis caveis, a venis minoribus, a nervis. A glandulis vero oriri negatur. Postea fines vasorum eorum ita exponuntur, ut difficile sit, fusius proposita compendio dicere. Et cum vasa lymphatica fere perambulent glandulas, quas conglobatas vocant, earum quoque hac Sectione traditur historia,

atque

atque fabrica describitur, non tamen propriis experimentis definitur, habeantne folliculos nec ne? Similiter loquitur A. de his quaestionibus: num lympha vasculorum advehentium unice in revehentia resumta transeat; an potius in aliquas glandularum caveas prius effundatur, ex quibus per revehentes ductus resorpta exeat? Denique series et systema glandularum conglobatarum proponitur. De utilitate earum differens A. lymphae motum ab iis adiuvari non concedit. *Lib. III.* sermo est de circuitu sanguinis ex corde in arterias, ex arteriis in venas, ex venis in cor. Ubi *Sect. I.* et *II.* rursus prolixe enarratur historia inventionis, quae HARVEO vindicatur, reiectis tum veterum, tum recentiorum quorundam aliter sentientium opinionibus. *Sect. III.* explicatur ipse circuitus sanguinis, per arterias a corde in venas transeuntis, et per has cordi redditi; ubi plenior historia chirurgiae infusoriae et transfusoriae legitur. *Sect. IV.* describitur lymphae iter, ubi BILSII opinio, et adfines errores refutantur, ostenditurque, lympham a minimis ad thoracicum ductum confluere. *Lib. IV.* cordis iunctarumque partium fabrica usus que explicantur, et *Sectione* quidem *I.* de velamentis cordi extrinsecus circumpositis agitur. Quo loco Ill. Auctor defendit caveam mediastini adversus secus sentientes, atque accuratius describit, quomodo pericardium ad cordis sinus et magna vasa, tum anterius, tum posterius adhaereat, quod hactenus parum bene ac minus plene dictum erat. Aquam pericardii confirmat, per experimenta convictus, ac praecipuam eius utilitatem ait esse hanc, ut pericardii cum corde coalitionem avertat. Scaturiginem humoris pericardii vix aliam esse, quam reliquorum vaporum, caveas maiores corporis humani replentium. *Sect. II.* cordis auriculae describuntur. Antea vero figura cordis in homine depingitur, moneturque, eam esse istius visceris frequentem figuram, ut duobus obtusis colliculis finiatur, quos crena illa dividit, quae continuatur lineae illi, quae cor bipartitur. Posteaquam situm cordis, ad mentem recentiorum, WINSLOWIUM sectantium, descripsit, utiles observatio-

nes de mutato eo ſitu affert, quales fere ſunt: Cordis ſitum non poſſe non mutari cum motu ſepti transverſi, minus quidem in ſano homine et parvis inſpirationibus, magis in homine qui cum contentione animam ducit. Mirum eſſe, neque ei facile creditu qui nunquam vidit, quam vehementer cum diaphragmate, dum animal ſpiritum trahit, cor deorſum retrorſumque moveatur, quam violenter demum, dum pectus in exſpiratione arctatur, ſurſum et antrorſum revellatur, et de pectore exprimatur. Porro iacenti homini, et ſupino, de ſterno ad ſpinam dorſi idem cor delabi, et in aortam decumbere. Quando corpus inclinamus antrorſum, idem ab aorta prorſum, ac verſus ſternum declinare. Quando demum in dextrum latus ſtrati ſomnum capimus, cor totum ad coſtas eius ſedis pulmonemque vergere, ſiniſtrum vero pulmonem liberare, et viciſſim. Verum etiam a turgido ventriculo mucronem cordis ſurſum repelli poſſe, ut interea baſis deſcendat; totum vero ſurſum removeri, quando uterus gravidus, aliave cauſa abdomen undique diſtendens, ſeptum transverſum urget ſurſum. Idem et exhauſtis ſubito hydropicorum aquis deſcendere in abdomen, aliosque cum vaſis ſuis angulos facere, atque aortam ſecum trahere. *Sectione III.* ipſius cordis fabrica fuſius deſcripta habetur. Confirmat ibi Celeb. Auctor, et auriculam dextram, et ventriculum dextrum, capacitate ſuperare easdem partes ſiniſtri lateris, ac demum arteriam pulmonalem, et diametro, et ramorum numero, potiorem eſſe quam venas ſodales, ut omnino omnia receptacula dextri lateris, analogis ſiniſtri lateris caveis ampliora ſint, quibus reſpondent. Cordis fibras, dicit, univerſas ſibi videri obliquas, ſic tamen, ut transverſis pleraeque quam rectis propiores ſint; oriri ab auris dextrae ſede, deflectere per faciem convexam in mucronem, et ad eandem aurem per faciem planam redire; ſed prope eandem aurem, inque baſi, plurimas reddere cor craſſiſſimum; inter baſin vero auremque multas deſerere ſocias, atque in caveas ventriculorum tendere, ut muſculos internos, et reticulatos lacertos earum cavearum efficiant; indeque fieri, ut

ut versus mucronem cordis carnes multo, quam prope basin, tenuiores existant. Post hanc suam sententiam, narrat clarissimorum Anatomicorum de eadem re opiniones; dein observationes suas anatomicas de nervis cordi insertis, plenius exponit, quam ut a nobis repeti possint. Idem etiam de venis, cordi, eiusque partibus propriis, dictum sit. Cordis glandulas admittit nullas; vasa vero pellucida adesse putat, quanquam a se non visa. *Sect. IV.* ipsum tandem cordis motum explicat, ubi negat, cordis diastolen a propriis fibris carneis earumque actione repetendam esse, sed eo ipso fieri, quando fibrae, systolen molientes, agere desinunt. Cor omnino tunc, cum agat, fieri brevius. Ipsa cordis systole omnem ruberrimum animalis sanguinem de corde exprimi, ut omnino cor absque cruore supersit. Vim cordis penetrare in arterias capillares, et haud dubie in venas, quin etiam in vascula minora. *Sect. V.* inquiritur in causas motus cordis. Causa proxima huius motus dicuntur fibrae corneae, quae ipsae per se irritabiles sint; tum stimulorum varia genera enumerantur; et confidentius negatur, vim eam a nervis esse; item non videtur Cl. Viro, dari nervos peculiariter vitales; neque animam habitare in corde; causam, quam ob rem auricula dextra ultima supervivat, repetendam esse inde, quod diutius ad eam aurem dextrumque ventriculum sanguis veniat stimuletque.

ELEMENTORUM ANALYSEOS INFINITORUM IOANNIS ANDREAE SEGNERI, Seren. ac Potent. Regi a Consf. intim. Mathematum et Philos. natur. in Acad. Frideric. Profess. Primarii etc.

PARS I.

Halae Magdeburg. 1761. prost. in Off. Rengeriana, in 8. 31. pl. una cum IX. Tab. aen.

Quam sibi Illustris Auctor, cum duabus Cursus Mathematici partibus ante aliquot annos, tum aliis in sublimi

limi hac fcientia editis meletematis, immortalem peperit gloriam: eam hac tertia Curfus Mathematici parte fupra quam dici poteft amplificaturum effe, certo perfuafi fumus. Quamvis enim mole exiguus libellus fit, attamen tantam profundiffimarum meditationum, novo eoque perfpicuo ordine digeftarum, uberiorique fermone quam quidem fieri folet expreffarum, copiam continet, ut cum vaftis in hoc genere operibus de praeftantia certare poffit. Proponit in eodem Illuftris Auctor primam Calculi differentialis partem eam, quae aequationes differentiales incompletas complectitur, quaeque ad ea potiffimum detegenda adhibentur, quae in ramis curvarum fingularibus quaeri folent. Prima eius Sectio tantam ideis infinite parvarum ac infinite magnarum quantitatum lucem affundit, ut omnes, quibus eas Philofophi ac nonnullii Mathematici involvebant, tenebrae diffipentur. Si ratio quaecunque M: P concipitur aequalis rationi 1 : 0, tum M ex mente illuftris Auctoris infinite magnum eft refpectu P et P, infinite parvum refpectu M. Illas vero rationes ac quantitates M: P dum concipimus aequales 1 : 0, id non ideo fieri putamus, quod easdem plane perfpiciamus, verum quod nihil interfit eas diftingui. Quamvis itaque nulla quantitas exiftat fine terminis, tamen in iis cafibus, in quibus eft M: P = 1 : 0 ad illos terminos non opus eft attendere. Multis id Auctor illuftrat exemplis, atque fimul demonftrat, proportionem M: P = 1 : 0 fubfiftere non poffe, fi utraque quantitatum M et P data fit vel ita determinata, ut maiorem vel minorem, quam eft, eam cogitare non liceat, quantumvis magna fit M, et quantumvis parva P. Ex hoc fonte fluunt omnia horum quantorum attributa, omnes eorum ordines. Quibus rite demonftratis Auctor Illuftris, luculentiffimo exemplo §. 54. feq. a progreffione geometrica in infinitum continuata, cuius fumma defideratur, defumpto, fingula huius theoriae capita illuftrando monet, quantitates infinite magnas ac parvas a Veteribus dici omni dabili maiores, omnique dabili minores; a recentioribus Geometris vero fluxiones, incrementa, decrementa,

menta, quantitates differentiales, differentialia aut elementa. Sectio II. praenoſcenda quaedam continet. Inter ea refertur primum brevis quidem, ſed concinna ac univerſalis de Functionibus Mathematicis theoria, una cum artificiis ex data aequatione algebraica $my - nx - mq + np = o$ ad datam baſin et angulum coordinatarum itidem datam lineam deſcribendi, nec non ex alia exhibita generali aequatione $(a+bx+cx^2 - - - - - + t\,x^n)\,y = (\alpha+\beta x+\gamma x^2+\theta x^m)\,p$ omnes hyperbolicarum ac parabolicarum curvarum familias deducendi, earumque ductus ac praecipua determinandi attributa. Deinde methodi curvarum diametros, eorumque centra determinandi, traduntur. Sectio III. pulcerrimas Functionum Mathematicarum dotes exhibet, quarum ope novae ex iis eliciantur aequationes, quibus rite applicatis maxime inſignia per omnem Matheſin inventa debentur. Exiſtente enim V. Functione Variabilium quotcunque $X, Y, Z,$ per aequationem exhibita, auctisque $X\ Y$ reliquisque variabilibus ingredientibus, aequationem invenire docet Auctor illuſtris, quantum ea re augeatur vel imminuatur functio quaevis algebraica, aeque ac algebraicam tranſcendens. reperiuntur ex hac incrementorum ſubſtitutione novae aequationes, quae in aliquibus caſibus perfecte aequales; in quamplurimis vero perfecta aequalitas in iis concipi nequit, ſed tendentia tantum quaedam ad aequalitatem iſtam. Legi profecto merentur theoremata elegantiſſima, quae illuſtris Auctor hoc accuratius explicat, quod iis ſibi viam ad aequationes differentiales ſternit. Differentialis enim aequatio eſt illa ipſa aequatio, quae ex aequatione, cuius variabiles ſunt $X.\ Y,$ pro X ſcribendo $X+x$ vel $X-x$ et loco Y ponendo $Y+y$ vel $Y-y$, formata concipitur, ſive exacte vera fuerit ad quamcunque magnitudinem variabilium $x, y,$ ſive propter omiſſionem quorundam terminorum a vero receſſerit ubi x, y finitae ſumuntur, dummodo is error, alterutra variabilium iſtarum x continuo imminuta, ipſe quoque tandem continuo decreſcat, atque ad x infinite parvam omni dabili evadat minor. Variabilis autem x cum ſemper ſpectari

 poſſit

possit tanquam differentia duarum quantitatum $X + x$ et X vel X et $X - x$ differentiale dicetur huius quantitatis X. vel absolute quantitas differentialis. De Leibnitio, qui Methodos illas, nomine calculi differentialis et integralis calculi, in continenti nostra primus vulgavit, illustris Auctor notat, eum differentialia non vehementer, sed infinite parva concepisse, adeo ut neque finitam quantitatem quamcunque ei addita augeant, neque subtracta minorem reddant, eodemque sensu alios incrementi, decrementi, vel elementi vocabulis usos esse. Leibnitius proinde aequationes differentiales veras esse eodem sensu voluit, quo verae sunt reliquae, itaque perfecta membrorum aequalitate supposita nihil relinquetur, quam ut cum acutissimo Eulero differentialia nihila dicantur, ut sunt vel absolute, vel respectu cuiuscunque quantitatis finitae. Verum ipse illustris Auctor ita explicari posse aequationes differentiales putat, ut liberum sit quamcunque magnitudinem quantitatibus differentialibus tribuere, quae in eam ingrediuntur, dummodo satis parvae cogitentur. Signum proinde aequalitatis $=$ ita explicandum, ut non perfectam aequalitatem notare dicatur, verum tendentiam ad aequalitatem, a qua membra aequationis tanto minus recedunt, quo minora sumuntur differentialia eam ingredientia, quamque plane attingunt ubi haec differentialia vel infinite parva, vel prorsus evanescunt, non aliter quam si loco $=$ scriptum esset $\asymp$. denotante hoc signo quantitates ad aequalitatem tendentes, quae sub certa conditione aequales fieri possunt. Ipsam vero formationem differentialium aequationum tam algebraicarum, quam exponentialium, Auctor illustris mirifice illustrat, cum eam ante per considerationem figurae geometricae, vel alicuius eiusmodi rei instituere doceat, quam ad ipsam calculi differentialis Arithmeticam accedat. In qua ita versatur, ut primum differentiandi leges XII. casus simplicissimarum aequationum h. e. eiusmodi, quae ex aliis pluribus, mediante copula unitis, terminis non compositae sunt, demonstret; compositarumque aequationum differentiatione ad X. casus

reducta,

reducta, invenire doceat differentialia aequationum exponentialium, eorumque XV. classes constituat. Tandemque differentialia arcus circularis cum differentiali sinus eius arcus vel cosinus, cumque differentiali tangentis eius atque secantis, comparat. Sectionibus IV. V. et VI. eorum, quae hactenus explicata sunt, usus in tangentium methodo directa, ac ramorum in infinitum excurrentium doctrina, uberrime declaratur. Pari dexteritate Sectione VII. leges eliciendi ex differentiali cuiuscunque ordinis differentialia, quae pertinent ad sequentem, docentur; et quam insignem ea usum in eruendis sublimioris Geometriae capitibus praestent, Sect. VIII. IX. et X. ostenditur, considerando positionem arcuum respectu tangentis, ac determinando primum ad quam partem tangentis cadat arcus, quomodo reperiendi rami, puncta flexus in contrarium, et ad positionem tangentis punctum contactus: deinde quomodo applicatae ramorum maximae et minimae eruendae; ac tandem suppeditatis anguli et radii curvedinis notionibus, quibus artificiis formulae anguli et radii curvedinis, nec non cuspides rami, et puncta flexus invenienda docetur. Ex quibus omnibus satis superque Lectores nostri, ac inprimis ii, qui sublimem hanc artem colunt, perspicere possunt, nihil illustrem Auctorem hoc in genere intactum reliquisse eorum, quae eos iuvare possint, qui Geometriam sublimiorem sine temporis sumtuumque dispendio addiscere, eaque, quae a Geometris recentioribus proponuntur, mirari desinere cupiant. Nulli itaque dubitamus, fore, ut omnes boni, cum illustri Auctore, misere afflictae Germaniae pacem, ipsique illustri Viro vitam, eamque ab omni publica ac privata sollicitudine liberam, et vires, ardentissimis a Deo T. O. M. votis precentur, quo meditationes suas, in incrementa huius nobilissimae scientiae per tot annos institutas, consignare commode, cursumque mathematicum, ex quo et ipsi posteri veram discent Geometriam, totque proinde desideriis exoptatum, felicissimus ad finem perducere possit.

FRANCISCI GRIMALDI SOC. IES. DE VITA aulica libri duo. Opus posthumum: cum annotationibus Aristotelicis.

Romae, ex Typographia Antonii de Rubeis, 6 plag. in 8.

Quum praecipuum divinae poeseos, ac primum etiam munus habeatur

Publica privatis secernere; sacra profanis;
Concubitu prohibere vago; dare iura maritis;
Oppida moliri; leges incidere ligno: Hor. art. poet.

atque, iam inter ultimae memoriae homines,

Sic honor et nomen divinis vatibus, atque
Carminibus

venerit: fieri sane aliter non potuit, quin, ab ipsis inde incunabulis divinae artis, se protulerint ingenia, quae a profanorum hominum libidine illam vindicarent, et ad usum salutemque humani generis transferrent. Nihil iam de antiquioribus dicimus, aut inde ab Orphei memoria horum nomina repetimus; quod et longum esset, nec necesse: tulit nostra etiam aetas poetas multo elegantissimos, qui et virtutem commendarent, et vitam prudenti consilio monerent, et doctrinam, magis seriam, versibus includerent. Quibus Grimaldus noster iure tanto maiori adiungendus est, quanto magis non eo tantum, cuius supra dedimus indicem, opere, bene de litteris, bene de hominibus etiam, mereri studuit; sed antea quoque, tribus, *de vita oeconomica*, et quinque, *de vita urbana,* libris, eadem opera functus est. Duos istos, *de vita aulica,* Horatius Borgondio, Soc. Iesu, quum, nec opinata morte praeventus, auctor foras dare illos non posset, huius ex chartis, magno studio eruit, atque integrum exemplum inde perfecit, quum parum caeteroquin abesset, quin, magno litterariae rei damno, illi plane interirent. Vocat vero *aulicam vitam* non otiosam illam, mollem, et delicatam, quae vulgo ita dicitur, atque, in comitatu ac famulatu principis, stipendia unice meret; sed quae occupata

fit

ſit rebus publicis tractandis, atque huius operae ſuae, reipublicae fideliter navatae, fructus interdum vel in ipſa ferat aula: quae vox propterea et apta viſa eſt ad materiam carminis ſignificandam, et elegiaco potiſſimum metro expedita et accommodata. *Priore* vero *libro*, poſtquam ſuum indicavit propoſitum, atque muſas, pro more, invocavit, id maxime agit, ut doceat, *exploratione prius opus eſſe, quam quis ad rempublicam capeſſendam viam affectet,* quod Herculis illius Prodici exemplo eleganter illuſtrat, cuius ſit apud Xenophontem mentio. Quum vero triplex ſit genus bonorum, naturae, fortunae, doctrinae: ad unumquodque illorum, in exploratione ſui, reſpicere candidatos munerum publicorum iubet. Ac *natura* quidem, virum ad rempublicam acceſſurum, vult eſſe animo quidem audaci, ſed, ut non timido, ita nec temerario; callido praeterea, et cholerico, non melancholico temperamento, quod vocant. Deinde in eodem vult eſſe *formam*, non venuſtam illam quidem, muliebremque, ſatis tamen commodam: *cultu* autem ornatuque corporis eum non muliebri uti, neque inceſſu molli eſſe oportere docet, ſed virili, qui nihil tamen ruſticitatis habeat: corporis denique habitu neque iunceo, neque, pugilum more, ſaginatum, eum eſſe debere ait, ſed validum ſuccique plenum. Ad extremum aetate ſenili quidem eſſe illum cupit, ſed ea quae vivida ſit. Tum *fortunae* bona, quae quidem aulicum, cuius ipſe geſtit imaginem exprimere, perficiant, exponit: *genus* nempe illuſtre, ita tamen, ut obſcuro etiam loco natis, etſi ſit iis multo difficilior ad honores aditus, animum tamen propterea non prorſus abiiciendum eſſe iudicet; *divitias*, at tutas illas, quas eripere vel intervertere nemo, ac ne parens quidem, poſſit; *clientes*, ac *patronos*, matrimoniis etiam, et quocunque demum modo fieri poſſit, conciliandos. Ac quum *occaſio* etiam, *conſtantia* ac *prudentia*, in amicis vel eligendis, vel diiudicandis recte, atque in claſſes tamquam deſcribendis, fortunae quodammodo ſint conciliatrices; ab iisdem virtutibus aulicum ſuum non vult eſſe alienum. Tandem virtutes etiam,

iam, quae proficiſcantur *ab arte,* commemorat, quae vel in ſcientia ſint poſitae ac contemplatione, vel in uſu atque exercitatione verſentur. Quamobrem eum a carminibus pangendis, et nimio philoſophiae ſtudio, ſe abſtinere oportere praecipit: muſicen autem diſcere, commode ſaltare, in gyrum equos agere, eius perſonam decere pronunciat. Ad linguas quod attinet, eum Italicae, auctoris vernaculae, apprime vult eſſe intelligentem, ita ut etiam praeſtantiſſimos poetas, ea ſcriptos, et legat et memoria teneat; epiſtolas etiam, aulicas maxime, ſcite ſcribat, hiſtoriarum cognitione animum locupletet; gallicae latinaeque linguis det operam, philoſophetur etiam, ſed paucis, ut ille ait Neoptolemus apud Ennium, dialectices praeceptis animum inprimis ſubigat, ad ius civile accedat, ſed iis in ſcholis, quae ad leges diſcendas apprime ſint accommodatae, ut Paduana, Felſinenſis, Piſana, Romana; ita vero hoc in ſtudio verſetur, ut ipſe forum adeat, atque ibi, quae verſentur in uſu, diſcat:

Nam nil profuerit iuris tibi parta ſupellex,
Si renuas, rauco creber adeſſe foro.

Inter virtutes vero, quae poſitae ſint in actione, commendat inprimis taciturnitatem ac prudentiam, circumſpectionemque in oratione, exemplis aliorum et lectione conformatam, maxime tamen libris ſacris legendis acquiſitam. Namque

Hic liber, hic ille eſt, quem ſi perlegeris unum,
Haec mihi ſit, dices, bibliotheca ſatis.

Quae vero prudentia ſe in moderatione linguae potisſimum, ſuique neque iactatione, neque contemtione, oſtendit; neque alios, etiam ſe multo inferiores homines, deſpiciendos putat: ſua vero conſilia caute tegit. Ad extremum docet, uſu eam perfici; ac precibus, Salomonis ritu, ad Deum fuſis, et impetrari et obtineri, quum alias amitti facile posſit. Quibus omnibus ſatis inſtructum candidatum jubet eam eligere aulam, ubi cives gloria potius atque amore, quam metu, ducantur ad ardua; e qua porro exulet ambi-

ambitus, et ubi princeps denique regnet, qui Patris nomen Principis praeferat titulo; quae omnia quam apte in Romanam aulam cadant, pluribus, extremo libro priore, auctor vel amore in patriam, vel animo beneficiorum aut memori, aut cupido ductus, disputat, et salutem Clementi XII. eo tempore P. M. precatur. Iam *libro posteriore duo* sibi demonstranda sumit, nempe: *qua lege parentur honores, et qua parti arte gerantur? Parantur* vero non *ambitione, sed meritis.* Eam in rem certa est eligenda aula, cuius indoles cognoscenda sit ex seniori quodam aulico, atque, eodem tamquam nomenclatore, discendum, quinam aulici floreant gratia, vel principis, vel populi; quibusque artibus eam consequuti sint, et quinam cuiusque sint et mores, et tituli, et famuli, immo currus adeo. Deinde sunt aedes splendidae, ac nobilibus proximae, redimendae, intusque exornandae pretiosa supellectile, currus comparandus, satellites conducendi. Tum eum, fingere se ad aulae ingenium, dediscere assuetudinem suam, in primis studere ut et a populo universo, et a mercatoribus maxime, caussarum patronis, sacerdotibus, doctis, poetis, patriciis, matronis, consiliariisque ametur, iubet. Reliquos facile victum iri obsequio putat: quam in rem, exploranda esse cuiusque studia, praecipit. Praeter reliquos sibi devincire meritis summi amicorum animum, si possit, eum iubet: placare etiam munera homines tradit, quae tamen non sit ad verum honorem via. Ubi aulam intraverit, sibi omnes, qui versentur in ea, devincire: neque tamen nimium illius blanditiis confidere iubet. Virtuti, sed non privatae, verum publicae, tum studendum, atque aulae se, non e longinquo, sed e proximo ostendendum esse, ait. Dona principis, etsi non satis ampla, accipienda esse suadet: divitias tamen, et omnibus inserviendi studium, comitatemque officiosam, honores quam certissimos parare demonstrat. Ad haec, cogitandum ei esse, ait, in qua urbe, quo Principe, quid, et qui petat, quosque habeat aemulos, quorum virtus non tam deprimenda, quam efferenda sit; qui etsi vincant, silendum tamen esse

esse iudicat. Qua de caussa, neque quo contendat, significandum ei esse, neque vulnera, si qua sentiat, ostendenda monet. Pauperes mentem excolere, temporisque genium sequi, patrocinia quaerere, studiisque, etiam levioribus, uti, linguas addiscere, carmina pangere in honorem procerum, in critica se exercere, potentes amicos venari, horum curam quae levent videre, iubet. Nunc *qua ratione partis deceat uti honoribus*, exponit, qui tam crebro mores hominum non tam mutent, quam, qui revera ii fuerint, ostendant. Omnibus igitur praebere aures, comem esse omnibus, liberalem, non asperum, sed comem; non mendacem, non blandum, virtutum publicarum civiliumque cultorem, laboriosum, fortem adversus corruptionem, a congressibus mulierum alienum, uxori parum obnoxium, honores pro meritis impertientem, esse iubet. Acceptos vero honores ut tueatur, crebro eum vult adire principem; ita tamen, ne laevo illum tempore interpellet. Invidia si obsit, placandam esse virtute; non abdita illa quidem, sed quae in luce omniumque oculis versetur, existimat. Ac ne quid adversi accidat, amicorum quaerenda esse praesidia, auctor est. Virtutis vero curam difficilem esse in aula iudicat, nec facile illam ad summum ibi posse adscendere putat, quod non semper eam sequatur honoris praemium. Copiosius fortasse argumentum carminis enarravimus, quam par erat; sed hoc ideo fecimus, ut, quam dignum illud esset, quod omnium, qui ad rempublicam capessendam se parant, manibus teratur, lucide appareret. Carminis tamen elegantia materiae dignitatem aequat; ac quum argumentum poeticae suavitatis capax esse minus videatur, illud tamen tam elegantibus fictionibus, in quibus anima poeseos versari creditur, descriptionibus, similibus, exemplis, narrationibus illustrat, ut, quam excellens eius non potuerit non esse ingenium in argumento plane poetico, lucide appareat. Dabimus, ut verborum nitor simul appareat, exemplum aliquod, quod primum legenti occurrit. Obsequiosum vult esse aulicum suum, hoc vero ita probat:

Trux

Trux homo, terribilis, ferus, intractabilis, asper,
Iapetidis quondam conditus arte fuit.
Versus ad artificem tunc Iuppiter: Antra ferarum
Hic petat! haud aptus coetibus urbis homo est.
Hunc volo, tractari qui se sinat arte, trahique
Quolibet. Ergo tuum corrige, dixit, opus.
Paruit, et duplices homini faber addidit ansas,
Ut facilis duci posset, et arte trahi.
Protinus humano coepit mansuescere cultu,
Comis et excussa rusticitate fuit.
Nascimur humanis, sic est, congressibus apti,
Ansas quisque suas, quaque trahatur, habet.

Nunc denique etiam dicendum aliquid esset de adnotationibus, quae quanquam Aristotelicae dicantur in ipso libri indice, ex Cicerone tamen quoque, Horatio, aliisque repetitae sunt: sed tam copiose de carmine ipso iam exposuimus, ut spatium nobis praeripuisse videamur. Ac potest sane illud dignitatem suam tueri, etsi, Aristotelem idem quodam tempore sensisse, minus liqueret. Caeterum profectae illae sunt neque a Grimaldo nostro, neque a Borgondio, sed ab I. G. S. I. quodam, neque auctoris mentem ubique assequi videntur. At quoniam tamen auctor ipse duos de vita *oeconomica* libros eiusmodi observationibus ornatos esse voluit, neque hi, de *aulica* vita, carere iis debuerunt: nempe, duo quum faciunt idem, etiam in argumento diverso, illud semper et ubique est idem.

DISSERTATIO HISTORICO - ECCLESIASTICA DE Luthero contra indulgentiarum nundinationes haudquaquam per invidiam disputante, Auctore FRIDERICO WILHELMO KRAFT, SS. Theol. et Phil. D. eiusdemque Professore Publico, et in Academica aede Ecclesiaste.

Goettingae, typis Schulziis, pl. 7. in 4.

Vetus atque confirmata satis est sententia, eos diligentissime alios accusare homines, qui se ipsos in discrimen existimationis venire arbitrantur. Illustre huius rei exemplum praebet, quae Romani Pontificis paret legibus, ecclesia, intelligens sane, non hominis causam in repurgatione sacrorum actam esse, sed rerum divinarum, ab Luthero ad emendationem doctrinae gestarum; eo audaciae progressa est, ut causas et rationes intimas tantorum eventuum, quos divina providentia digessit, non humanas solum, sed profanas quoque atque impias fuisse, obstreperet. *Lutherum* hinc adversarii illi invidiae postulant, et praefracte contendunt, eum, adversus Tezelium cum disputasset, non divinae doctrinae studio, sed canina prorsus rabie eo processisse furoris atque invidiae, ut bolum, sibi suisque ereptum sive denegatum, tantopere allatraret, et ea in *Tezelii* et Dominicanis reprehenderet, quae suo Eremitarum ordini, vel sibi ipsi, si modo contigissent, summo certe duxisset honori et gloriae. Moris enim tunc, praesertim in Saxonia, fuisse dicunt, ut Augustiniani Eremitarum ordinis Monachi indulgentiarum quaesturam agerent, de qua ipsis detracta multum uti putant questi fuerint; et *Ioh.* etiam *Staupitius*, et Monachus Wittebergensis *Martinus Lutherus*, ut hic sive *Staupitii*, sive aliorum instinctu, sive proprio ausu, indulgentias ore et calamo impugnaret. Cui accedente in primis hominum ecclesiasticorum summa corruptione et ignorantia, novam hanc, atque e fonte tam putido promanantem doctrinam, in vulgus protrusam esse, adversarii ecclesiae Protestantium contendunt. His licet criminationibus nihil iustae causae decedat, cum ex bonitate rei iudicium sit ferendum: ex instituto tamen hanc enarrare rem non inutiliter iudicavit Noster, ita ut ante omnia Pontificiae accusationis *Sectione prima* texeret *historiam;* et idoneis deinde argumentis totum commentum confutaret. Architectus princeps fabulae de Luthero, ob invidiam ad emendationem sacrorum instigato, famosissimus fuit *Cochlaeus*, quo antiquiorem Auctor reperit neminem. Hic magno hiatu narrat,

Alber-

Albertum Moguntinum in animo habuiſſe, Auguſtinianis potiſſimum uti in indulgentiarum negotio: eosdem fratres antea in iſto perſtrenuam ore et calamo ſedi apoſtolicae navaſſe operam: hos aegre tuliſſe tantum munus ſibi ablatum vel denegatum eſſe: male hoc habuiſſe *Staupitium* et *Lutherum:* illum Auguſtinianorum rem contra *Tezelium*, apud Electorem *Fridericum*, egiſſe, rationibus politicis ſtatuminandam; hunc vero ſcriptis detonaſſe in mendicatorem famoſum. Hanc fabulam, poſt *Cochlaeum*, ſcriptores Romani ambabus amplexi ſunt manibus, atque ſubinde auctam, ad hoc usque tempus propagatam, atque amplificatam, dederunt. Nec in diebus noſtris hanc recitare cantilenam deſinunt Pontificii, aliique inter Proteſtantes auctores ſubleſtae fidei. Sunt tamen accuſatores Lutheri, (licet in capite cauſae, ratione invidiae in *Lutherum* conflatae, admodum conſentiant,) diverſi atque diſcedentes inter ſe, quod ad origines rerum attinet. Hinc varias in claſſes ab Auctore noſtro dividuntur. Eorum eſt prior de iis quidem, qui Lutherum, fratrum Auguſtinianorum cauſa, tantam rerum molem in ſe ſuſcepiſſe perhibent, quorum tamen nonnulli acerbius, alii ſubtilius rem enarrant. Ad poſteriorem claſſem pertinent ii omnes, qui ſemota Ordinis Eremitarum cauſa, huic uni adcuſationi maxime inhaerent, ut ſua cauſa *Lutherum* in altercationem coiviſſe comminiſcantur. Vitioſis nimirum animi affectionibus tribuendum eſſe exiſtimant, quicquid in *Luthero* fuerit erga Tezelium invidiae; aut ſaltem *Friderico* Electori affingunt invidiam, quam ſuam ille fecerit, ut principi placeret. Quae omnia ex mente atque enarratione Romanae eccleſiae ſcriptorum aperte hic proponuntur, atque in *Sectione poſteriori* refelluntur. In univerſum Cl. Auctor argumento utitur generaliori, ſatis gravi, a ſilentio ſcriptorum coaevorum petito, de quibus facile principes hic recenſentur, v. g. *Sleidanus*, *Thuanus*, *Guicciardinus*, *Iovius*, *Alphonſus a Caſtro, Ferronus, Surius,* in quibus omnibus ne vola nec veſtigium huius rei apparet. Et mirabile ſane quid eſt, eos omnes, qui ab A. 1517. usque ad annum 1546. *Lutheri*

fcilicet annum emortualem, five fcriptis, five fermonibus, difceptationes cum *Luthero* fufceperunt, et, ne in conflictione illa prima quidem, cum de indulgentiis folis fere, et inchoatae difputationis caufis ageretur, hac de re aliquid proferre; nec ullum adeo fuiffe impudentem, ut eam caufae originem ex *Lutheri* invida animi commotione repeteret. Huc etiam iftud pertinet, *Lutherum*, ante motas controverfias, privatim non folum fermonibus facris, fed etiam literis, ad *Albertum* praecipue Moguntinum perfcriptis, per Deum oraffe, velit huic indulgentiarum malo medelam afferre. Primi ordinis adverfarii b. *Lutheri, Iohannes Hogftratus, Sylvefter Prierias, Emferus*, aliique, de hac turpi invidiae nota, five Eremitarum ordini, five foli *Luthero* inurenda, praeclare filent. Nec Pontifices Romani, in tot literis, mandatis, bullis, decretis, invidentiae mentionem faciunt ullam. Ignorant etiam hoc Imperatores, Reges, Principes, in literis et edictis, propter hanc caufam confcriptis, atque divulgatis. Quin ex omnibus etiam antiquitatum monumentis apparet, *Lutherum* non Dominicanis, fed impiis tantum nundinationibus dicam fcripfiffe. *Cochlaeus* vero in hac caufa non eft audiendus, quippe qui, mortuo demum *Luthero*, argumentum ab invidia tractare incepit; cuiusque fides adeo eft fublefta atque manca, ut coaevus fcriptor *Sleidanus*, de foetu *Cochlaeano*, qui tanta enixus eft monftra, fcripferit: *horrendis et inauditis atque fictis criminationibus omnia in iisdem effe accommodata; imo effe librum, criminationibus, calumniis, nugis, convitiis, refertiffimum.* Quod vero ad rem propius attinet, evictum eft fane, facultatem, indulgentias Pontificis nomine divendendi, nulli ordinum facrorum fuiffe propriam atque domefticam. Falfiffimum etiam eft, hanc poteftatem ad Auguftinianos in Saxonia pertinuiffe, cum proximis ante *Lutherum* temporibus, ab anno 1450. usque ad annum 1517. quibus illa nundinatio maxime effloruit, ne moderatorem quidem Auguftinianae familiae unicum occurrere conftet, a Pontifice ad huiusmodi negotium delegatum. Quod enim de *Iohanne Pelzio* dici poffet, vaniffimum eft, quippe qui

qui nunquam Legatus in hac tam fructuosa missione fuisse dicitur. Nec probari potest, indulgentiarum messem expetitam et desideratam fuisse; multo minus recte se habet, Dominicanis esse potestatem hanc demandatam, interque utrumque ordinem fuisse contentiones. His igitur semotis, in specie quoad praesentem Tezelianam indulgentiarum falaciam, nec in Saxonia, nec in Germania, ullus Augustinianus, aut Dominicanus, *Tezelium* si exceperis, missus est; sed omnes ex Franciscanorum cohorte erant. Ad finem properans S. V. Auctor, clarissime demonstrat, *Lutherum* a nemine fuisse incitatum, ut se nundinationi indulgentiarum opponeret: nec a *Staupitio*, nec ab ordinis Augustiniani sodalibus; nec a *Friderico* Electore hoc esse factum, solide confirmat Noster, cui addit, pro temporis illius ratione, multo proximiores fuisse causas, abrogationem indulgentiarum suadentes, nec opus esse fingere, *Lutherum* invidia ductum, tale quid esse molitum, sed pietate atque divina animi magnitudine omne, quodcunque fecerit, suscepisse. Ampla sane, clara, et solida est expositio argumenti, quod S. V. Auctor sibi pertractandum sumsit, et rei ecclesiasticae, de tam prolixa huius rei veritate, atque declarata certitudine, gratulamur.

DISSERTATIONES HABITAE IN ACADEMIA Medica Coniecturantium quae Mutinae est.

Venetiis 1759. apud Simonem Occhi, in 12. pag. 103. Tab. aen. 2.

In Academia Medica Coniecturantium, quae Mutinae est, cuius Academiae modo per quinquennium Moderator est *Ianus Plancus* V. Cl. Arimini Medicus Primarius, una ex Legibus haec est: ut quotannis quatuor Dissertationes edantur, quae in Academia recitatae, ab Academia ipsa per Censores, vel per Moderatorem, approbentur. Hoc ita factum est in primo Volumine, sub *Morando Morando* Finalensi, qui, antequam duobus abhinc annis moreretur, Aca-

demiae Moderator ipse erat, seu Princeps, uti dicere malunt. Sed ex Quaestionibus discutiendis a Planco anno elapso propositis, quum tres tantum Dissertationes prolatae fuerint, Plancus ipse, ut quaternarius numerus in hoc secundo libello expleretur, addidit de suo, Dissertationis loco, decem Cadaverum morbosorum Sectiones, quas ipse anno 1758. et initio anni 1759. Arimini instituit, in quibus aliquid rari et notatu digni repertum est.

Prima igitur Cadaveris Sectio a Planco instituta est foetus monstrosi quinquemestris, in partu trigemino, qui multis ad vitam carebat, et praesertim ore et naribus, unde per os non nutriri foetus in utero liquido apparet. Huius foetus exhibetur Tabula aere incisa pag. 17.

Secunda Sectio est foetus item aliquantulum monstrosi in partu gemello, in cuius cervice naevus erat parvae nucis iuglandis magnitudine, qui malum persicum lanugine et figura referebat, quod comedere concupierat aceto servatum mater dum gravida esset: ex quo inferri posse ait Plancus, ex forti imaginatione matris imprimi posse huiusmodi naevos in foetu, contra quam sentiant recentiores nonnulli.

Tertia Sectio est Cadaveris Viri sexagenarii, et Arimini Flaminis, furunculo denati, ex mala cura Chirurgi, qui suppurationem perfectam inhibuit remediis epuloticis et sarcoticis.

Quarta Sectio est Cadaveris Viri septuagenarii, Arimini Magistratus, qui per plures annos laboravit ex tuberculis in renibus, sine ullo renum dolore. Quare apparet, multas partes nostri corporis a Sapientissimo Conditore sine sensu conditas fuisse, ut docet *Hallerus* V. celeb. *Planci* Amicus.

Quinta Sectio est Cadaveris pueri bimi, qui calculum in vesica urinaria triplici involucro tectum gerebat; quae observatio rara est, et lectu iucunda.

Sexta Sectio est Cadaveris Viri septuagenarii, qui obiit ex duobus magnis calculis in vesica, ibiqua docemur,

mur,

mur, ad explorandos calculos in vesica, Italorum Catheterem minus aptum esse, sed praestare illum recurvum Gallorum.

Septima denique Sectio est Canis Molossi, qui periit ex calculis figurae triquetrae in urethra infixis, qui calculi non ex variis lamellis fuere conflati, sed per simplicem crystallisationem videbantur concreti.

Postquam *Plancus* conscripserat has septem Sectiones, Observationesque, tres alias Sectiones instituit initio anni elapsi, quae in calce libri, Appendicis loco, adiunctae fuerunt.

Octava igitur Sectio est Viri sexagenarii Arimini Flaminis, qui vomica in lobo inferiori partis sinistrae pulmonum interiit, vivens tussicula tantum laboraverat.

Nona Sectio est Cadaveris nobilis mulieris, quae ex scirrho in pancreate obiit, qui iecinoris scirrhum mentiebatur.

Decima Sectio est Viri sexagenarii valde obesi, qui laterali morbo periit, cuius pericardium humore suo omnino carebat.

Narratis Cadaverum sectionibus a Planco institutis, venimus iam ad Dissertationes ipsas ab Academicis editas. Secunda Dissertatio, post Planci Sectiones, est *Casparis Adeodati Zamponi*, Trebulae Mutuscae in Sabinis Medici, super prima Quaestione a *Planco* Academiae proposita, de meritis Hippocratis et Galeni in re medica, scilicet: in Medicina addiscenda faciendave, praestet ne lectio Hippocratis, an Galeni? Zamponus palmam dat Hippocrati, quamquam et Galenum suis laudibus merito adficiat, propter rei anatomicae peritiam, et multiplicem in medica scientia doctrinam. Haec Dissertatio conscripta est vernacula Italorum lingua.

Tertia Dissertatio Auctorem habet Dominicum Severinum, Medicum secundarium Tipherni ad Tiberim, et versatur circa decimam quaestionem a Planco propositam, de praestantia in re medica Cornelii Celsi, Aretaei Cappadocis, et Caelii Aureliani. Merita horum trium Virorum expendit erudite Severinus, latina lingua.

Quarta

Quarta denique Dissertatio est Dominici Leonelli, Mutinensis Medicinae Doctoris, occupata circa decimam quaestionem a Planco Academiae propositam: an Opium dissolvat sanguinem, an coagulet? et quomodo Opium operetur in somno conciliando, doloribusque sedandis? Opium solvere sanguinem, et laxare fibras, docet *Leonellus* in hac Dissertatione, quae vernacula Italorum lingua est conscripta.

ELOGIUM

VIRI AMPLISSIMI AC CELEBERRIMI IOANNIS HARTMANNI DEGNER

Civitatis Noviomagensis Consulis et Archiatri, Acad. Caes. Nat. Curios. Collegae.

Clarorum virorum facta moresque posteris tradere, antiquitus usitatum, nec nostris quidem temporibus Literatorum cura omisit. Cumque in eorum censum, qui de republica literaria optime meruerunt, secundum omnes, ad quos scriptorum *huius viri* notitia pervenit, summo iure referendus sit *Amplissimus* et *Celeberrimus Degnerus*, operae erit pretium, praecipua vitae huius viri momenta paucis exponere. Urbs patria *Suinfurtum* fuit, S. R. I. civitas, tot sagaciorum ingeniorum ferax mater, ubi *Noster* die 19. Iulii 1687. natus est. Patrem habuit *Virum Amplissimum, Ioannem Hartmannum Degner, Ictum, Reipublicae Suinfurtensis Senatorem* ac *Scabinum, Redituum commendae Munnerstadensis* ac *Coenobii Bildhusani Curatorem Summum.* Mater ei fuit *Matrona nobilissima, Anna Christina de Fehr.* Avum paternum coluit *Virum Nobilissimum* et *doctissimum, Leonardum Degner, Ictum, Clientiumque Patronum,* ac *Redituum publicorum* in tractu omni *Ostheimensi* atque *Friesenhusano* in *Franconia,* quae ad *Orientem* vergit, *Praefectum,* Aviamque feminam spectatae virtutis, *Annam Metzler.* Avus maternus ei fuit Vir dum viveret *Illustris* et *gravissimus, Ioannes Michael de Fehr, Liberae S. R. I. Reipublicae*

cae

cae Suinfurtenſis Iudex Caeſareus privilegiatus primae inſtantiae, et *Praetor Imperialis*, Acad. *Nat. Curioſ. Praeſes ſecundus*, et *Imperatoris Leopoldi* glor. mem. *Archiater*, quem Illuſtris Academiae mandato, ſcita et ſolemni oratione, pro eo ac par erat, laudavit *cl. Löchnerus*, *Phyſicus Norimbergenſis*, quae deinceps *Nat. Curioſ. Ephemeridibus Dec. II. An. VIII.* inſerta fuit. Avia materna fuit femina *nobiliſſima*, *Anna Maria Otto*. Filio ſacris initiato, idem cum patre nomen delatum. Uterque *Noſtri* Parens pro virili parte id ſedulo egerunt, ut liberali educatione doctrinaque puerili filius inſtitueretur. Ingenii haud ſterilis iudicia protulit, et praecipue talem ſe in Gymnaſio patrio probavit, ut iam nemo dubitaret, fore, ut praefixam ſtudii metam feliciſſime conſequeretur; nec tantum Parentibus ac Praeceptoribus perplacuit, ſed viros etiam eruditionis ſolidae fama praeclaros ſibi conciliavit. Poſitis itaque politiorum literarum fundamentis, Anno huius ſeculi nono *Halam Saxonum*, tot doctiſſimorum virorum alumnam, pertendit, ut arti medicae, ſcientiaeque naturali, ad quae animus inclinabat, ſe totum daret; ſed Pater eum Iurisprudentiae deſtinaverat, cuius votis et ipſe annuit. Hic ſumma cum induſtria nominis celeberrimi viros, *Strykium*, *Ludwigium*, ac *Boehmerum*, Iurisprudentiae praecepta docentes, et *Thomaſium Gundlingiumque*, philoſophiae et hiſtoriae cognitionem profitentes, non ſine eruditionis fama audivit; diligenter poſtea medicinae ſtatorem ſummum, *Hoffmannum*, aliosque doctores in medicina et phyſica praeceptores ſecutus eſt. Stadio academico per triennium confecto, et utroque parente intra octiduum rebus humanis exemto, ad patrios lares rediit *Degnerus*: ita ſui iuris factus, genioque ſuo indulgens, iuris ſtudium, utut in hoc doctrinae genere non leves progreſſus feciſſet, reliquit; nec a ſcopo forſan alienum erit rationem reddere, cur iſtud reliquerit. Conſtat inter eruditos, inſigne Medicorum par, *Ioannem Laurentium Bauſchium*, et *Ioannem Michaelem Fehrium*, Anno ſuperioris ſeculi quinquageſimo ſecundo, *Suinfordiae*, ad excolendam

 or-

ornandamque Artem medicam, atque abditos naturae recessus perscrutandos, cum praestantissimis in Germania Medicis *Societatem* condidisse. Nec deerant viri eruditionis gloria florentes, qui huic laudabili instituto suam operam pro virili conferrent, et observationes singulares, quas cum Eruditis communicare gestiebant, *Suinfurtum* mitterent, ut *Ephemeridibus Nat. Curios.* insererentur. Quod laude dignum *sodalitium*, Artis clinicae culturae maxime proficuum, cum, progressu temporis, maiora sumeret incrementa, ita, ut novo veluti amictu superbiret, postea Anno 1687. *Illustri Academiae Imperiali Nat. Curios.* quae adhuc superat floretque, originem dedit. conf. *Ioan. Englerti* Programma *in Natal. Secul. Gymnasii Suinfurdiensis* anno 1734. ibidem editum, ubi plura de origine *Acad. Nat. Curios. eiusdemque primis Praesidibus.* Incidebat *Noster* in vastum illud literarium commercium, quod praelaudatis *Bauschio* et *Fehrio* cum praeclaris diversarum gentium viris per aliquot annos intercesserat, quo, veluti in speculo, consummatissimi Medici imaginem cernebat expressam. Horum labore artisque fructu admodum delectabatur, hisque animus *Nostri* per se artis salutaris cupidus ita accendebatur, ut *Avi* aliorumque vestigia premere, et iisdem studiis ac moribus sua promovere commoda vellet. His perpolitus ac limatus in eo erat totus, ut media apta eligeret, quibus Artis praecepta ad methodum medendi, quae est anima curationis, converteret. Et hunc scopum attigit. Eodem enim tempore *Berleburgum*, non ignobile in Comitatu Witgensteinensi oppidum, celebris doctissimorum virorum coetus illustraverat, in quos ob singularia, quae in omni doctrinae genere fovebant placita, Literatorum praecipue Germanorum, oculos conversos fuisse, Historia docet literaria. Huc multi, nec obscuri generis Iuvenes, certatim confluebant, ut his erudiendis se traderent. *Degnerus*, scientiae suae pomoeris extendendis

con-

consilio, quod deinde exitus docuit, prudenti atque perutili, hanc doctissimorum coloniam invisebat, viros in arte salutari praecipuos duces sibi eligebat, prae ceteris vero virum immortalis famae, *Iunckerum*, cui ut vegetam senectutem omnes boni ex animo optabant, ita *Noster* eius amicitiam sibi admodum proficuam ad extremum vitae diem sanctissime coluit. Heic coeptum artis cursum, quanto potuit maximo conatu perfecit. Viscera, quae natura abdidit, intestina, arterias, venas, nervos, diligenter perscrutatus est; membrorum nexum, figuram, et ordinem, accuratissime perquisivit, et chemicis artificiis res abditissimas in sua principia solvit, earumque naturam exactissima ratione rimatus est, viresque experiundo cognovit. Quanto autem in hanc artem duceretur amore, et quam adsiduo eam excoluerit studio, non solum ex eo, quod pharmaca, quae prae reliquis singulari virtute se commendabant, ipse parabat; sed vel ex eius *Dissertatione physica* *) de *Turfis, Acidulis Ubbergensibus,* et *phosphori urinae praeparatione,* (quam descriptam vide in dissertatione de *phosphoris* et *phosphoro Urinae,* Auctore *P. N. Lotichio* Medico experientissimo,) satis superque patet. Quibus ornatus subsidiis, *Traiectum* ad *Rhenum* descendit, ubi habita dissertatione inaugurali de *notabili quodam casu Febris petechialis cum cholerico causodea complicatae*, summos artis suae honores 1717. consecutus est. Primo Medicinam *Elberfeldae*, non sine Artis fructu, fecit. Deinde animo ad castissimum vitae humanae foedus converso, Mense Decembri A. 1718. in Matrimonium duxit nobilissimam et pietate animique castimonia longe commendatissimam matronam, *Catharinam Gertrudem Brahm*, viri *Amplissimi maximeque experti, Christiani Kalckhovii,* ad *Aulas Berolinensem* et postea *Monasteriensem* in Westphalia *Medici praecipui viduam, Amplissimi P. Brahm, ICti,* et *Civitatis Vesaliensis Consulis filiam.* A quo inde tempore *Elberfeldam* relinquens, *Noviomagi* sedem

 fixit,

fixit, ubi aegrotantium saluti omnem operam ac fidem navavit, et existimationem in arte sanandi quaesitam in dies maiorem ampliorem que sibi conciliavit. Nec domi solum, et intra privatos parietes, industria eius eluxit, sed foris eam quoque, elucubratis ingenii monimentis nobilitavit, quibus super Medicorum vulgus elatum, *Illustris Academiae Imperialis Natur. Curiosor.* Proceres eum in suorum numerum, ut Academiae operam suam addiceret, cooptarunt, et quidem sub cognomine *Argonautae IV.* ut aliquando vestigia *Argonautae I.* sequeretur, sub qua adpellatione *cel. Fehrius, Degneri* Avus, in *Academiae Ephemeridibus* claruit. Iam inde dignum se Collegarum exspectatione praestitit, et observationes selectiores, non proletaria; sed ea qua decuit opera, meditatione, atque usu conscriptas, *Acad. Nat. Curios. Actis* inseruit. Ad haec egregias quoque Commentationes nonnullas contulit ad eximium opus *Collectionum Medico physicarum Vratislaviensium*, quibus non vulgare inter Eruditos nomen consecutus est. Praeterea cum Anno 1736. *Noviomagi* dysenteria magnas strages ederet, famam dexteritatis in eo malo depellendo prae ceteris sibi comparavit. Quam ob rem *Amplissimus civitatis Noviomagensis Magistratus* in eum oculos convertebat, et paulo post *ordinarii Medici* provinciam *Nostro* capessendam obtulit. Atque hanc spectata integritate gessit, eiusque partes summa cura studioque sic explevit, ut huic stationi, antea duobus et nonnunquam tribus demandatae, ab Anno 1743. usque ad ultimum mortalis vitae spatium, adprobante Magistratu, *solus* praefuerit. Huius dysenteriae epidemice grassantis historia medica Anno 1738. typis descripta, eum summorum in arte medica virorum adplausum meruit, ut et ubique Libellus avide distraheretur, et totus *Actis Physico-Medicis Acad. Nat. Curios.* insereretur. Cum vero post aliquot annos vix ac ne vix quidem comparari, et *Noster* Bibliopolae Lovaniensis *I. F. van* Over-

Overbeke imprudens ausum, in excudenda inscio Auctore altera huius Tractatus editione, mendis ubique scatente, ferre non posset, haud inconsultum arbitratus est, eundem novis observationibus adauctum orbi erudito communicare. Calci huius opusculi adiuncta fuit *Relatio historica, cum responso Facultatis Medicae Halensis, de morte per Mercurium sublimatum corrosivum producta.* Recensuimus *Editionem primam in Supplement. ad haec Nova Acta Erudit. Tom. VII. pag.* 423. *seqq.* ut *Norimbergenses* in *Commercio Literario* ad *Rei medicae* et *scientiae naturalis incrementum instituto*, *Anni* 1738. *pag.* 341. *seqq. Editio* vero *postrema* recensetur in *Commentariis de rebus in scientia naturali et medicina gestis* Vol. IV. pag. 267. sqq. Ut vero in dysenteria curanda variis medicamentis tunc temporis plerumque ignotis summo cum successu usus fuit; ita haud singularem meretur laudem, quod primus *Wintero*, Celsissimae *Domus Arausionensis Archiatro* dignissimo, et in *Academ. Lugduno Batava Prof. Medicinae* celeberrimo, *Atropae* sive *Solani furiosi* vires in sanandis tumoribus scirrhosis inveteratis, exposuerit. Hic etenim Auctor fuit *Tiberio Lambergen*, Professori Franekerano, nunc Groningano meritissimo, in muliere, quae carcinomate mammae laborabat, huius medicamenti virtutem experiundi, quae eius efficaciae fuit deprehensa, ut grave isthoc malum, et fere insanabile visum, prorsus ac plane sublatum fuerit. Quod vero mireris, huius herbae vires in se prius explorando *Lambergen*, eandem dosin adhibendam edoctus est, quam *Noster Wintero* determinaverat. Priori connubio, morte piae et sedulae uxoris anno 1740. mense Decembr. soluto, secundum iniit matrimonium cum nobilissima ac virtutibus spectatissima virgine, *Anna Catharina Gertrude Middeldorff, Viri Summe Reverendi, Alberti Petri Middeldorff, Ecclesiae civitatis*, quae est in Comitatu Marcano, *Schwelmensis*, eique *adiacentium pagorum* pie beneque meriti *sacerdotis*, filia, quam per-

actis *Arenaci* in Geldria nuptiarum sollemnibus 1742. domum duxit, viduam nunc moestissimam, qua cum felix tranquillumque exegit coniugium, hilareque vixit. Ex utroque connubio nullos reliquit posteros. Anno 1751. Celsissimus et Serenissimus *Guilielmus Arausionensis* et *Nassovii Princeps*, totius Foederati Belgii Gubernator hereditarius, *Degnerum Nostrum* muneri *Senatoris*, et postea *Scabini Civitatis Noviomagensis* gerendo, admovit. In hac sparta obeunda ita se gessit, ut cum suae dignitati, tum civium exspectationi satisfaceret. Quibus rebus factum est, ut Anno 1756. a Serenissima Regia Principe *Anna*, Belgii Gubernatrice, ad *Consulatus* eiusdem *civitatis* fastigium promoveretur. Id quod eo gratius accidebat *Nostro*, quoniam in eadem statione *Collegam* nanciscebatur virum *Amplissimum*, *Cornelium Valerium Vonck*, civitatis *Noviomagensis Praetorem*, aliisque praeterea honorum insignibus in re cum publica, tum literaria, illustrem: quocum doctissimo Iuvene intima defuncto *Nostro* intercedebat familiaritas, quam *collegii* necessitudo auxit. Ita celeberrimum illud *Batavorum* oppidum, (*Noviomagum* putamus,) *duos eodem Anno* et *Consules* videbat, et *Eruditos*. Caeterum *Degnerus Noster* hunc novae dignitatis locum in Senatu et congressibus, in consiliis atque negotiis publicis, pari diligentia et fide, uti sincerum et cordatum decet virum, cum decora animi praesentia ita sustinuit, ut animus in rei communis salutem nunquam torpuerit, nec a cogitatione rerum feriarum avocari potuerit, nullamque partem temporis, ne in morbo quidem, ad otiandum sibi concesserit.

Ad finem enim 1755. ventriculus, quae quotidie ingerebantur, vomitu cruda reddere, eoque adhibitis remediis haud cohibendo, tandemque assiduo digestio in dies magis magisque depravari, corpus extenuari, et vita, subtracto omni fere nutrimento, ultimo penitus aboleri. Ventriculum vero ad continuum hunc vomitum

ab

ab affectione scirrhosa vel ipsum hoc viscus, vel vicinum aliquod occupantis, irritari, semper quoad vixit suspicatus ipse *Degnerus*. Nihil quidem praetermissum fuit, quod eo faceret, ut malum nimis validum expugnaretur, sed debilitas et languor cogitatione celerius praevertebant. Deo itaque confisus, composito firmatoque coelesti fiducia animo, die sexto Novembris anni 1756. inter vota precesque circumstantium, non tam obiit, quam obdormivit.

*) Prodiit in gratiam *Germanorum*, tacente interprete, opusculum de *Turfis*, sub specioso titulo: *Teutschlands* neuentdeckte *Goldgrube*, das ist: *Ioh. Hartm. Degneri* Physicalische und Chymische Erörterung vom *Torf*, vorstellend einen natürlichen Bericht von denen brennenden *Wasen*, so in denen mehresten Landschaften, insonderheit in Holland, angetroffen, und anstatt des Holzes gebraucht werden. Zum nützlichen und nöthigen unterricht bey dem von Tag zu Tag sich mehr einfindenden Holtzmangel in Teutschland. Aus dem Lateinischen übersetzt von *Domandros*. Franckf. und Leipzig 1731.

Quanquam autem hic et illic aberraverit interpres a sensu verborum physicorum: laude tamen sua fraudandus non est, cum ob insignem in caeteris diligentiam, tum ob gratam *Germanici* sermonis perspicuitatem.

NOVA LITTERARIA.

Prodierunt anno hoc, qui exit, in hac urbe nostra, impensis Georgii, typis elegantissimis Salbachii: M. ACCII PLAVTI quae supersunt Comoediae, cum commentario ex variorum notis et observationibus, ex recensione *Io. Frider. Gronovii:* accessere ex eiusdem Lectionibus Plautinis notulae Asterisco notatae; cum praefatione *Io. Aug. Ernesti*. P. I. Alph. 1. plag. 12. P. II. Alph. 1. plag. 11. in 8. Bono con-

consilio Georgius, Bibliopola, Plautum Gronovii, qui frustra quaerebatur apud Librarios, recudi fecit, atque ad eum modum quidem, ut chartae et typorum nitore aequet editionem Batavam, accuratione et praestantia vincat etiam. Nam accessere e Lectionibus Plautinis Gronovii ea, quae vel ad lectionis emendationem, vel ad locorum difficilium explicationem, vel denique ad latinitatis exquisitioris intelligentiam pertinere videbantur. Atque ista quidem nunc primum Plauto accessere. Quam curam, cum labore corrigendorum speciminum typographicorum, suscepit *Enochus Christianus Aug. Otho,* A. M. harum litterarum non vulgari scientia praeditus, quem non minus aliis diligentiam probaturum confidimus, quam nobis probavit. Qui praefatus est, *Ernestius* V. Cl. Collega noster amantissimus, hoc egit, ut non solum quorum beneficio restitutum paene integritati Plautum habeamus, declararet; sed etiam ut accusaret stultam eorum diligentiam, qui, revocaturi ad metri leges Plautum, (quod minabatur etiam *Bentleius*, posteaquam de Terentio ita meruerat,) Comoedias Plautinas orbi erudito dederunt, quas qui fecit, Plautus, certo certius non erat pro suis agniturus, ita sunt additis pro arbitrio, detractis, mutatis, vocibus atque sententiis, depravatae. Haec est illa falx critica, scilicet! Vehementer autem optamus, ut hoc Georgii consilium probetur hominibus doctis, quod eius impensis sperare bonos auctores veteres plures, in his A. Gellium, Plinium mai. et tales, iubemur.

INDEX AUCTORUM,
quorum Libri, aut Inventa, in hoc Volumine recensentur:

I. *Libri Theologici & ad Historiam Ecclesiasticam spectantes.*

II. *Libri Iuridici.*

III. *Libri Medici et Physici.*

IV. *Libri Mathematici.*

V. *Libri Historici, Geographici, Numismatici recentiores.*

Buderi

VI. *Libri Philosophici, Antiquarii, Classici, Philologici, Miscellanei.*

Gott-

INDEX
RERUM NOTABILIORUM.

A.

de

D.

Feu-

Histo-

Liba-

M.

Mundi

de

de

Tabulae figurarum ex aere expressarum.